
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

357 F 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Geog. 157

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

ILluſtrium & Præpotentum D. D. Ordinum Fœderatarum Belgij Provinciarum
literis cautum eſt, ne quis librum hunc, cui Titulus, MARCI ZVERII
BOXHORNII THEATRVM SIVE HOLLANDIÆ
COMITATVS ET VRBIVM NOVA DESCRIPTIO,
hac vel alia quavis forma, ſive Latinè, ſive Belgicè, ſive Gallicè recudat, [citra
Henrici Hondij voluntatem] aut alibi recuſum in has regiones inferat vendatve, di-
recte, vel indirecte. Qui ſecus faxit confiſcatione Exemplarium, mulctaque inſu-
per ſexcentorum florenorum damnas eſto. Vti latius patet in ipſis literis, datis
Hagæ Comitis XIV May, Anno M. DC XXXII.

S. Beaumont v^t.

Ad mandatum præpotentum D. D. *Ordinum Generalium*,

Corn: Muſch.

KONINKL. BIBLIOTHEEK TE 'S HAGE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Illuſtriſsimis Potentiſsimiſque

HOLLANDIÆ WEST-FRISIAEQVE ORDINIBVS.

THEATRVM Vrbium & rerum veſtrarum offero vobis, Patres, opus ut petitum omnibus, & quod gloriæ veſtræ ſplendor jam dudum ſuo jure flagitavit, ita hactenus omnino intentatum. Hollandiæ & florentiſſimarum ejus Vrbium vetuſtiſſima incunabula, progreſſus, privilegia, immunitates, varios pace & bello, domi foriſque eventus, &c, ut verbo dicam, ea omnia, quæ injuria temporum memoriæ Poſteritatis non invidit, ſpectanda hic Vobis exhibemus. Potuiſſem haud dubie de antiquitate veſtra longe majora referre, niſi ea aliquando tempora fuiſſent, quibus res fortiter gerere, quam eas ad nepotes ſuos tranſmittere majores veſtri maluerunt. Nempe cogitabant illuſtres illæ animæ, res publicas bene à ſe conſtitutas ſatis magna virtutis & gloriæ ſuæ apud poſteros futura documenta. Adeo ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

prima tractus & imperij veſtri infantia denſiſſimis tenebris ſit involuta. Non tam quid olim fuerit, quam quid non fuerit ex iis, quæ inſequutis temporibus facta ſunt, ſcimus. A nato Chriſto decem ſæcula ſunt, priuſquam de rebus in Hollandia geſtis à majoribus veſtris ad poſteritatis memoriam litterarum beneficio tranſmittendis cœptum eſt cogitari. Qua in re ſi injuriam aliquam illatam vobis exiſtimatis, parem cum univerſo terrarum orbe accepiſtis. Dolendum autem profecto eſt iſtis temporibus, quibus prima hujus imperij veſtri jacta ſunt fundamenta, & res præſtantiſſimæ paſſim gerebantur, præclara ingenia defuiſſe, quæ eorum gloriam ab ætatis injuria vendicarent. Qui autem longe demum poſt patriæ veſtræ Annales condidere, tam inſulſis fabellis reſperſi ſunt, ut quid in iis falſum, quid verum ſit vix liceat judicare. Habent tamen, præſertim in ſuorum temporum hiſtoria, quæ nos ſcire melius ſit, quam ignorare. Videtis, Patres, quam parum illis ſubſidij ſit, qui ad eruendas Antiquitates veſtras ſe accingunt. Auſus tamen ego ſum, ſed hoc animo, ut omiſſis, quæ parum explorata, ea omnia huc transferrem, quæ ex fide dignorum Annalium, qui certe admodum pauci, atque Actis monumentiſque publicis hauſta ad gloriam & antiquitatem veſtram adſtruendam facere judicarem. Et certe experiendo didici non fruſtra me in veſtris laboraſſe. Quot enim rerum capita, tot mihi ſplendoris veſtri oblata ſunt argumenta. Quoties ad majores veſtros, Equeſtris ordinis ſplendidiſſimi Heroes, & illum Hollandicæ Nobilitatis florem me converto, mirari

ſubit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

ſubit, hanc tam exiguam regionem tot illuſtres familias, & in iis excellentiſſimas animas edidiſſe. Majores veſtri per ætates ſuas, velut quoſdam gradus, devoluti, quot viros, tot heroes, & quot heroes, tot triumfos dedere. *Neſcit aliquid*, ut ille dixit, *ab his naſci mediocre. Tot probati, quot geniti, &, quod difficile provenit, electa frequentia.* Sic velut ex perenni & inexhauſto fonte, ab infinitis ſupra memoriam noſtram ſæculis, pulcherrima virtutis & gloriæ hereditate, tot maximorum Heroum imagines in vos dirivatæ ſunt. *De vobis tamen juſtius credimus meliora, quia ſequimini. Nam ſemper eſt diligentior imitator prioris: quando illi præcedentis bona licet eligere, & nova cumulare.* Fortunam enim, cujus fabri ipſi fuerunt, vos jam florentem accepiſtis. Gloriæ vobis eſt majorum ſplendor; & majoribus veſtris, tales tantoſque Heroes, quales quantique vos eſtis, genuiſſe. Agnoſco meam tenuitatem. Tanta ego vobis non adſcribo, ut non plura merueritis. Venio ad vos, Vrbium Rectores prudentiſſimi. Eſt quod in ſingulis veſtrûm admiremur. Tu DORDRECHTVM antiquitate, Stapula, & primo inter Vrbes conſeſſu venerabilis. Peculiare etiam tibi Virginis cognomentum; quod, ſtupratis ſororibus tuis, inter Flandrorum & Brabantorum furores, illis ad populationem agrorum, his ad Vrbium excidia converſis, ſola adverſus ferrum ſteteris invicta. Tu HARLEMVM arte typographica à cive tuo inventa eam gloriam conſecuta es, quam nulla unquam ætas obliterabit. Non tantum patria hæc, ſed univerſus terrarum orbis & omnes bonæ artes, illam artium conſervatricem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

cem, imo matrem, tibi referunt acceptam. Merita certe es, ut Typographia, cui primam lucem dediſti, nomen tuum Albo æternitatis inſcribat. Tu DELFVM optimi maximi Principis, FREDERICI HENRICI, natalibus memorabilis. Quod enim Auctor ille & Stator hujus imperij, Belgici nominis gloriam in ampliſſimum faſtigium extulerit, quod vi conſiliorum ejus fugati hoſtes, quod validiſſimæ urbes devictæ, quod magni terroris bella auſpiciis ejus ſepulta, id tibi etiam debetur, quia genuiſti. Tu LEYDA ut vetuſtate tua merito poſſis gloriari, ita illud in te potiſſimum, quod Muſarum decus & præſidium merita ſis appellari. De Academia tua loquor, quæ ampliſſimis privilegiis & eximiis ornata ingeniis, nobiliſſimos quoſque Iuvenes è longe diſſitis regnis, ad capiendum animi cultum, ad ſe invitat. Et glorietur merito æterna iſta Domus, Viros Principes ex ſe prodiiſſe. Tu AMSTELODAMVM Chriſtiani Orbis Emporium celebratiſſimum, id omne in te habes, quod ſingulæ Orbis partes oſtentant. Vterque Indus aurum tibi ſerit & metit: & quo Sol radios, eo famam & terrorem nominis tui tranſfundis. Quare ipſe auguſtiſſimus Cæſar Maximilianus regalem capiti tuo Coronam impoſuit. Talis galea bellatricem Vrbem decebat. Neque potuit hoc te dignius reperiri paludamentum. Regalem coronam Vrbium Regina meruiſti. Tu GOVDA Floræ & Pomonæ amæniſſimum domicilium. Tu ROTERODAMVM magnum illum Eraſmum, quem Gouda conceperat, in lucem ediditi. Nihil præterea dico. Satis illud magnum eſt. Tu HORNA felicitatis om-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

tis omnis & ubertatis Cornucopia. Tu ALCMARIA cos Friſiorum virtutis, quos aſſiduos olim & anniverſarios hoſtes habuiſti. Quod tempus tibi neſcio utrum clade funeſtius fuerit, an virtutum experimentis ſpecioſius. Cæteras in tanta brevitate affari ſuperſedeo. Vos, Patres, opellam hanc, nominis veſtri gloriæ nuncupatam, accipite. Tantum fecimus, quantum potuimus. Satis mihi eſt hanc laudem meruiſſe. Agnoſco tamen ingenue: nihil eſt quidquid fecimus. Verba tantum impendimus. In maximas anguſtias redactum me ſentio. Proinde ad Clementiam veſtram confugio, quæ ſola ad audendum me incitavit. Voto finiendum ſit. Deus optimus, maximus Præſtes ac Stator Batavici Nominis ſervet in hoc ſtatu Remp. veſtram, in quo nunc eſt, quod nullus melior inveniatur; vos autem Reipub. veſtræ diu florentes, diu ſuperſtites. Deus præſtet, præſtabitque hanc imperio veſtro felicitatem. VT SALVI SIMVS, DEVS OPTIME MAXIME, SERVA NOBIS PATRES. HIS SALVIS SALVI ET SECVRI SVMVS, VERE, VERE. EXAVDI DEVS. CONSILIIS SENATVS FELICITER. EXAVDI DEVS. VICTORIÆ MAXIMI PRINCIPIS FELICITER. EXAVDI DEVS. REIPVBLICÆ FELICITER. EXAVDI DEVS. VT. SALVI. SIMVS. PATRIBVS. VITAM. PATRIBVS. ÆTERNITATEM. SALVI. SIMVS. Lugduni Batavorum anno MDCXXXII.

Illuſtriſſ. Amplit. Veſt.

Devotus

MARCVS ZVERIVS BOXHORNIVS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

EX

GVILHELMI HERMANNI Goudani

EPISTOLA

AD

HOLLANDOS.

HOLLANDIÆ MEÆ GRATVLARI SOLEO; QVOD IAM MAGNA EX PARTE BARBARIEM EXPLOSAM, SICQVE BONAS ARTES VIGERE ATQVE ETIAM IPSAM POESIN INTELLIGAM, VT ITALIAM AD NOS DEVENISSE CREDIDERIM. SVNT NOBIS PLANE VIRI, QVOS, SI GLORIARI LICET, MIRENTVR GALLIÆ, MIRETVR ITALIA. QVOD SI IAM AB INFERIS EMERGAT MARTIALIS, BATAVORVM AVRES, QVAS TVNC QVASI RVDES NOTABAT, NVNC CERTE ERVDITAS HAVD DIFFITEATVR.

CAN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

CANDIDE LECTOR,

FActum à nobis tandem eſt, quod ampliſſimi & patriæ antiquitatis ſtudioſi viri ſem-
per voluerunt. Hollandiæ veteris ac novæ novam & accuratam deſcriptionem hic
exhibemus. Qua, de Hollandiæ nomine, natura, ſitu, potentia, cultu, & incolarum
moribus nonulla, Urbium origines, progreſſus, incrementa, privilegia, quæ eas clades
afflixerint, quæ proſpera evenerint ſumus proſequuti. Inter clades ignis, aëris, & aquæ injurias,
bella civilia & externa numeramus. Inter proſpera, res domi foriſque præclare geſtæ, piæ & pro-
fanæ fundationes, Principum decreto remiſſa onera, & indulta privilegia, flos commerciorum,
virorum illuſtrium natales, aſperſi incolis cœli favores, aliaque his conſentanea habentur. Civiles
tamen motus, qui ſub Iacoba exorti graviſſimum toti Hollandiæ damnum intulere, ſemel & ite-
rum ſuo loco proſecutus ſum, nec in aliarum urbium deſcriptionibus ea recoquenda putavi, quod
eadem pene omnium ratio eſſet. Cætera omnia ex fide. Illud profiteor, nihil hic à nobis dictum,
quod non aliquis ſcriptorum pro certo ſuppeditaverit, aut ex actis monumentiſque publicis ipſe hau-
ſerim. Quod teſtatum facient plures hactenus ineditæ Principum tabulæ, antiquæ & recentio-
res, quas paſſim huic operi inſeruimus. Latinas ex membranaceo Cœnobij Rhenſburgenſis codice ſplen-
didiſſimi & nobiliſſimi viri beneficio fere deſcripſimus. Vernaculas ex civitatum Archivis ut
plurimum expreſſimus. Has Latio quanta fieri potuit fide & cura tranſcripſimus, ſed veterum in

(∴) (∴)

ſcribendis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

ſcribendis diplomatis ſtylo, quem mutare nefas putavimus. Hærendum enim paſſim fuiſſet, ſi Linguæ Romanæ majeſtatem & puritatem paſſim eſſemus ſectati. Cætera ex ingenio, ſeu civitatium origines & etymologiæ abſtruſiores indagandæ, ſeu quæ ab aliis tradita, & ab omnibus hactenus pro confeſſis arrepta minus fidei conciliare videbantur, fuerint refellenda. De candore autem meo palam hic omnibus teſtatum facio, omnia ea, quæ clariſſimi Viri, & præſertim Iohannes Iſacius Pontanus ac Petrus Scriverius, amici noſtri, ſuppeditarunt, eorum nomine me prodidiſſe, etiam minutiſſima, & quæ jam ante à nobis erant occupata. Si commiſſum aliquid ſit, aut omiſſum, monebis, mi Lector, & pro modeſtia tua excuſabis. Homo enim ſum, & quidem admodum adhuc adoleſcens. Quid quod pleraque ſemel tantum ſcripſimus, feſtinantibus typographis. Iterum dico, ſi quid peccatum à nobis ſit, indicent, aut quid reſtet, quod diligentiam noſtram fugerit communicent, eruditiores, ut alia editione admiſſa corrigantur & addantur omiſſa. Ita me & patriam ſuam æternum ſibi obſtringent. Vale, candide Lector, & labori noſtro fave.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Iuueni eximio & ad præclara omnia nato

MARCO BOXHORNIO ZVERIO,

cum Vrbes Bataviæ à ſe deſcriptas ederet.

LAus eruditæ gentis & decus rarum,
Cui vix juventa veſticeps genas ambit
Vix ora ſignat, erudite BOXHORNI,
Et jam procatur fama, jam ſibi jungit
Laborioſis indomabilem curis,
Quas ante fulget, ut domeſticos cœli
Nocturnus ignes, quæ reponit in luce
Nomen Batavum, conſecratque venturis;
Debere jam ſe ſentit ipſa Libertas,
Nexum nec unquam diffitebitur tantum:
Quod cum ſuperbis molibus, foris, templis,
Beata, dives, culta, non triumphata,
Cum civibus, cum civitatibus cunctis,
Spectanda terras nunc perambulat quaſvis,
Vita & Quirini civitate donata.

DANIEL HEINSIVS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

In Hollandiæ ejuſque

VRBIVM THEATRVM,

EDENTE

Clariſſimo Doctiſſimoque Iuvene

MARCO ZVERIO BOXHORNIO.

CVlte liber, magnum mundi viſure Theatrum,
BOXHORNI ZUERII nomina fronte gerens,
Non ignavus ades, venis at viſendus & ipſe;
Ingenij hæ dotes ſunt genijque tui.
Tu ſpectas orbem, ſpectandas tradis at urbes ;
Vrbes, quìs toto pulchrius orbe nihil.
Sidera quod cœlo, Batavis hoc oppida terris ;
Lumen ineſt illis, moribus iſta nitent.
Non munita ſatis, ſed quæ morata decenter
Oppida ; plus illis roboris eſſe ſolet.
Hic bellum videas, pulſari finibus hoſtem ;
Iſta foris, florent omnia pace domi.
Hæc meus, hæc primo memorat nunc ZUERIUS ævo ;
Quàm veniet mox his floribus alma ſeges!

Cognato ſuo F.

IOH. ISACIVS PONTANVS.

IN

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

IN THEATRVM
VRBIVM HOLLANDICARVM,
munerario atque editore
MARCO ZVERIO BOXHORNIO.

COGNITA cùm magnæ vix ſint natalia Romę,
Pluriaque Auſoniâ mœnia ſtructa manu.
Cùm tot & incertis Graias auctoribus urbes
Annoſo videas deperiiſſe ſitu.
Obſcuros noſtris miremur in urbibus ortus!
Natalem ſciri nec Thuridrechta tuum!
Harlemum exploſo ſimul ignorabile Lemo;
Et Delfam, quamvis Corbulo foſſor erat.
Lugdunumque vetus, laudatum nomine Leithis,
Sumptum à Lethæis ut videatur aquis.
Cætera quid narrem penitis abſconſa tenebris
Oppida: nunc oculis pænè videnda tuis.
Nos omnem Hiſtoriam, noſtraſque excuſſimus urbes;
Quæ partim è forulis juſſimus ire foras,
Er partim premimus, craſſam indignantia lucem,
Cùm pretium Muſis barbara turba neget.
Hic canat ergò ſibi, qui publica munia vitans
Aönias proprio vindicat ære Deas;
Secretoſque lares amat haud mercabilis ulli,
Civibus impendens otia tota ſuis,
Dum veterum culpas blanditaque ſomnia damnat,
Ardet & in laudes ire, Batave, tuas.
En meus, ingrato quantumvis, Zuerius, ævo,
Non ceſſat laſſo ferre rogatus opem.
Et nunc ille bono communi publicat urbes,
Reddit & Hollandis priſtina jura ſuis.
Tam benè, tam cultè, ut facilè huic ceſſura Theatro
Credam Romano ſparſa Theatra croco.
Magna crepent operæ magnis mercedibus emptæ,
Libera veridicum dextera pangit opus.

LARE SECRETO. LEGENDO ET SCRIBENDO

PETRVS SCRIVERIVS.
1632.

In Do-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

In Doctiſſimi Juvenis

MARCI ZVERII BOXHORNII

Theatrum Vrbium Hollandiæ.

QVicunque probitas aureuſque placet
Virtutis ardor, dum juventa eſt, optimè is
Vivit, beatuſque ac Deorum perpetim
Proles vocatur, & Voluptas maxima.
At quiſquis illum carpit ultrò tramitem,
Ut eruditæ templa ſcandat Palladis,
Et multa tentat ſedulus perdiſcere,
Conviva mox gratiſſimus ſit Cœlitum.
Deîn quiſque pergit, invidenda ſeculis
Tradens papyro, laureo circumdatur
Serto, madente per capillos nectare.
Te docte Zueri, care BoxhornI Nepos,
Seniſque fulcrum cum tuo Fratre unicum,
Quod manſit ipſi Breda poſtquam labitur.
Cujus regebat ſic diſertus incolas,
Vt pura pietas obſideret pectora,
Dum Maurus obſidet cupita mœnia,
Præcox juventas cuncta noſſe factitat,
Quæ noſſe quiſquam ætate tali poſſiet.
Phœbi Voluptas & Minervæ diceris,
Adoreamque debitam nanciſceris,
Edendo quidquid vel Latinus occulit,
Vel Græcus, Hellas quem vetuſta nutrijt.
Sed Fama ſummam buccinabit gloriam,
Quòd pingis Vrbes artifex Batavicas
Cruore ſepiæ entheoque ſpiritu,
Et mittis omnibus videndas exteris
Tàm ſcitè, ut omnes obſtupeſcant exteri.
Decus Bataviæ, & juventam Zuerij.

IOAN. BODECHERVS BENNING.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Honori Lectiſſimi Juvenis,

MARCI ZVERII BOXHORNII,

Philologi τοῦ πάνυ.

Theatra & amphitheatra, ſe quibus Roma
Iactavit olim, dente edace conſumpſit
Senſim vetuſtas: Nec videtur id mirum
Ipſam in animo rem cogitantibus verè.
Quæcunque enim mortalium manu facta
Sunt, vel manu tandem videmus everti
Mortalium, vel deficere reſiſtendo
Nimbiſque cæli, motibuſque terrarum,
Violentiæque fluctuum marinorum.
At mens flagrans amore laudis æternæ,
Ad gloriam labor per ardua & nitens,
Et pòſt-futuræ conſulens probè genti,
Quidquid ſub oras luminis ferunt dias,
Favente ſummi Numinis ſacro afflatu;
Id dens edax non deterit vetuſtatis,
Nec expaveſcit turbidas vices rerum,
Vireſque fati, triſtiumque Parcarum
Colos ſeveras. Tale prorſus hîc, ZuerI,
Phœbi & ſororum ter trium decus grande,
Mente ac labore, fortis Herculis ritu,
Condis Theatron urbibus Batavorum,
Spectandum in æde Memoriæ omnibus ſeclis.
Mente ac labore macte, Iuvenis, hoc tali
Tantoque! Sic aditur arx beatorum,
Sic nominis decus paratur æternum.

L. M. Q. ponebat Richardus Lubbæus *Wibelsburanus,*
ſcholæ apud Bergizomates Rector.

Honori ejuſdem, ex Propertio & Tibullo, mutatis mutandis.

Magnum iter aſcendis, ZuerI: dat gloria vires:
Non juvat ex facili lecta corona jugo.
Te referent Muſæ: vives, dum robora tellus,
Dum cœlum ſtellas, dum vehet amnis aquas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Τοῦ αὐτοῦ ἐπύλλιον

ΕἸΣ

ἘΡΡΙΚΟΝ ΒΟΧΟΡΝΟΝ,

φιλολόγον τε καὶ Θεολόγον τὸν πάνυ, τὸν τῆς ἐν Βρέδᾳ

Ἐκκλησίας ὀρθοδόξου περιπάλαι ποιμένα μάλιστα

γρηγοροῦντα.

Τῶν ἀνδρῶν τὸν ἀληθείης λόγον ὀρθοτομούντων
Εὐρὺ κλέος, Βοξορνὲ, καὶ δαιμονίης πολυδόξου,
Τῆς περὶ κυριακοῦ δείπνου, ποιητὰ βαθύφρον,
Ἕδνον κάλλιστον θυγατρός σεο κάλλιπες υἱοῖς
Τοῖς διδύμοις, λυγροῦ καὶ γήραος ἔμπεδον ἕρμα,
Εὐσεβίοντε, φρόνιντε, καὶ ἱστορίης ἐπίγνωσιν
Παντοδαπῆς, φιλίοντ' ἀνδρῶν σοφὸν ἦτορ ἐχόντων.
Ἔργον τοῦτο φρενὸς πινυτῆς διαβήσεται αἴης
Πείραθ' ὅλης, ἐξ οὗ φάος ἠελίοιο ἐσῆλθεν
Ἀγλαὸν εὐεπέος Σουηελάδαο θέατρον,
Δωμηθὲν Βαταβῶν πολίεσσιν ἐχέφρονι θυμῷ,
Μνημοσύνης τ' ἀναβαῖνον ἐς ἱερὸν ὑψιμέλαθρον.

שמשי לא יבוא

MAR-

MARCI BOXHORN-ZVERII BERGOBZOMANI

THEATRVM

ſive

ACCVRATA DESCRIPTIO

COMITATVS

&

VRBIVM

HOLLANDIÆ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

MARCI BOXHORN-ZVERII THEATRVM HOLLANDIAE GENERALIS.

CAPVT I.

HOLLANDIA unde dicta. an à ligni & arborum copia. Holtlandia ſcribitur in diplomatis. an verò à ſoli cavitate. De hac Mamertini verba, quæ in tranſitu notantur. Vera nominis origo, ratione & auctoritate confirmata. Danorum coloniæ & irruptiones. Olandia eorum & Zailandia. Coloniarum tranſmittendarum ratio. Olandia quid ſit. De Gothis ac reliquis gentibus Septentrionalibus. unde Belgicum guyt. *Nortmanni quando Hollandiam invaſerint. Chronographi Popularis & Iunij ſententia caſtigata. Danorum circa Bredam præcipua olim ſedes. Regino obiter emendatus. Hollandia Pagus. quo nomine olim dicta. quare Phlardirtinga Hermanno Contracto. Quid Marchia.*

COGITANTI mihi de Hollandia deſcribenda, quæ, ſine controverſia, fœderatarum Belgico-Germaniæ Provinciarum princeps fere eſt & caput, certe opibus & omnium rerum frequentia cum paucis omnino poteſt comparari; non alienum ab inſtituto fore videtur, ſi in anteceſſum futuri operis, de nomine, atque prima ejus origine nonnulla prælibavero. Solent enim, uti docent Sapientes, ipſa nomina nos deducere in ſolidam cognitionem rerum. Horum autem ratio in Regionibus, vel ab ipſis conditoribus, vel à populi ingenio & moribus, vel à loci natura & ſitu ut plurimum eſt deſumta. De Hollandiæ appellatione, & â quo fonte illa profluxerit, variæ ſunt ac diſcrepantes ſententiæ, quas breviter, quaſique per indicem prius recenſebo; ac deinde, quidquid ad veritatis indagationem & illuſtrationem obſervatum nobis eſt, ſtrictim quoque ſuperaddam. Hollandiam quaſi *Holt-landiam* nonnulli dictam volunt, à lignorum & ſylvarum, quas olim in hoc tractu fuiſſe aiunt, frequentia. *Holt* enim, ſive, ut nunc mollius loquimur, *Hout* lignum nobis deſignat; *Lant* regionem, ditionem. Nec omnino à vero horum abludit opinio, argumentis haud contemnendis ſubnixa. Plurimi enim pagi in *Waldt*, *Wout*, &

Eicken deſinentes, ſatis ſuperque videntur innuere, pleroſque Hollandiæ tractus arboribus nemoribuſque olim inhorruiſſe. Quod ipſum unamini fere conſenſu produnt noſtri Annales, aſſerentes Regionem hanc, ob montuoſa loca, & ſylveſtres amænoſque ſaltus, venationibus ac aucupio, quibus delectari Nobiliores ſolent, fuiſſe longe commodiſſimam. Certe Hollandiæ littus, quod Oceanum ſpectat, arbuſtis paſſim fuiſſe conſitum, quæ, progreſſu temporis, concitati maris violentia abſorbſit, illi adfirmant, quorum ætate nonnulla adhuc ſuperfuerunt: quibus, tamquam oculatis teſtibus, merito in hoc negotio habenda eſt fides. *Holtlandiam* autem, non *Hollandiam* legi in Comitum litteris, eaſque aureis obſignatas ſigillis à venerabili Domino Menardo, Abbate Hecmundenſi & primate ſuo, accepiſſe & vidiſſe ſe ait cap. 3. lib. 1. de Situ Batav. Cornelius Aurelius: cujus libellos, de Hollandiæ antiquitate, famæ & dignitati ſuæ reſtituit V. Cl. Bonaventura Vulcanius. Idem plane teſtatur Martinus Dorpius Naeldvicenus Epiſt. ad Hollandos in hæc verba: *Vocabulo nativo* Holtlandia *vocata eſt; ac deinde, quod aſperius id vaſtiuſque ſonaret, cæptum eſt dici* Hollandia. *Siquidem in Patroni mei, domini Abbatis Hecmundenſis inſigni Bibliotheca Annales vidi multis jam ſæculis aſſervatos; in quibus nunquam non inveni* Holtlandiam *annotatam, idque à lignorum copia, quam illinc Friſij, gens vetuſtiſſima nec minus nobilis, ſibi ſolent conquirere.* Accedit ad hæc etiam illud, quod in Teſſalia, Hollandorum verſus Septemtrionem inſula, ante ſæculum vaſta adhuc ſteterit & ingens ſylva: cujus rei certiſſimam fidem faciunt magno numero adhuc reliqua truncorum veſtigia, quorum injuria impeditum littus navibus periculoſam præbet ac incommodam ſtationem. quia radicibus intricati anchorarum dentes, haudquaquam extricari iterum poſſunt. Quamobrem & retia ſua iſtic jacere non ſolent piſcatores. Atque hæc in publicis commentariis relata ab ejus inſulæ Prætore Boſhuſio accepiſſe ſe tradit eruditiſſimus Hadrianus Iunius Hornanus, Vir ut ſingularis ingenii, ita Antiquitatis Batavicæ longe peritiſſimus: ad quam illuſtrandam conſcripſit illam Bataviam ſuam, omnium ſuffragiis laudatiſſimam: à qua tamen non uno in loco deflectimus, rationem & veritatem Hiſtoricam, quæ in controverſiis noſtris anima eſt, ducem ſequuti; dum aut alij Scriptores, quos incuria temporum ſepultos ipſe non vidit, aut longa dies meliora nos docuerunt. Alii Hollandiam ita appellari volunt à ſoli ſui cavitate, quaſi dicas *Hol landt*, id eſt, *terra cava*. quæ quidem receptiſſima vulgo eſt ſententia. Facit huc tritiſſimum inter noſtrates proverbium:

Neerlandt, eelandt,
Hollant bollant,
Zeelant geen-lant,
Ick houwe my aen den Heykant.

Adludit ad hoc etymon & ipſe Conradus Celtis, Poëta Germanus, qui floruit anno milleſimo, quadringenteſimo & nonageſimo. Verſus ita habent, carmine ad Rhenum:

Hollandique, cavis habitant qui littora terris,
Suſpenſi dubio per freta ſæva metu.

Et ea eſt hujus Regionis noſtræ aliquot in locis natura, ut, ſi curru aut equo veharis, obſerves ſolum veluti contremiſcere, ac ſi pendulum aquis ſupernataret. Similima ſunt, quę de Bataviâ, vel potius de hac veteris Bataviæ parte ſcribit Mamertinus, ſive Author Panegyrici Maximiano Herculeo dicti. Verba ſunt

iſta:

ſta: *Quamquam illa divinis expeditionibus tuis, Cæſar, vindicata atque purgata, quam obliquis meatibus Vahalis interfluit, quamque divortio ſui Rhenus amplectitur, pene, ut cum verbi periculo dicam, terra non eſt, ita penitus aquis imbuta permaduit, ut non ſolum qua manifeſte paluſtris eſt, cedat ad nixum, & hauriat preſſa veſtigium, ſed etiam ubi paullo videtur firmior, pedum pulſu tentata quatiatur, ut* (forte *et*) *ſentire ſe procul mota pondus teſtetur, ita, ut res eſt, ſubjacentibus* (videtur *aquis* aut quid ſimile deeſſe, ſine quo non conſtat ſibi ſententia) *innatat, & ſuſpenſa late vacillat.* Quæ quidem ille. Non minus lepidum eſt; quam admirabile, quod in hanc rem recitat Ludovicus Guicciardinus, de vacca, quam prope Harlemum, media fere ab Vrbe leuca, in agro lætiſſimo paſtus gratia oberrantem, in foveam delapſam demerſamque eſſe tradit, nec poſt tres dies ab hero viſam, donec in lacu Vrbi ad Orientem propinquo mortua fuerit inventa. Quod unicum, ſi non ſit vana fides, certo argumento eſſe debet ſoli Hollandici cavitatis, per quam ipſa hæc vacca, tanto agrorum intervallo, in hunc, quem jam dixi, lacum fuit tranſportata. non aliter atque apud Claudianum

occultus ſecurum prodit in hoſtem
Miles, & effoſſi ſubter fundamina campi
Tranſilit eluſos arcano limite muros.

Hollandiæ quoque etymon à vernacula voce *Hollen*, id quod panico & equino quodam furore ruere Latini dicunt, peti debere, contendit Reinerus Snojus Goudanus. Vult enim Carolum Calvum, primum, ſi Dîs placet, Comitatus Auſpicem, Hollandis, cum imperium Diderici Comitis perfracta & inſignita pertinacia detrectarent, nomen hoc merito impoſuiſſe. Sed modeſtia populi, & compoſita indoles non patitur ſibi turpem hanc notam inuri. Ac priores quidem ſententiæ ut nō ſunt omnino improbabiles, ita, commodiori adhuc viſa, ab animo meo aſſenſum impetrare neutiquam poſſunt. Illis enim accedo, qui Hollandiæ Zelandiæque nomen factum putant à Coloniis Nortmannorum (gentes ſunt ad Septemtrionem ſitæ, Norluidos *Nortluyden* vocat Regino) quos olim hic rerum fuiſſe potitos, nemo eſt, vel leviter tantum in hiſtoria hujus populi verſatus, qui neſcit. Sententiæ hujus primi auctores ſunt Petrus Nannius & popularis ejus Hadrianus Iunius, ac ante utrumque Ioannes Reigerſbergius. Certe integra apud Danos Regionum nomina etiamnum exſtant, quibus hi noſtri tractus appellantur. Ea Daniæ inſula, in qua Coppenhaufnia, regia illa civitas eſt, Zailandia & littoralis ora Scandiæ, ei quaſi adverſa, Hallandia nominatur, ſive Olandia, ut ſcribunt alii. De qua vide Chorographicam Deſcriptionem Regni Daniæ, una cum Danorum Hiſtoria editam à præſtantis ingenii & doctrinæ viro, Ioanne Iſacio Pontano. Civitatũ autem atque pagorum vocabula apud nos atque illos fere eadem. Hujuſcemodi ſunt Schaga, Berga, Valkenburgum, Iierlem, Worckemium, Woerdenum, & Nortvicus: ut adfirmãt omnes, qui illas Regiones peragrarunt. Quamobrem Hollandiæ nomen ab hoc fonte profluxiſſe, perſuaſiſſimum ſibi habent Antiquitatis noſtræ ſtudioſi. Coloni enim, occupatis jam terris, expulſo una cum incolis priori nomine, propria patriaque vocabula non raro imponebant. quod paſſim diſcere & videre eſt apud Dionyſium Halicarnaſſæum, Polybium, alioſque. Ita, teſte Trogo lib. XLIIII, poſt finem Trojani belli Teucer, morte Ajacis fratris inviſus patri Telamoni, cum non reciperetur in regnum, Cyprum conceſſit, atque ibi urbem nomine antiquæ patriæ Salaminam condidit. Inde accepta opinione paternæ mortis in Patriam contendit. Sed cum ab Euryſace, Ajacis filio, acceſſu prohiberetur, Hiſpaniæ littoribus

appulſus Gallæciam tranſijt, poſitiſque ſedibus genti nomen dedit. Sed quid remota adeo conſector? domi habeo novum & illuſtre exemplum. Batavi, patrum noſtrorum memoria, terrorem utroque Oceano circumferentes, navigatione in Indiam, quæ ad Orientem eſt, ſuſcepta, Vrbem ibi ampliſſimam potentiſſimamque, patrio nomine, Bataviam condiderunt. Ita Nortmanni his Regionibus Hallandiæ Zailandiæque ſuæ nomen indidere: ſive amore patriæ, quam relinquebant, ſive quod exſtare hic voluerunt æternum famæ & nominis ſui monimentum. Neque enim contra hanc ſententiam facit, quod Vir eruditiſſimus autumat, aliud longe *Hollandiam*, aliud eſſe *Olandiam* (ita enim ſcribit,) ſi vocis utriuſque genius & etymon ſpectetur: Olandiam dici ab *Oe*, quod inſulam Danis deſignat, cujus veſtigium retinere videtur noſtrum *Eilant*. Fieri enim poteſt, ut *Oelandia* primum, deinde vero, ſenio linguæ, *Hollandia* fuerit appellata. Vocabula autem nationum & populorum à prima origine ſua nonnihil diſcedere, notius eſt, quam ut multis neceſſe ſit confirmare. Imo vero *Oelandia* manifeſte legitur in MS. Chronico Gervaſij Ricoboldi Ferrarienſis, quod *Pomarium Eccleſiæ Ravennatis* inſcripſit. *Langravio mortuo*, inquit in vita Innocentij IIII, *eligi fecit in ejus locum Gulielmum Comitem Oelandiæ*, &c. *Olandia* etiam, non *Hollandia*, ſcribit Chryſoſtomus Sanctius Neapolitanus Epiſtola de ſitu & moribus Olandiæ. Quamquam Mart. Dorpius ſat ſcire ſe ſcribat, ſciolum aliquem illi homini, utpote extero & peregrino, ſcripturam hanc perſuaſiſſe, ac impoſuiſſe. Et ego illud urgere adeo non velim. Homines enim iſti, ſoli & cæli peregrini, inguinis & capitis quæ ſint diſcrimina ignorant. Ignorant vocabulis noſtratibus additas vel ademtas adſpirationes plurimum momenti adferre rebus, quas indicatas volumus; ut omittam, quod nec iſti animadvertunt, noſtrates non *Holandiam* ſcribere, ſed Hollandiam per l duplex. Sed nec illud obſtat, Nortmannos & Danos quidem dici, non autem Hollandos aut Zailandos; qui colonias ſuas in has Regiones ablegavere. Sub Nortmannorum enim nomine & hos intelligi, extra omne dubium poni debet. Cur ergo, inquies, ne vel leviter quidem horum meminere? quod celeberrima hæc Populorum Septemtrionalium expeditio, non Hollandis aut Zailandis tantum, ſed omnibus junctim fuerit adſcribenda: tum quod uſitatum ſit, omnes ſimul, celato ſingulorum nomine, generali aliquo appellare, quod ipſum ſinguli apud exteros fere tenent. Dabo domeſticum exemplum. Expugnatæ in Palæſtina Damiatæ gloriam Chriſtianis fere adſcribunt exteri Scriptores, non expreſſe facta Harlemenſium mentione; quibus tamen præcipuam partem deberi, & domeſticæ memoriæ, & Annales noſtri uno omnes ore teſtantur. Et Rollonem, famigeratum illum Nortmannorum Ducem, ex Scandinia, in qua ſita eſt Hallandia, prodijſſe diſertim tradunt rerum Normannicarum Auctòres. Nortmanni autem iſto ævo dicebantur, quos hodie *Gentium Septemtrionalium* nomine vocamus. Equidem non Danos modo, ſed & Gothos, Getas, Gepidas, Hunnos, Wandalos, Alanos, Hærulos, quos ex Scandinia progreſſos ſcribit Iornandes, & id genus alios, ſe per Chriſtianum orbem, tamquam examina diffudiſſe, dubitari non debet. Et operæ pretium fuerit huc tranſcribere, quæ in eamdem ferme ſententiam de Danis, Gothis & reliquis nationibus Septemtrionalibus tradit Hiſpanus doctiſſimus Ludovicus Pontius Cap. XX. Libri ſingularis, *De las Grandeſas de Tarragona*: *Layme*, inquit, *Ztecler eſcriptor nuevo eſcrive el ſitio de la dicha iſla Eſcancia diziendo, que eſta debaxo del Tolo Artico que eſt à la parte de Levante, donde ſon los Reynos ſiguientes, Gothia, Norvegia, Filandia, y Suecia, y otros tratando de los Godos refieren lo miſmo diziendo, que de ellos ſon ſalidas diverſas naciones, es à ſaber*

los Da-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

los Danaos, los Dacios, los Erulos, los Rigios, los Turcilingios, los Vandalos, y los Vinilos, que deſpues ſon dichos los Lombardos, y deſpues Borgonones. Ac paullo poſt ex Procopio ſubjungit. *Tambien dize lo miſmo Procopio en el libro terero, de Bello Vandalico. y que los Godos, y Viſgodos, Vandalos, y Alanos, ſe nombran todos por un meſmo nobre Sarmatas, y que tienen origen de Samario, y que ſon ſolamente differenciâdos por los Capitanes, que tuvieron, de los quales tomaron los nombres.* Ex his jam liquido apparet Schandiam, in qua Hallandiam ſitam eſſe jam diximus, inſulam Daniæ olim fuiſſe longe celebratiſſimam, èque illa Gothos, Norwegios, Finlandos, Suecos, Danos, Dacos, Hærulos, Rigios, Turcilingios, Vandalos, Alanos, & Vinulos prodiiſſe &, teſte Procopio, Ducum ac præfectorum nominibus tantum fuiſſe inter ſe diſcriminatos, communi autem vocabulo Sarmatas olim dictos, quemadmodum poſtea Nortmannorum, id eſt, gentium Septemtrionalium, nomenclatura fuere inſigniti. Horum populorum frequens mentio eſt tum apud alios, tum vero apud Patrum diſertiſſimum Salvianum; qui floruit anno Chriſt. CCC.LXXV. Hic jam tunc ſuo tempore à Gothis & Wandalis Hiſpaniam, Belgicam Galliamque vaſtatam, Maguntiacenſem, Trevirenſem, Agrippinam atque alias civitates expugnatas & funditus everſas ſcribit. Scite autem lib. VII. de Gubern. Dei: *Wandalorum,* inquit, *& Gothorum gens ignaviſſima de loco in locum pergens, de orbe in orbem tranſiens univerſa vaſtavit. Ac primum de ſolo patrio effuſa eſt in Germaniam primam. Poſt cujus exitium primum arſit Regio Belgarum, deinde opes Aquitanorum luxuriantium.* Tam inviſum autem horum nomen fuit, ut in proverbium pene abjerit *impietas Gothorum.* Teſtatur hoc idem, libro jam dicto: *Gothos*, ſcribit, *ac Wandalos hæretici nominis exprobratione deſpicimus, cum ipſi hæretica pravitate vivamus.* Ab his natum apud Belgas nomen videtur, *Guyt*; quo hominem ſceleſtum & facinoroſum conſuevimus appellare. De Gothis autem, Alanis & Wandalis plura qui volet, adeat Ludovicum Pontium, libro & capite jam dictis. Ego ab his redeo ad inſtitutum & tempora propiora. Quando enim Hollandiam Nortmanni invaſerint, inque eam colonias ſuas deduxerint, non conveniunt inter ſe eruditi. Nec mirandum hoc in tanta inopia & deliquio Hiſtoricorum, quibus barbara illa atque ſimplex ætas omnino fuit deſtituta: majoribus noſtris, cordatis mortalibus, plus curæ ponentibus in rebus præclare gerendis, quam in jiſdem, ad memoriam poſteritatis ſuæ, ſcripto conſignandis. Iunius quidem hanc Danorum irruptionem incidiſſe autumat in annum partæ ſalutis 837. quando ab illis Duroſtadium ferro & incendijs vaſtatum, Friſijſque tributum imperatum eſt, ut Sigeberti teſtimonio liquet. Petrus Opmeerus Amſtelodamus refert in annum 682. quo auctore neſcio. alij aliter. Nos quid ſentiendum ſit ex conjectatione noſtra non ſilebimus. Credibile igitur eſt Nortmannos uno alterove ſæculo, de quo accurate non conſtat, ante inſtitutum Comitatum, has oras bello infeſtaſſe & occupaſſe, ac alios quidem eorum, qui ex Hallandia Daniæ advenerant, Hollandos dictos, atque ab illis hanc, quam inſedere, regionẽ; alios vero, qui Zailandia profecti ſunt, Zailandos dictos, atque ab illis etiam hanc, quam incoluere, ditionem. Progreſſu vero temporis à Francorum Regibus bello impetitos, varia fortuna uſos fuiſſe, nunc penitus expulſos, nunc partem Regionis illis ademtam. Initio autem principatus Diderici Comitis & ſerie & nomine primi, non ad internecionem uſque deletos eſſe fugatoſque, ut exiſtimatum hactenus fuit, ſed permanſiſſe atque aborigines noſtros eſſe. Quam meam ſive conjecturam, ſive ſententiam mirum in modum probavi clariſſimo doctiſſimoque Petro Scriverio; cui plurimum debent illuſtratæ Bataviæ Antiquitates, pluria adhuc debituræ. Fieri enim poteſt, ut poſt tentatam

aliquoties

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

aliquoties vel proſperam vel adverſam fortunam, hæc terrarum portio jiſdem à Francis ſit attributa, ut alibi Normandia, aut vi occupata, progreſſu temporis, finitimorum principum connubijs, ad eoſdem legitime, quaſi per ętates & gradus ſuos, ſit devoluta. quod non ſemel factum produnt Annales. Fidem autem Chronologorum noſtrorum leviter dicentium à primo Comite ejectos eſſe Nortmãnos, ut alibi facile, ita heic facilimum eſt elevare. Scribunt enim Nortmannos tractũ hunc olim tenuiſſe, atque imperium Diderici primi Comitis pertinaciter detrectaſſe, poſtea autem vi & armis Caroli Calvi tentatos, in verba ejus juraſſe, ſeque ejus poteſtati, tamquam bonos & quietos cives, ſubjeciſſe. quæ ſi vera ſunt, ut quidem illi adſerunt eſſe veriſſima, ubi vel quare fuſi fugatique Nortmanni? quibus exturbatis neceſſe eſt totam Regionem à plebe & cultura hominum fuiſſe deſertiſſimam. Vides ut ipſa ſe deſtruat narratio. Accedit ad iſta, quod teſtatur Regino, circa annum 884, Nortmannos è *Denemarcka* (de hoc loco infra vide) *in Kinhrim*, id eſt Hollandiæ meditullium, veniſſe, ut adſentiente Godefredo Rhenum adſcenderent. Non igitur tunc temporis, nimirum anno 863, Nortmanni fuere expulſi. quod tamen contra veritatem Hiſtoricam & res illis temporibus à Nortmannis hic geſtas totiens repetit & recoquit plebs noſtrorum Chronologorum. Meretur autem ante alios fidem Regino, quem his fere temporibus conſtat floruiſſe. Cadit pariter etiam ſententia Iunij. Nam ab anno 837, quo irruptionem hanc Danorum, mutationemque nominis factam ſtatuit, & annum 863, quo, quamvis falsò, primum Comitem & ipſe & alij volunt inſtitutum, expulſoſque Nortmannos, intercedunt vix anni XXV. Atqui quis tam infans eſt & rerum ignarus, qui credat, tantillo temporis ſpatio tantũ in hac Regione Nortmannos valuiſſe, ut duraturum nomen ipſi impoſuerint, quod alias non niſi longo uſu frequentatum conſuevit uſurpari. Quis item credat generoſam hanc gentem, quam memoria priſtinæ nobilitatis tantopere ſemper agitavit, à prædonibus & pyratis, ejectis jam atque expulſis, voluiſſe denominari. Vero itaque ſimillimum nobis videtur, non exturbatos eſſe Nortmannorum Colonos, ſed fixas hic deſignataſque ſedes tenuiſſe; nec hic tantum, ſed & alibi, & præcipue in vicina Brabantia. Liquido hoc teſtantur relliquiæ illæ, quæ circa Bredam, non ignobile opidum, hodie adhuc videntur. Arx ipſa, quæ munitiſſima, Danorum opus dicitur. Prope Heidam, quæ duobus miliaribus Breda diſtat, vaſta domus etiamnum viſitur, **der Denen Huys** vulgo dicta. Antiquiſſimam eſſe ſtructuræ forma ſatis oſtendit. Erutum hic poculum è latere coctum, peregrina ſcriptura circumquaque exornatum, (Gothicam eſſe aut veterem Danicam mihi perſuadeo) quod ampliſſimus & integerrimus vir, Simon Pelgromius, Vrbis, dum fata Deuſque ſinebant, Prætor, domi ſuæ inter Cimelia aſſervabat. Nummos æreos & argenteos peregrinis litteris (Romanæ certe non erant) inciſos & videre & habere mihi olim contigit. quorum formam, ſi ad manum nunc eſſent, heic exhiberem. Continere autem hoc loco me non poſſum, quin Reginonis Prumienſis vexatiſſimum locum, qui tum aliorum, tum verò nobiliſſimi Douſæ acumen mirum in modum exercuit, prolixius excutiam. Locus eſt ad annum 884. *Eodem anno*, inquit, *Nortmanni, qui in Kinhrim & Danamarckam venerant, adſentiente Godefredo, Rhenum navigio adſcendunt.* Præſtantiſſimus doctiſſimuſque vir, & cognatus noſter Ioan. Iſacius Pontanus ita emendat: *qui in Kinhrim è Danamarcka venerant.* Sagaciſſimus Scriverius in ſcedis ſuis legit, *qui in Kainheim & Kainamarckam* (unde *Kenemaria* profluxit) *venerant*. Ego litterula una alterave leviter immutata ſic ſcribo: *qui in Kinhrim inde è Marcka venerant.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

rant. Vel ſic; *qui in Kinhrim & Marckam venerant*. Primum tamen magis adridet. Marcka autem, de *Merck* vulgo, Bredam & vicinos illos tractus, quos Danos incoluiſſe jam diximus, præterlabitur. Venerint igitur Nortmanni è Marcka in Kinhrim, ut jubente Godefredo, cum aliis Rhenum tranſmitterent. Videntur autem Regino & Sigebertus ſententiæ noſtræ reclamare; qui ad annnm 884. & 892 omnes hos tractus valide à Nortmannis adflictos fuiſſe teſtantur. Ex quo colligat aliquis in hæc tempora irruptionem Nortmannorum incidiſſe. Verum enim vero ita eſt ſtatuendum; Nortmannos, occupata jam Hollandia, populos vicinos atque circumiacentes admodum infeſtos ſemper habuiſſe. Sæpius cum his prælio congreſſos. Aliquando victos, aliquando iterum Victores fuiſſe. Ita anno 837 Duroſtadium Batavorum igne atque ferro evertiſſe, Friſiiſque, devictis jam ac debellatis, tributum impoſuiſſe dicuntur. Diſſimulare etiam nec poſſum, nec debeo, me in ea eſſe ſententia, ut credam, Hollandos colonias ſuas denuo in Boreales illos tractus, patrium & avitum ſolum, tranſmiſiſſe: ſive fæcunditate nimia, ſive belli jure graſſante victore, ſive Patriæ ſuæ amore fuerint pellecti. Excutiant tamen hæc accuratius, quibus otium. Mihi, pro inſtituto, de Nortmannis, eorum Coloniis, atque Hollandiæ denominatione dicta & ſcripta hæc ſufficiunt: cum lege tamen, ut ille inquit, reſipiendi & reſiliendi, ſi quis meliora. Et jus ſit unicuique verius certiuſque quid extundere, nobis ultro manum daturis, felicioribus ingeniis. Quamquam valde vereor, ut cuiquam ſit ſub manus ſucceſſurum hoc negotium, in tanto deliquio bonorum Scriptorum. Quod autem vir doctiſſimus exiſtimat, cum in Trajectinis tabulariis mentio fiat pagi, cui nomen Hollandia, à vero forte non abire, hunc ipſum pagum fuiſſe avitum Diderici Comitatum: in cujus vocabuli conſortium mox totum hoc eidem principi creditum imperij corpus venerit, id, quod bona ejus pace dixerim, longius à vero diſcedit. Vt enim omittam incredibile illud videri ignobilem pagum hunc, cujus alibi nulla mentio, & hodie ne veſtigium quidem exſtat, Comitatus dignitate & titulo fuiſſe inſignitum: fieri non poteſt, ut Didericus, Aquitani, quod volunt, Principis filius, pagum hunc aut agnoverit, aut poſſederit, occupato jam aliquot ſæculis à Nortmannis toto illo Hollandiæ tractu. Nomen autem, quo ante Danorum irruptionem Hollandi vocabantur, Friſiorum fuit. Videtur enim tunc temporis horum ditio atque vocabulum longe lateque patuiſſe. Ita Tielam, Trajectum, Flardingum, Rhensburgum Friſiæ ſeu Freſiæ adſcribunt antiqui Auctores. Hollandia etiam cum pleriſque aliis Belgii Provinciis *Auſtraſiæ*, ſive *Franciæ Orientalis* nomine antiquitus fuit comprehenſa. Regio enim illa, quæ Rheno quam proxima erat, teſte Turonenſi lib. 5. cap. 14. non *Auſtraſia* tantum, ſed *Teutonica* etiam *Francia* appellabatur; quod ejus incolę lingua præſertim Teutonica uterentur. Francia autem hæc Teutonica, non ſuperiorem modo Germaniam, quam *Belgicam primam* vocat Salvianus, ſed & inferiorem, quam *Belgicam ſecundam* idem appellat, complectebatur. Patet hoc ex illa Ludovici diviſione, qua, præter alia, Auſtraſia hæc, quam diſertim *Germaniam* vocat Michaël Ricius Lib. 1. de Regibus Francorũ Lothario fuit adſignata; cui Rhenus, Moſa, Vogaſus mons, Carbonaria ſylva, Scaldis atque Oceanus ad Sequanam uſque includebantur. Quo ſpatio noſtra ætate continentur, præter alias ſuperioris Germaniæ regiones, Namurcum, Limburgum, Leodium, Brabantia,

Flandria, Clivia, Iuliacum, Gelria, Hollandia, Zelandia, Trajectum ac Zutphaniæ Comitatus : ut liquido oſtendit in politiſſimis illis Originibus Francicis V. Cl. I. Iſacius Pontanus lib. 5. cap. VII. Præterire etiam non poſſum Hollandiam Fladirtingæ ſeu Flardingæ nomine indigetare Hermannum Contractum ad annum Chriſti 1048, quo ipſo hunc fere conſtat floruiſſe. Agens enim de Theoderico quarto, & bello ejus, quod cum Imperatore Henrico III. geſſit, in hæc verba ſcribit: *Theodericus quoque de Phlardirtinga Marchio rebellaviſſe, & Epiſcopatus ſibi contiguos ad injuriam Imperatoris populatus eſſe nuntiatur.* Ac ne quis putet Vlaerdingam tantum, opidum Hollandiæ antiquiſſimum, cujus nomen & rudera hodieque exſtant, non vero totam Regionem deſignari, paullo poſt Provinciam appellat: *Principes*, inquit, *cum Leodienſi Epiſcopo, Trajectenſi & Metenſi congregati, Theoderico in Plardirtinga inſidias tendunt, commiſſaque pugna victum occidunt & Provinciam illam imperatori ſubjiciunt.* Hollandia autem non apud ſuos, ne cui error offundatur, ſed exteros tantum Friſiæ & Phlardirtingæ nomine, à principe nimirum gente & urbe, illa ætate audivit. Vnde apparet fruſtra eſſe, qui ex hoc loco nuperã & recentem admodum Hollandiæ appellationem eſſe contendunt; præſertim cum Theodericus hic *Hollandienſium Comitem* ſe dicat illo in Diplomate, cujus apographum ex Heda legitur apud Douſam filium Holland. Annal. lib. x. Quamquam nec Hedæ, nec, qui ipſius ſententiam ſecutus eſt, Douſæ, aſſerentibus Theodericum hunc primum exſtitiſſe, qui adjecta Hollandiæ, cui præerat, appellatione, titulum ſuum auxerit atque ampliaverit, adſentiri non poſſim ob cauſſas, quas alibi, & quidem ſuo loco, pluribus dicam. Et vero *Marchia* apud ævi medij scriptores pro regione & territorio uſurpatur; ita dicta vel à *Marck*, quod equum, teſte Pauſania, Germanis notat, vel à *Marcka*, quod limitem ſeu finem deſignat apud Gallos : in quam rem vide ſis elegantiſſimam appendicem de officijs Regni Galliæ Cl. V. Cæſaris Bulengeri. Neque ego putem totam Hollandiam, prout illa nunc ſe expandit, Phlardingæ nomine indigetari ab Harmanno, ſed tantum aliquam ejus partem. Et mirari aliquando libuit, cur eruditi & in patriæ Antiquitatibus verſati Viri Theodericum quartum, ob hunc Contracti locum, non Comitis, ut reliquos, ſed contracto nimis Marchionis titulo inſigniverint : cum apud hunc & alios iſtius ævi Scriptores viri Principes, *Marchiones* fere dicantur. Ita Balduinus Calvus, Comes Flandriæ, Marchio appellatur in Epitaphio, quod Gandavi legebatur :

Qui legis hæc tu noſce, quod hic tumulatus habetur
Marchio Balduinus, culmen honoris erat.

Et ejus filius Arnulphus Vetulus :

Jus ſubiens mortis Arnulphus Marchio fortis
Legerat hic regimen judicis uſque diem.

Atque his quidem hactenus viſum hicce operam dare : quam tametſi leviuſculam Zoïli ſi forte quipiam præpoſteri cenſeant, atque deprædicent, eſſe tamen aut alijs aut mihi certe perditam, quæ in rem & nomen patriæ impenſa eſt, nunquam equidem duxero.

CAPVT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

CAPVT II.

Hollandiæ deſcriptio. Magnitudo ejus, longitudo, & latitudo. Vrbes majores & minores. earum ordo & dignitas. cur quædam ad Hollandiæ Ordinum Comitia non admittantur. Opes earum & Privilegia quædam generalia. Flumina. Municipia. Pagi. Inſulæ. Arces. Ædes magnificæ. Vetus & nova Hollandiæ facies. Flardinga, Renſburgum, Geervlietum, Beverwicum & Verona, quæ jam intercidit, olim inter præcipuas urbes numeratæ. Mutationem cauſſæ.

BELGICA, quæ & *Germania inferior*, vulgò **Nederlant**/in decem atque ſeptem præcipuas partes findi conſuevit: quarum *Ducatus* quatuor; *Brabantia*, *Limburgum*, *Luxiburgum*, & *Gelria*: ſeptem Comitatus; *Flandria*, *Arteſia*, *Hannonia*, *Hollandia*, *Zelandia*, *Namurcum*, *Zutphania*. *Marchionatus S. Imperij*. Dominia quinque; *Friſia*, *Machlinia*, *Trajectum*, *Tranſiſelana ditio*, & *Groeninga*. quibus Ducatus *Clivenſis* ac *Iuliacenſis*, Archiepiſcopatus *Cameracenſis*, cum *Leodienſi* Provincia, vulgo adjungi ſolent. De quibus omnibus non eſt hic agendi aut ſcribendi locus. Hollandia tribus è partibus tangitur Oceano, ita nominibus, ut locis differente. Britannico quidem ab Occidente, Cimbrico à Septemtrione, Flevo autem, vulgo de **Zuyder Zee** / ab Oriente. Ipſa in meridiem porrecta Moſam flumen & Brabantiam habet, ad auſtrum Trajectenſem ditionem & Gelriæ partem proxime contingit. Magnitudine facile crediderim ab alijs ſuperari; ſiquidem modicis terminis continetur. Quamquam hic nullæ, ut alibi terrarum, vaſtæ ſolitudines. Ipſa Regio paſſim exculta. Pro multitudine autem hominum, & pro gloriæ amplitudine anguſti nimis fines. In circuitu enim leucas ſeu miliaria tantum numerat ſexaginta. Longitudo ejus inde ab inſula *Schellinga*, ad Septemtrionem poſitâ, longo rectoque fere tractu, juxta littus maritimum, uſque ad *Schaldiam*, non ignobilem Zelandiæ inſulam, expanditur. Latitudo eſt arctiſſima. quæ, ubi maxima creditur, in ſeptem tantum aut octo miliaria dicitur abire. In ipſo autem Hollandiæ meditullio, iter carpenti, trium horarum ſpatio, hinc ad Oceanum, illinc denuo ad extremos illius fines patere aditum ferunt. Ex quo apparet, Hollandiam faciem & formam litui hoc ſuo ſitu referre. Eſt autem lituus, ut docent Grammatici, tubæ ſpecies, differtque à tuba, quod ille equitum ſit & aduncus ſeu incurvus, hæc peditum & directa. Vrbes ſunt opum & populi frequentia clariſſimæ; *Dordrechtum*, *Harlemum*, *Delfum*, *Leida*, *Amſtelodamum*, *Gouda*, *Roterodamum*, *Gorichemum*, *Schiedamum*, *Schoonhovia*, *Briela*, *Gertrudisberga*, *Heuſda*, *Worichemum*, *Viana*, *Woerda*, *Oudewatera*, *Iſelſteinium*, *Aſpera*, *Hueclomum*, *Leerdamum*, *Naerda*, *Weſopum*, *Muda*, *Almæria*, *Horna*, *Enchuſa*, *Edamum*, *Medenblicum*, *Monachodamum*,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Purmerenda. Neque enim habenda fides eſt Chryſoſtomo illi Neapolitano, qui Vrbes foſſa & muro cinctas duodecem tantum Hollandiæ adſcribit: cum ad eam, quaſi canis ad Nilum, acceſſerit, & ſex dierum ſpatio, quod ipſe de ſe fatetur, totam peragraverit ac viſitaverit. Civitatum Hollandicarum aliæ majores, aliæ minores vulgo dicuntur. Majores olim quatuor tantum erant, *Dordrechtum*, *Harlemum*, *Delfum* & *Leyda*: quas principaliores & privilegiatas vocat Ioannes à Leydis, cap. 1. lib. 1. Hodie crevit earũ numerus, *Amſtelodamo* & *Gouda*, ob magnitudinem, in quã nunc excrevere, adjectis. Proximæ has dignitate ſequuntur *Roterodamũ*, *Gorichemum*, *Shiedamum*, *Schoonhovia*, *Briela*, *Almæria*, *Horna*, *Enchuſa*, *Edamum*, *Monachodamum*, *Medenblicum* & *Purmerenda*. Hæ ſolæ ad publica Hollandiæ Ordinum Comitia, quę ſingulis fere trimeſtribus publicę rei cauſſa indicuntur, deputatos ſuos mittere conſueverunt. Opida autem reliqua ad hæc nõ admittuntur: Gertrudisberga & Heuſda, quod ſoli ſint Brabantici, ab Hollandiæ Comitibus armis olim ſub poteſtatem ſuam redacta; Worichemum, quod extra Regionis fines paullum remotum, & in ripa Gallica ſitum ſit. Viana, quod eam vel ſoli vel peculij Hollandici eſſe negent ejus Dynaſtæ Brederodij; Iſelſteinium, quod dubij & controverſi adhuc juris ſit inter Hollandos & Trajectenſes; *Woerda* autem, *Oudewatera*, *Aſpera*, *Heuclomum*, *Leerdamum*, *Naerda*, *Weſopum*, & *Muda*, tum alias ob cauſſas, tum quod non ſint tanti. Et ut præſtantiorum Vrbium opes, prout ante unum alterumque ſæculum ſe habuere, accuratius cognoſcantur, placuit hiſce attexere ex Regiſtris, ſive archivis publicis, quantum tributi unicuique à Principibus ſuis olim imperatum ſit. Anno igitur Salutis 1427, flagitante Philippo Burgondo, ſolverunt

Harlemum	5000	Scutatos
Leyda	3500	ſcut.
Delfum	3500	ſcut.
Amſtelodamum	3000	ſcut.
Roterodamum	1250	ſcut.
Horna	2000	ſcut.
Enchuſa	625	ſcut.

Dordrechti atque Goudę hic nulla ratio habetur, quia illa communi Suyt-Hollandiæ nomine cenſebatur, hæc, ſectâ veluti in duas partes Hollandiâ, Iacobam tunc temporis ſequebatur. Et anno 1461, flagitante Carolo Bourgondo 372800 Scutatos, ſolverunt

Dordrechtum cum reliqua		
Suyt-Hollandia	39200	Scutatos
Harlemum	3594	ſcut.
Delfum	3375	ſcut.
Leyda	3375	ſcut.
Amſtelodamum	2875	ſcut.
Gouda	1770	ſcut.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Civitates autem minores, ut in Regiſtro hoc appellantur,

Alcmaria	800	Scutatos
Rotterodamum	1150	ſcut.
Schiedamum	350	ſcut.
Horna	2000	ſcut.
Medenblicum	450	ſcut.
Enchuſa	470	ſcut.

Et reliqua civitatulæ, municipia, & pagi reliqui. *Scutatus* autem tunc temporis *ſtuferos* noſtrates quindecem valebat. Atque ita quidem iſto ſæculo ſe res habebant, nunc ita auctæ, ut Hollandia Belgicarum Provinciarum ditiſſima merito poſſit haberi; ex quo, florentibus commercijs, ille auri argentique imber in Hollandæ Danaes ſinum liberaliter adeo defluxit. Porro minores Hollandiæ Vrbes tantam auctoritatem in ſuos uſurpare non poſſe, quantam majores, tum alia, tum hoc quoque oſtendit: quod Sententiæ, à ſex Majoribus latæ, quæ centum & viginti florenorum ſummam non excedunt, ſub cautione exſecutioni mandari poſſint, non obſtante Appellatione. Quod ipſum Privilegium, anno 1580, Roterodamenſes etiam obtinuere. A Sententijs autem, quæ à minoribus Noort-Hollandiæ ſeu Weſtfriſiæ civitatibus (quales *Alcmaria, Horna, Enchuſa, Edamum & Monachodamum*) latæ ſunt, & triginta florenorum ſummã (quæ à ſuperiore longe diſtat) non exſuperant, nemini, cujuſcunque tamdem ordinis & dignitatis ſit, appellare fas eſt; ſed vero ſententiæ tales à Magiſtratu latæ, ſive Interlocutoriæ, ſive Definitivæ fuerint, ſub conveniente & ſufficiente cautione exſecutioni mandari poſſunt, non obſtante Appellatione vel Oppoſitione. quod privilegium ipſis conceſſum eſt, anno 1556. quo ipſo minores Suyt-Hollandiæ civitates, quales ſunt, *Briela, Roterodamum* (quod tamen idem cum Majoribus jus obtinuit, quoad Exſecutionem Sententiarum, ut paullo ante diximus) *Sciedamum, Gorichemum & Schoonhovia* impetrarunt, Nemini fas eſſe appellare à ſententijs iſtis, quæ viginti quinque florenos non excederent, &c. quod idem jus *Woerda, Vlardinga, Zevenberga, Geertrudisberga, & Haga* poſtmodum etiam ſunt conſecutæ. Ex quibus, ſi quis ad ſummæ magnitudinem vel parvitatem, de qua ferri ejuſmodi ſententia poteſt, attendat, unicuiuſque civitatis ordinem & dignitatem facile erit æſtimare, & videre, præſtantiora hac quidem parte Privilegia eſſe Majorum, quam Minorum. Nec id ſine juſta & gravi cauſſa. Vt enim de alijs jam non dicam, cum in Majoribus fere major ſit Magiſtratus numerus, quam in Minoribus, ipſa ratio docet, plus & majus quid deferendum eſſe judicio multorum, quam paucorum. Sed non eſt animus hanc diſceptationem ulterius ingredi; & converto me ad ſemitam inſtitutam. Opida Hollandiæ tam prope invicem contingunt, ut inter pleraque eorum vix tria aut quatuor paſſuum milia intercedant: quo fit, ut hi, qui vel huc vel illuc iter conferre ſuum volunt, ordonarijs, quemadmodum vocant, cymbis, quæ ſtatis diebus & horis ſolvere conſueverunt, facilime & commodiſſime tranſmittantur. Habet enim Hollandia paſſim ampliſſima limpidiſſimaque fluenta, quæ majorum noſtrorum ſingulari induſtria, quaquaverſum in omnes partes contorta & deflexa, remis veliſque commeantium, vix interrupta ſerie, indies frequentantur: quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

quam ob rem cc mmercia, & cum ijs publicæ privatæque opes, mirum in modum augētur & promoventur. Municipia, vulgo **Vꝛyheden**/ plurima in Hollandia viſuntur, quæ quamvis muris foſſiſque clauſa non ſint, Comitum tamen privilegiis atque immunitatibus municipalibns dotata atque ornata: Eorum præcipua ſunt, *Haga Comitis*, *Vlaerdinga*, *Delfshavia*, *sGraevenſanda*, ſive *Arena Comitis*, *Beverwicum*, *Scaga*, & *Neoportum*: quibus *Sevenbergam*, in ſolo quidem Brabantico ſitam, juris tamen Hollandici, & *Clunderam*, muro ab Auraico, cujus heredium eſt, cinctam, nonnulli adponunt. Numerat etiam Hollandia inſulas aliquot haud contemnendas, maris æſtu à reliquo corpore divulſas; *Texeliam*, vulgo **Texel**/ ob crebros navium adpulſus longe omnium celebratiſſimam, *Flevolandiam*, vulgo **Vlielant**/ *Schellingam* & *Wiringam*, quæ ad Septemtrionem ſunt: ad Ortum habes *Vrcam* & *Enſiam*; ad meridiem *Vorniam*, *Goeredam*, *Somerdicam*, *Corendicam* & *Piershil*. Pagos circiter quadringentos ſinu ſuo fæcunda hæc mater amplectitur: quorum plurimi, ſive loci ambitum, ædificiorum multitudinem, hominum frequentiam, ſive opes ſpectes, facile cum ipſis Vrbibus contendant. Celebrantur ante alios *Egmonda*, *Rensburgum*, *Valckenburgum*, *Riſwicus*, *Noortvicus*, *Voorburgum*, *Maeſlantſluyſa*, *Loſdunum*, *Geervlietum*, alijque complures, quorum omnium nomina recenſere non eſt hujus noſtri inſtituti: cum è tabulis Topographicis, accuratiſſime editis, & huic operi præfixis, commode peti poſſint. Omitto arces illas, quæ, uti Annales teſtantur, ampliſſimæ frequentiſſimæque olim in hoc tractu videbantur: nunc fere aut bello ſubverſæ, aut vetuſtate collapſæ præter famam & nomen nihil habent. Pauculæ adhuc ſuperſunt: quarum princeps *Louweſteinia*, ad Moſæ & Vahalis divergium, *Gorichemum*, & *Worichemum* inter, poſita. Omitto etiam ædes magnificas, paſſim, magno numero, à Nobilibus, & civium opulentioribus excitatas; ut fori, urbis ac honorum pertæſis tutiſſimi ſint & amæniſſimi ſeceſſus. Atque hæc quidem hodie Hollandiæ noſtræ facies eſt: quâ, tamquam matrona graviſſima, omnes in amorem ſui trahit & admirationem. Aliam longe ſuperioribus ſæculis fuiſſe ex illorum temporum hiſtoria clariſſime dilucet. Sic ad annum 1048 Hermannus Contractus *Flardingæ*, tamquam principalis civitatis meminit, cujus tamen umbram vix reliquam nobis longi temporis injuria ſervavit; & laborat Annalium fides, ut fuiſſe credamus. Ita *Rensburgum*, hodie tantum pagum, una cum Flardingâ ad annum eundem civitatem Friſiæ appellat, nec Civitatum tantum, ſed & munitiſſimarum elogio exornat Lambertus Scafnaburgenſis, coætaneus fere Contracto Scriptor. *Geervlietum* quoque, olim inter Hollandiæ opida numeratum: teſtante vitro illo, quod Hagæ-Comitis in Eccleſia majori etiamnum viſitur, in quo inter reliqua Geervlieti nomen atque inſignia comparent. *Beverwicum* inter præcipuas Hollandiæ civitates recenſetur, in illo urbium catalogo, quæ anno Domini 1468. Carolo Burgondo fidelitatis juramentum præſtitere. quem ſi quis legere & videre volet, adeat caput ſeptimum hujus libri, ubi eum ob hanc & alias cauſſas ex Archivis publicis integrum deſcripſimus. *Verona* etiam fuit; tanti nominis opidum, ut Iunius unicum & præcipuum inter minores Friſios emporium fuiſſe exiſtimet. Stetit haud procul Alcmaria, juxta pagum, qui à S. Pancratio nomen ſuum habet. Veſtigiũ ejus tenent in proximo agri, *Vroonenſes* vulgo dicti. Inſigne habebat, aquilam erectam, & ſpectantem cælum, cui adjunctus erat gladius, cum hac inſcriptione:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

SIGILLVM CIVIVM DE VRON-LEGEEST.

Sed nunc vere buſtum eſt, cujus tumulus vix exſtat, illa Mater Friſiæ; quo elogio ornatur in hemiſtichio iſto Chronoſtico, quo annus continetur, quo hæc tam præclara civitas à Ioanne Hannonio funditus deleta dicitur atque ſubverſa,

eCCe CaDIt Mater frIsIæ.

Et hanc ipſi næniam panxit & planxit Chronici Rhytmici auctor, quam in æternam ejus memoriam huc tranſcripſi:

Die van Oudorp mochten ten ſpele
Vertellen, dat ſy ſtille ſaeten,
En gheens oorlogen hem vermaeten
Als die van Vronen *haer gebure,*
Hadden gedaen ter ſelver ure,
Die daer verloren lijf ende goet.
My dunck wel dat hy is vroet
Die hem te tijde bedencken can
Eer hem de ſchaede comet an.
Als die Vrieſen hadden verloren,
Des ſy lange groten toren
Hebben mogen diere leuen,
Ghinckmen doe an ſteken brant
Ende verbernden al tLant
Dat dorp te Vronen *al-te-male*
Wat holpe hier of langhe tale?

Et civitatum aliæ, quę olim cum cęterarum invidia maxime floruerunt, adeo nunc ſunt abjectæ, ut nihil fere reliquum habeant, præter memoriam priſtinæ beatitatis. aliæ autem, vix in ullo olim pretio & dignitate, adeo excreverunt, ut nunc, quodam quaſi æſtu & torrente fortunæ in hunc magnitudinis gradum provectæ, tantum inter reliquas caput efferant ſuum,

Quantum lenta ſolent inter viburna Cypreſſi.

Nec mirandum eſt Regionum & civitatum facies immutari, in tanta fragilitate rerum humanarum; dum diluvia, tempeſtates, fulmina, terræmotus, incendia, ruinas, præcipitia, lapſus, cædes, bella, civiles motus, atque alia id genus fortuna, illa imperiorum & rerumpublicarum noverca, indies propinat. Vt de edaci vetuſtate, quæ omnia, etiam celſiſſima & munitiſſima quævis, abolere nata eſt, nihil nunc dicam. Et nemo facile credat, quantum paſſim terrarum ille Hollandiæ metator Oceanus abſumat. Cujus rei exemplo fuerint duo illi ampliſſimi pagi *Catvicus* atque *Scevelinga*, ille Leydam, hic Hagam prope, qui indies, cum magno & manifeſto decremento, marinis illis dentibus ambeduntur atque adroduntur. Et intra hos centum annos plus quam mediam eorum partem eſſe abſumtam, teſtantur ſenes, quibus major illorum facies adhuc in recenti memoria eſt. Quamquam illud interea negatum nolim, alibi terram, quam continuis alluvionibus ſenſim mare eructat, reliquo corpori veluti aſſui atque reponi. accedente præſertim incolarum induſtria, qui objectis aggeribus aquam omnem

omnem ita excludunt, & hydromilis exhauriunt atque exſiccant, ut terra, quæ nullo ante uſui erat, ſationi & hominum cultui longe aptiſſima reddatur. Agri autem iſtiuſmodi, præſertim frumentarij, fertilitate & fæcunditate ſua reliquos omnes, teſtante quotidiana experientia, longo intervallo poſt ſe relinquunt.

CAPVT III.

DIviſio Hollandiæ. Auſtralis & Septentrionalis. utriuſque urbes & termini. Auſtralis ſtricte ſumta. Maeſlandia. Schielandia. Delpholandia. Rhenolandia. Kinheimaria. unde dicta. Caninefates. eorum ſitus. Iunij ſententia confirmata contra Divæum & Heuterum. Amſtelandia. Waeterlandia. Marſaci qui, & unde dicti. Weſtfriſia. Friſiapones qui, & unde dicti. Goylandia. unde appellata. Sturij qui ſint. Iunij ſententia confutata. Plinius emendatus. Trajectum an præcipua urbs Hollandiæ. Quæ & quanta olim Trajectenſis Epiſcopi in Hollandia auctoritas.

HOLLANDIA eſt omnis diviſa in ſuas partes: vulgo quidem à ſitu in Auſtralem & Septemtrionalem. Auſtralis complectitur hæc fere opida, *Dordrechtum*, omnium caput, *Haremum, Delfum, Leydam, Amſtelodamum, Goudam, Rotterodamum, Gorichemum, Schiedamum, Schoonhoviam, Brielam*, quibus accedunt *Gertrudisberga, Heuſda, Worcomium, Viana, Woerda, Oudewatera, Iſelſteinium, Aſpera, Heuclomum, Leerdamum, Naerda, Weſopum, Muda*. Septemtrionali tribuuntur *Akmaria, Horna, Enchuſa, Edamum, Monachodamum, Medenblicum*, & *Purmerenda*. Obſervandum tamen eſt, *Harlemum* atque *Amſtelodamum*, ratione juris ac regiminis Eccleſiaſtici, Septemtrionali Hollandiæ adcenſeri. Synodi enim, ad quas frequentes Sacrorum Miniſtri confluere ſolent, in utraque Hollandia quotannis ſemel celebrantur. In his illa, quæ Rempublicam Eccleſiaſticam, atque ortas in ea lites & controverſias ſpectant, communibus omnium ſuffragiis diſceptantur. Hollandiæ autem Auſtralis & Septemtrionalis incolæ ut ſedibus, ita lingua quoque, legibus, habitu ac vivendi inſtituto haud parum inter ſe diſtant. Hollandia etiam in Auſtralem, Maeſlandiam, Schielandiam, Delpholandiam, Rhenolandiam, Kermerlandiam, Goylandiam, Amſtelandiam, Weſtfriſiam, & Waeterlandiam dividitur. Auſtralis quidem, vocabulo ejus ſtricte ſumto, Inſulas, Dordracenſem, Ablaſſerdamenſem, Clunderam, cum territoriis Viana, Gorichemo, Leerdamo, Altena, Heuſda, Gertrudisberga, Sevenberga, & circumiacentibus nonnullis regiunculis, quas nobis iſta Hollandiæ Tabula exhibet, complectitur.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Baliuviatu inſignis eſt, primariæ dignitatis. Metropolim Dordrechtum habet. Pagos & dominia iſta complectitur: *Werckendam*, *Duſſen*, *Beyerlandt*, *den Klundert*, *Beſoyen*, *Sprangh*, *Cappel*, *Zydewijn*, *Nederveen*, *Waſpick* minor, *Waſpick* major, *sGravenmoer*, *Raemſdonck*, *Drimmelen*, *Stanthaſen*, *Meruwede*, *Dortſmonde*, *Crayenſtein*, *langh Ambacht*, *kort Ambacht*, *Houweninghen*, *Dubbeldam*, *Puttershoeck*, *Mijns-heeren Lant*, *Heynkensoort*, *Wieldrecht*, *Develſtein*, *Ryſoort*, *Strevelshoeck*, *Stryen*, *Maeſdam*, *Heer-Ianſdam*, *de Lint*, *Kijſhoeck*, *Heer Oudelandt*, *Schobbelandt*, *Swijndrecht*, (à ſuum trajectu) *Sandelinck*, *Rieder-Kerck*, *Iſelmonde*, Orientalis & Occidentalis *Baerendrecht*, *Carniſſe*, *Papendrecht*, *Alblas*, *Alblaſſerdam* (hunc putant eſſe locum *Tabali* dictum in Tabulis Peutingerianis, in quîs ſub infima Bataviæ collocatur) *Nieu-Leckerlant*, *Streefkerck*, *Brantwijck*, *Molenaers-graft*, *Hofweghen*, *Blaskens-graef*, *Wijngaerden*, *Slydrecht*, (frequens eſt terminatio iſta in hoc tractu, cujus vim & originem in Dordrechti deſcriptione paullo poſt explicabimus) *Giſſen oude Kerck*, *Giſſen nieuwe Kerck*, *Hardunevelt*, *Crimpen* ad Leckam, *Crimpem* ad Iſſalam, *Ouwerkerck*, *Leckerkerck*, *Zuydbroeek*, (*Broeck* paludem ſignificat) *Bergh-Ambacht*, *Berkou*, & *Stolwijck*. Et Gorichemum, cum caſtro, arcem Louveſteiniam, Heuſdam, S. Gertrudisbergam cum arcibus ſuis atque pagis ad Auſtralem Hollandiam pertinere diſertim habetur illo in diplomate, quod Philippus Burgundus Dordrechtenſibus conceſſit anno 1447. *Maeſlandia* dicitur totus ille tractus, cujus latus Moſa, nobiliſſimum flumen, proxime alluit. Huic Briela opidum, Vlaerdinga, Geervlietum, Heenvlietum, Puttenolandia, Stria alijque pagi nobiliſſimi, præter inſulas complures, tribuuntur. *Schielandiæ* nomen eſt à Scia amne, unde & ſuum habet Schiedamum. Huic præter opidum jam dictum, & Rotterodamum & Gouda poſſunt adſignari. Delphum atque tota ejus ditiuncula *Delpholandia* ſolet appellari; cui adjungi poteſt Haga. Sequitur *Rhenolandia*, ab Rheni interlabentis oſtio ita dicta. Hujus caput conſtituunt Leidam. In qua ipſa Baliuvus Rhenolandiæ jus dicit. *Kinheimarios*, vernaculis ſcriptoribus *Kenemers*, *Keneſers* vel *Kermers* dictos, Iunius à ſecundo Rheni, ſive medio oſtio, apud Cattorum vicum, vulgo *Catwijck*, initium capere exiſtimat, longoque terrarum tractu, ſecundum colles arenarios, nobis *Duynen*, cuniculorũ ſtabulis antriſque in hunc uſque diem nobilitatos ſedes ſuas habere Harlemo tenus, ita ut Oceanum Britannicum, iniquum vicinũ, cum prædictis collibus habeant ab Occidente, à naſcentis vero Solis plaga Becam fluvium. Tria autem opida, Harlemum caput Regiunculæ, Almæriam (quæ tamen Weſtfriſiæ vulgo adſcribitur) & Beverwicum cum pagis circiter quadraginta duobus, attribuit illis Reinerus Snojus. Kinheimariæ nomen ſuum natum videtur à *King*, quod contractum à *Koning*, ut hodieque apud Anglos, Regem ſeu virum principem, & *Heim*, quod domum vel hoſpitium deſignat. Solebant enim olim in hoc tractu Hollandiæ Principes rite inaugurari. Inter Harlemum atque Almeriam mons eſt ſeu tumulus, D. Hadelberto ſacer, vulgo *Alberts-Bergh*, in quo Comites, tamquam Kinheimariæ Domini, ſollenni populi atque nobilium conventu, ſalutabantur. Clarius adhuc Chronographus popularis, qui Diviſ. I. c. XIII. diſertim teſtatur, prope hunc Adelberti collem olim Aulam fuiſſe Hollandiæ Principum celeberrimam, quæ nunc Hagæ Comitum eſt, ob ſitus amenitatem atque arces magnificas paſſim hic cõſtructas, quales fuere *Cleve*, *Brederode*, *Velſen*, *Rinichom*, quæ nunc Egmonda, & plures aliæ. Exſtant etiamnum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



hodie aliquot Comitum Litteræ, quę *apud Albertsberch* datæ ſunt. Sententia tamen eorum, qui Kinheimariã, à *Kinna* fluvio interlabente denominatam volunt, non eſt reijcienda. Kenemarij autē iſti ſunt veterum Caninefates; à loci natura quaſi *Caninefraters*, id eſt cuniculorũ helluones, ex ſententia IunI, ita dicti. Nec alienum videri debet à re tam levicula Regiones denominari, cum Gallia olim ab incolarum cultu in Comatam, Braccatam & Togatam fuerit diſtincta. Niſi magis vero ſimile ſit, Caninefates, ab eodem fluvio, *Kinna* vel *Canna* dicto, denominari. *Cannanefates* appellantur in illuſtri inſcriptione antiqua, quæ reperta apud Vulſinios, exſtat pag. ccc LXXXV, Operis Gruteriani:

L. CANNVLEIVS.

IN. ITALIA. VOLSINENSIVM. PATRIÆ. SVÆ. ITEM. FERENT. ET. TIBVRTIVM. ITEM. COLONI. ITALICENSIS. IN. PROV. BÆTICA. PRÆT. ETRVR. XV POPVLORVM. SACERDOTI. CÆNINENSIVM. M. HELVIVS M. F. CLEMENS. ARNENSI. DOMO CARTAGINE. PRÆF. EQ. AL. PRIMÆ.

CANNANEFATVM PRÆSIDI.

SANCTISSIMO. ET. RARISSIMO. CVRAM. AGENTE. L. ACONIO. CALLISTO. TRIB. MIL. LEG. XIIII. GEN. SEV.

Caninefates & Kinheimarios eoſdem eſſe, diſertim docet author anonymus in hæc verba; *Caninefates ſunt modo Kenemarij, à Kinna flavio ſic dicti, qui labitur apud Alcmariam infra caſtra Nuburch & Meddeburch, dividens Hollandiam à Friſia. Eſt autem Kenemaria Aquinolaris Hollandia, habens oppida Harlemum, Beverwicum & Alcmariam.* Sed repugnat huic noſtræ de Caninefatibus ſententiæ Petrus Divæus, uſus auctoritate Taciti, qui lib. Annal. 2. Cl. Labeonem Batavum, Cl. Civilis æmulum, ejus metu apud Batauos nil auſum, tumultuaria Nerviorum, Tungrorum, ac Bethaſiorum manu Caninefates ac Marſacos infeſtaſſe ſcribit. Ex quo colligit neceſſe fuiſſe Labeonem hunc, cum copijs, trajeciſſe Moſam, Lingam, Leccam, Rhenum, tum præcipuam Bataviæ latitudinem, ferocioreſque ejus populos eſſe emenſum, antequam ad hos Iunij Caninefates potuerit pervenire. Sed Iunius reſpondet hanc irruptionem Labeoni factu facilem fuiſſe. Primo quidem, quia prædatorijs veluti copijs Caninefates infeſtavit, quod clare loquuntur hæc Scriptoris verba, *Et furtim magis,*



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

quam bello Caninefates Marſacoſque incurſabat. ac proin haud operoſum fuiſſe, trajecto amne, paucis milliaribus confectis, improviſos ſubitario agmine, priuſquam cogi miles ac nomen dare poſſet, adoriri atque opprimere. Deinde, quia tunc temporis melior Caninefatum pars, Duce Brione, in caſtris Civilis aberat. Placuit tamen Divæi ſententia Ponto Heutero, qui lib. 1. ca. 12. Veteris Belgij ad hanc Iunij rationem, ſed frigide, reſpondet: *An non*, inquit, *adeo erant rerum imperiti Batavi ac Caninefates, qui domi relinquerent ſufficientem juventutem defendendo imbelli ſexui & ad tutandum fines remque familiarem?* Erant ſane, neque illis aſſiduæ curæ ac induſtriæ laudem derogamus; ſed interioribus his non proſpexerant, nihil de hoſtibus, nihil de Labeone, qui furtim magis, quam aperto bello graſſabatur, cogitantes. Cum autem ipſe Caninefates ad Bataviæ aliquod latus ponat, eo in tractu, ubi nunc inter Gorichemum & Dordrechtum omnia maris inundatione obruta ſunt, meliore jure rogavero, an adeo bellicarum rerum fuerint ignari Batavi & Caninefates, ut inter medios hoſtes poſiti, alio profecti, ditionis ſuæ fines militum præſidio non firmaverint? meliore dixi jure, quia ut fines tuti, atque hoſtium irruptionibus ſuſtinendis pares ſint, ante omnia dari opera ſolet. *Amſtelandia* à fluvio & urbe cognomine, quam complectitur, ita nominatur. Sequitur hanc *Waeterlandia*. quæ ab aquis, quibus tantum non innatat, nomen ſuum meruit, inter foſſas atque paludes ſita. Vrbes ternas complectitur, Edamum Monachodamum, & Purmerendam cum pagis nonnullis. Marſacos veterum eſſe ego exiſtimo. Veſtigium nominis tuentur fluenta plurima, quæ à *Maras*, vel contracte *Mars*, quod paludem, & *Meer*, quod mare nobis ſignificat, denominantur. Talia ſunt *Schermermeer*, *Wormermeer*, *t'Noortmeer*, *t'Monickermeer*, *Belmeer* aliaque. Eſt & in proximo mari, *Goutzee* vocant, inſula *Marckſen* nomine, quæ haud obſcure Marſacos redolet. Marſacorum, ſeu Marſaquæorum, meminit marmor hòc antiquum.

D. M.

T. HORTESIO. MVCRONI. NAT
MARSAQVÆO. V. AN. XXXXV. ÆL
VERINVS. ARM. CVST. EQ. SING
AVG. FRATRI. F. C.

Weſtfriſia eſt, ſtrictè accepto ejus vocabulo, quam *minorem* etiam *Friſiam* appellamus. *Weſt-Frigia* ſcribitur in Epitaphio, quod Atrebari in templo cathedrali legitur:

HIC IACET BONÆ MEMORIÆ REVERENDVS IN CHRISTO PATER, DOMINVS FORTIGARIVS, EPICOPVS ATREBATENSIS, DE OPPIDO BRVGENSI IN FLANDRIA ORIVNDVS, PHILIPPI DVCIS BVRGONDIÆ ET BRABANTIÆ CONSILIARIVS,



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

RIUS, S. WALBURGIS FURNENSIS AC ETIAM IN WEST-FRIGIA IN ECCLESIA TRAIECTENSI PRÆPOSITURAS PACIFICE POSSIDENS, &c.

Hæc aliquot abhinc ſæculis Hollandiæ adnumerata fuit & adſcripta. Civitates habet Hornam, Edamum, Enchuſam, Medenblicum & pagos longe plures. Hanc Friſiabonum olim ſedem fuiſſe nullus pene dubito. Nomen ipſum ſatis evincit; quod quare corruptum exiſtimet apud Plinium Philippus Cluverius cauſſam ego non video. Friſiorum coloni ſunt, ita dicti à *bona* vel *buna*, (hodie adhuc dicimus *een bunder of boender lants*) quod veteribus Friſijs ruſticum ſonabat. Apud Danos vero idem deſignat. *Bone* autem idem eſt, quaſi inhabitans terram. Patrem verò familias *husbonde* dicunt. ubi *bond* idem eſt quod nos dicimus *band*, ut ſit velut vinculum domus, nam *hus* domum notat. docente me Cl. V. Io. Iſacio Pontano. Ridiculum etymon ſemper mihi viſum eſt, quod profert Iunius; Friſiabones nimirum dictos eſſe quaſi *Friſiorum ſimias*; quod iſtius gentis forent æmuli, & moribus vitæque ſuæ ratione conſimiles. Et Friſiabones fuerint, qui Friſeones in inſcriptionibus antiquis;

D. M.

AUG. VERO. EQ. SING. AUG. NAT. FRISEO. T. ÆL. GEMINI VIXIT. AN. XXX. MIL. ANN. XIII. AUR. MOESICUS. HER. A. O. F. C.

Friſævo ſcribitur & legitur in iſto lapide;

D. M.

T. FL. VERINO. NAT. FRISAEVONE. VIX. ANN. XX. M. VII. T. F. VICTOR. EQ. SING. AUG. FRATRI. DULCISSIMO F. C.

Weſtfriſiam, late ſumto ejus vocabulo, deſcripſit politiſſimis verſibus, & quos ex ipſis Muſis natos diceres, Theodorus Velius; è quo paucula iſta in Lectoris gratiam excerpſimus:

WESTFRISIAM *tenui, ſed quo nos poſſumus, orſu*
Carminis exemtam tenebris ignobilis ævi
Inter honoratas liceat noteſcere terras:

D *Weſt-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Weſtfriſiam BelgI ſemper florentis ocellum,
Quæ pridem genti Batavum decus addita, rurſus
Aſſeruit proprium ventura in ſæcula nomen:
Weſtfriſiam inſignem prædivitis ubere glebæ;
Irriguam crebris hinc inde ſonantibus undis.
Quid loquar impoſitas pelagi tot fluctibus urbes
Egregias? magnis tot portus navibus æquos?
Quam primum, quam deinde canam? te ſidus amænum
Weſtfriſiæ, cunctis pariter terræque mariſque
Felix HORNA bonis? tu totius hoſpita mundi,
Dum ſimul omne vagis percurris navibus æquor:
Mercurio tu grata domus: tu blanda Camænis
Ingenuis nutrix: nec duri neſcia Martis
Tunc cum bella vocant. an te pulcherrima rerum,
Munditie atque hominum ſpendens ALCMARIA cultu
Non tu admota mari, lacubus ſed fulgida puris,
Pomifera, armentis & meſſibus utilis æque,
Felix & Triviæ donis? an vivida ponti
Te domitrix ENCHVSA, potens armiſque viriſque,
Et ratibus? latam muris ingentibus urbem
Quæ complexa tenes, ſuper & Garamantas & Indos
Cognita per totum diffuſis mercibus orbem,
Piſcatuque tuo, longoque immane Salinis
Diſpoſitu, crudi fervet nocteſque dieſque
Queis coctura ſalis? te navibus officina
Aſſiduo reſonans operæ fabrilis EDAMVM
Verbere? Te veteris Ratbodi Regia ſedes
Dia MEDENBLICVM, pelagi nunc inclyta cultu,
Dum vehis ac revehis varias per cærula merces,
Et tibi longinquæ numerant portoria terræ?
An te, quæ MONACHO debes & nomen & arma
Solerti pecorum ſtudio & felicibus arvis
Inſignis ſalſoque ſinu? Te ruris amæni
Proſpectu & lacuum nitidiſſima Purmerenda?
Salve ſancta parens, terram cum linqueret olim
Juſtitia, aſſiduis vitijs offenſa malorum,
Ultima diſcedens per te veſtigia fecit.

Reliqua eſt Goeylandia, quæ ſtatim poſt Trajectenſem ditionem initium capit, habetque Weſopum, Naerdam, & Mudam. Quod autem idem Iunius ſentit, Cauchos Plinio dictos Goeylandiam tenuiſſe, olimque Cauchlandos, velut Caucorum ditionis incolas, deinde paullatim ſenio linguæ Goeylandos fuiſſe tranſnominatos, longe nimis petitum videtur. Præſertim cum Ælius Spartianus in Didio Iuliano ad Albim Cauchos ponat. *Inde Belgicam*, inquit, *ſancte ac diu rexit. Ibi Cauchis, Germaniæ populis, qui Albim fluvium accolebant, erumpentibus reſtitit, tumultuarijs auxilijs provincialium.* Illud magis vero ſimile; dictam Goeylandiam eſſe, quaſi Goedelandiam, quia ditiunculam iſtam Imperator Otto I. Goedelæ, Cœnobij Altenatis Antiſtiti, donarat; quam poſtea Hollandiæ Comi-

tes ſub

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

tes ſub poteſtatem & imperium ſuum redegere. Atque hæc quidem trita Hollandiæ diviſio eſt. Aliam longe tradit Popularis Chronici Author cap. XIII. Diviſ. I. Findit enim Hollandiam in Batavos & Cattos. Batavos quidem initium capere vult à Gorichemo, ubi Rhenus cum Vahali in Moſam delabitur, complectique opida, Gorichemum, Vianam, Schoonhoviam, Goudam, Rotterodamum, Shiedamum, Delfum, cum Sturmerijs, de quibus poſtea, & Maeſlandis. Cattis vero, nobis *Catwijckers*, reliquam Hollandiæ partem attribuit, eorumque caput facit Leydam, attribuitque Woerdam, Oudewateram, & totum Rhenolandiæ tractum. Verum quam inepta ſit hæc diviſio ex ijs, quæ jam diximus, facile comparet. Sturmeriorum autem mentio facit, ut de his primum adſcribam verba Iunij, dein ſententiam meam. *Proxime*, inquit ille, *ſubjunguntur Sturij, ut in omnibus excuſis codicibus Plinianis legitur; quam ſcripturam ſive ex fide traditam, ſive audacule interpolatam, qui primi invenere, adſtipulatores invenerunt homines incurioſos & præpoſtere ingenioſos, qui non animadvertentes transrhenana loca à ſe in Ciſrhenanam ditionem conjici è Sturiis fecerunt Staurios, & non ſine ſupercilio interpretati fuere, quod ſcirent è pinacibus Stauriam maritimum eſſe Friſiæ opidum, Hollandiæ oppoſitum: quod quam ſit ineruditum & abſurdum, miror à nemine animadverſionis caſtigationiſque notam ſuſtinuiſſe in hunc uſque diem.* Et paullo poſt: *Aſt ego cicatrici, quæ Pliniani codicis cutem deformavit, ope vetuſti exemplaris Manuſcripti medebor, integritatemque lectionis vindicabo. In eo manifeſta & indubitata ſcriptura pro Sturiorum legas litteris non caducis exaratum, Tuſiorum. Tuſij autem introrſum ad dexteram Medenblicum verſus extendebantur; ubi gentis reliquias etiamnum ſuperſtites retinere videtur pagus* Oppertoes *dictus, quaſi dicas ulteriores Tuſios, ut veriſimilis conjectura ſuggerat, plures fuiſſe hoc nomine pagos, nimirum citeriores Tuſios & mediaſtinos, aut orientales.* Hactenus Iunius. Ac primo quidem quod de Tuſijs ſcribit probandum non videtur. Neque enim pagus ille *Oppertoes* vocatur, ſed *Opperdoes*, ut cuivis Hollandiæ tabulas inſpicienti ſatis patet. Rejicienda itaque eſt conjectura Iunij; dum abſtruſa locorum nomina pro libitu captuque ſuo transponit atque immutat: non aliter atque Alexander Magnus nodum Gordium novacula olim ſolvit, vel potius præcidit, ut totius Aſiæ imperio potireretur. In *Does* autem plurimi paſſim in Hollandia pagi finiuntur; quod unicum ſufficit ad ſubvertendam ſententiam Iunianam; niſi omnem Hollandiam Tuſijs velimus adſignare. Quod etiam ex *Opper* conjicit, præter hos & inferiores & mediaſtinos Tuſios fuiſſe, frivolum plane eſt. *Opper* enim, quod nemo neſcit, non tam diſcrimen locorum notat, quam ſitum; tribuiturque opidis vel pagis, in ſolo altiore poſitis, quod alibi divergit magis atque declinat. Exiſtimaverim igitur fictos illos Iunij Tuſios eſſe penitus exſtirpandos, & poſtliminio Sturios vel Styrios reſtituendos eſſe loco ſuo apud Plinium. Styrios dixi; quia perſuaſum habeo hujus lectionis haud obſcura veſtigia habuiſſe veteres illas & M S. Plinij membranas, quas à Ioanne Chauco accepiſſe ſe ait Iunius. De quo tamen admodum non contendam. Viderint illi, ad quorum manus, vel hic, vel alij libri Plinij, manu exarati, pervenerunt. Nobis non licuit eſſe tam beatis. Porro quod ad veteres Sturiorum vel Styriorum ſedes attinet, illas fuiſſe crediderim prope Beyerlandiam, uti haud obſcure docent plurima hujus nominis veſtigia, quæ adhuc reliqua ſunt in iſto tractu: ejuſcemodi ſunt *tOude lant van Stryen*, *t'Nieuwe lant van Stryen*, *Kromſtryen*, aliaque. *Stryen* autem contractum indubie eſt à *Stirien*; quod

quam ſæpe in Regionum & populorum vocabulis uſu veniat, nemo neſcit, qui in his talibus eſt exercitatus. Et *Stiriones* legiſſe apud Plinium videtur Cornelius Haemrodius, quem una cum Amſtelodamenſium hiſtoria edidit, & animadverſionibus illuſtravit V. Cl. Iſacius Pontanus. Verba Haemrodij ita ſe habent: *Reſtant ſoli Vriones ſive Sturiones, ut nonnulli habent libri, ſedes habentes humiles, & paluſtres multis & ingentibus lacubus invias, quas ab anno Salutis octingenteſimo & ſeptuageſimo mare paulatim adurens jam penitus abſorbuit: quo uſque ſe extenderint Vriones parum comperti habeo, &c.* Quamquam ejus populi reliquias adhuc ſervari in inſula Auſtrini maris, *Vrck* vulgo dicta, idem exiſtimet. quam ejus non improbabilem conjecturam haud velim impugnare. conſpirant autem cum hac ſententia noſtra verba Chronographi popularis; qui illos cùm Maeſlandis conjungit. Beyerlandiam autem & Stryenſem illum tractum Moſa proxime vel præter vel interlabitur. Atque hæc ſunt, quæ de Sturijs impræſentiarum habui dicenda; in quibus ſi errare contigerit, facile mihi ignoſcent humanitatis arbitri: præſertim ſi apud animum reputaverint ſuum, quam ſit opus periculoſæ plenum aleæ, in iſtis verſari, in quibus, propter abſtruſam veritatem & vetuſtatem, certa argumenta locum non inveniunt, ſed leves tantum conjecturæ. Venio nunc ad illos, qui Trajectum principem Hollandiæ urbem ac veluti Metropolim appellant: quos inter Bartholomæus ille, quem ſtatim in initio Annalium ſuorum in teſtimonium fere vocare ſolent omnes & vernaculi & Latini noſtri Scriptores. Hic libro XV. de Proprietatibus rerum, Hollandiam deſcripturus, ita infit: *Eſt autem Hollandia quædam provincia modica, ſita juxta oſtia Rheni; Vbi & mare intrat, in Europa, Brabantiæ contigua à meridie, vicina Friſiæ ab Oriente, Oceano Britannico conjuncta ab aquilone, inferiori Galliæ Belgicæ eſt propinqua, atque Flandriæ ab Occidente. Eſt autem terra paluſtris & aquoſa, fere ad modum Inſulæ, undique maris brachijs atque Rheni fluminis circumfuſa, habens lacus & ſtagna multa & paſcua valde bona, & armentis, pecudibus & jumentis eſt referta. Hæc provincia, quamvis ſitu terræ ſit parvula, multis tamen bonis ſingularibus eſt referta. Eſt enim nobiliſſimis multiſque oppidis & portubus maris inclyta. Cujus gleba in pluribus eſt valde frugifera, & in pluribus nemoroſa, plures etiam utiles habens venationes. In pluribus etiam eſt bituminoſa, ex qua formatur materia ad ignium nutrimenta. Eſt autem terra divitijs, quæ tranſeunt per mare & per flumina, plurimum opulenta. Cujus civitas capitalis* Trajectum *inferius nuncupatur in Latino,* Vtrecht *vero dicitur in idiomate Germanorum. Nam ad Germaniam pertinet, quo ad ſitum, quo ad mores, quo ad divinum cultum, & quo ad linguam. Cujus gens eſt elegans* (alij habent, *ingens*, quod magis huic loco & ſententiæ convenit) *corpore, robuſta viribus, audax animo, venuſta facie, honeſta moribus, devota Deo, fida hominibus & pacifica, minus prædis intendens & rapinis, quam aliæ Germaniæ nationes.* Ad quem Bartholomæi locum ita ſcribit Ioannes Leydenſis lib. I. cap. I. *Ex his igitur patet, quod Dioceſis Trajectenſis etiam includitur ſub hoc vocabulo Hollandia, non quia de Comitatu eſt Hollandię, ſed quia Bartholomæus, ut patuit, terram Trajectenſem etiam includit ſub hoc vocabulo Hollandia, ex eo quod dixit, capitalem Hollandię civitatem nuncupari Trajectum inferius. Sed hoc non videtur eſſe verum, ſi Bartholomęus pręfatus non æſtimaret Trajectenſem Dioceſim pro parte terrę Hollandię quia Comitatus Hollandię per ſe habet quatuor civitates principaliores privilegiatas.* Cæterum notabilia ſunt prorſus verba Pij Papæ, ſive Æneæ Sylvij Senenſis, qui cap. XXXVI Europæ, cum Hollandiam deſcripturus, Bartholomæi locum, jam à nobis recitatum, fere exſcripſiſſet, de Trajecto iſta ſuper addit: *Nec deſunt*

ſunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

ſunt, qui Trajectum nobilem Vrbem in Hollandia ſitam dicant. Nobis haud alienum eſſe videtur; aliquando Phriſię Trajectenſes, aliquando Hollandię traditos eſſe: ut ſępe regionum terminos dominantium imperia mutant. Noſtra quidem ętate (floruit & ſcripſit circa annum 1450,) *neque Phriſię, neque Hollandię dantur. Principatus Eccleſię Trajectenſis imperatori tantum ſubjicitur, latamque poſſidet terram, diverſis Rheni meatibus interclusam.* Quidquid horum ſit, illud conſtat, Trajectenſis ſedis Epiſcopum ante Belgicos hos motus, per univerſam Hollandiam, quoad ſacra & res Eccleſiaſticas, præcipuæ auctoritatis fuiſſe: ut pulchre diſſerit Ioannes Beka, Epiſtola dedicatoria quam Comiti atque Epiſcopo inſcriptam ſuo de Rebus Trajectenſibus Chronico præfixit. Et Abbatiæ Cænobiaque omnia, quæ in toto hoc tractu olim fuerunt, Dioceſi Trajectenſi adnumerantur in Litteris antiquis. Facit huc Bulla Clementis Papæ, cujus initium ita ſe habet.

Clemens Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterij Egmondenſis, ordinis Sancti Benedicti, Trajectenſis Dioceſis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Dilecta nobis Abbatiſſa & Conventus Monaſterij de Reinſborch, ejuſdem ordinis, dictæ Dioceſis, petitione monſtrarunt, quod cum olim in cauſa pendente, auctoritate litterarum noſtrarum coram Abbate Sancti Petri Gandenſi, Tornacenſis Dioceſis inter eoſdem Abbatiſſam & conventum ex parte una, & Abbatem & conventum monaſterij beatæ Mariæ in Middelborch, ordinis Præmonſtratenſis, ejuſdem Trajectenſis Dioceſis, ex altera parte, &c.

Ad Trajectenſem ſedem Eccleſiaſticæ omnes controverſiæ & lites diſceptandæ deferebantur, teſtantibus hoc paſſim varijs diplomatis: quę & ſupervacaneũ & otioſi hominis eſſet, omnia recenſere. Habuit & præter alia Antiſtes hic poteſtatem creandi & eligendi Abbatiſſam Rensburgenſem, primariæ quondam ac ſummæ apud ſuos dignitatis & auctoritatis: ut ex confirmatione Alexandri Papę liquet: quam, quia plurima ſcitu haud indigna, nec ab inſtituto hoc noſtro aliena & poſtmodum uſui nobis futura, complectitur, integram ex Rensburgenſis Cœnobij Archivis huc deſcripſimus:

Alexander Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filijs Majoris & Sancti Iohannis Trajectenſis, ac Sancti Pancratij Leydenſis Trajectenſis Dioceſis Eccleſiarum Decanis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Hodie à nobis emanarunt litteræ tenoris ſubſequentis. Alexander Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, ad ſtatum proſperum & felicem Eccleſiarum & Monaſteriorum omnium ac perſonarum, præſertim fæminei ſexus, in illis ſub ſuavi religionis jugo altiſſimo famulantium ſalubriter dirigendum, prout ex Apoſtolicæ ſervitutis nobis incumbit officio, ſollicite intendentes, Illa, quæ propterea per laudabilem conſuetudinem in eis introducta fore dicuntur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

ut firma perpetuo & inconcuſſa perſiſtant, libenter, cum à nobis petitur, Apoſtolico munimine roboramus. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Conventus Monaſterij monialium in Rijnsborch, Comitatus Hollandiæ, Ordinis Sancti Benedicti, Trajectenſis Diocæſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod in dicto Monaſterio, à tanto tempore citra, de cujus initio ſeu contrario hominum memoria non exiſtit, laudabilis conſuetudo hactenus obſervata fuit, quod Epiſcopus Traiectenſis, qui pro tempore exſtitit, electiones Abbatiſſarum dicti Monaſterij, quæ pro tempore factæ fuerunt, confirmare, nec non Monaſterium ipſum & illius perſonas viſitare & reformare haberet, & quod nulla inibi Monialis reciperetur, niſi de nobili genere, ex utroque parente, & quatuor Avis procreata exiſteret, ne ultra numerum quadraginta computatam Abbatiſſa aliquam monialem inibi recipere poſſet, quodque Abbatiſſa pro tempore exiſtens duas, & ſingulæ Moniales ſingulas, ac Rector Eccleſiæ ejuſdem Monaſterij, ratione curæ ac animarum unam, portiones ex fructibus dicti monaſterij perciperent, conſueveruntque etiam Abbatiſſæ hujuſmodi vocare ſeu deputare unum in dignitate conſtitutum, in cujus manibus profeſſio monialium in dicto Monaſterio pro tempore profiteri volentium, fieri deberet, ac Confeſſorem eligere idoneum, qui earumdem Abbatiſſarum, & Monialium confeſſionibus diligenter auditis, eas pro commiſſis, non tamem in caſibus ſedi Apoſtolicæ reſervatis, abſolveret, & eis injungeret pœnitentiam ſalutarem. Quare pro parte Abbatiſſæ & Conventus prædictarum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conſuetudini prædictæ pro illius ſubſiſtentia majori robur Apoſtolicæ confirmationi adjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Abbatiſſam & Conventum prædictas ac earum ſingulas à quibuſcumque excommunicationis ſuſpicionibus, & interdictis, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pænis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati conſuetudinem prædictam, quatenus ſit in uſu, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordonationibus Apoſtolicis ac ſtatutis & aliis conſuetudinibus Monaſterij & ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, cæteriſque contrariis quibuſcumque, Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, approbationis, confirmationis & communitionis

infrin-

infringere, vel ei niſu temerario contraire, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Milleſimo quadraginteſimo, nonageſimo nono, Tertio nonas Martij, Pontificatus noſtri anno octavo. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios prædictas litteras ac omnia in eis contenta, ubi & quando expedierit, ac quotiens pro parte Abbatiſſæ & Conventus prædictarum fueritis ſuper hoc requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſsis efficacis defenſionis præſidio aſsiſtentes, faciatis, auctoritate noſtra, conſuetudinem & litteras prædictas inviolabiliter obſervari, non permittentes eaſdem Abbatiſſam & Conventum contra illarum tenorem per quoſcunque quomodolibet moleſtari, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis, non obſtantibus omnibus ſupradictis, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit ſede indultum, quod interdicti ſuſpendi vel excommunicari non poſsint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romæ die & annis prædictis.

Atque hanc quidem controverſiam, occaſionem dediſſe ajunt graviſſimo bello, quod, anno Salutis 1017, Adelboldus, Trajectenſis ſedis Epiſcopus, Theoderico quarto, ſed fruſtra, indixit. Haud longe etiam poſt Henricus Imperator Wilhelmo Epiſcopo litteras, de reſtituto ipſi Hollandiæ Comitatu, conceſſiſſe dicitur, falſas illas, ſi quid judico, & ſuppoſititias, ut plures aliæ ejus generis. Et tamen Godefridus Gibber earum auctoritate (ſi Chronographos vulgares audimus) nixus, inſtigante præcipuè Wilhelmo Epiſcopo, expulſa Gertrude, Florentij primi conjuge, & ſecundo ejus marito, Roberto Friſio, Hollandiam omnem violenter invaſit, & annos quinque tenuit. Donationis hujus exemplar ita efformatum ſe habet.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus, divina favente Clementia, Rex. Notum eſſe volumus omnibus in Chriſto fidelibus, tam præſentibus, quam futuris, qualiter nos ea bona, quæ injuſte ablata fuerant ſanctæ Dei Eccleſiæ Trajectenſi, à Theodrico Comite, ejuſque filiis, tempore Adelboldi ejuſdem ſedis Epiſcopi, pro quibus & Imperator Henricus, & avus noſter Conradus, & pater noſter piæ memoriæ Henricus plurimum laboraverunt, multaque bella fecerunt. Nos quoque noſtrique fideles multum laboris impendimus, notumque (male vulgo *que* legitur pro *inquam*) *qualiter ea ob remedium animæ noſtræ & pij patris noſtri Henrici, aliorumque anteceſſorum noſtrorum, interventu quoque & conſilio Principum noſtrorum, Annonis Colonienſis Archiepiſcopi, Sigefri*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

gefridi Maguntini, Everhardi Treverenſis, Athalberti Bremenſis (ex loci ſententia, & Chronographo populari, qui diploma hoc in linguam vulgarem tranſtulit, addendum videtur, *Epiſcopi*) *Burchardi Halverſtadenſis, Fridrici, Godefridi, Gerardi Ducum, aliorumque noſtrorum fidelium, nec non ob fidele ſervicium Wilhelmi ejuſdem Epiſcopi reddimus & reſtituimus, & regali auctoritate eidem ſanctæ Eccleſiæ confirmamus, in Crimpen quatuor manſus de fine fluminis Ablaes uſque Merwede, inde uſque Menkeneſdrecht dimidietatem totius terræ cum omni diſtrictu. Item de Riede juxta Merwede uſque Slidrecht. Item in Merwede juxta Dordrecht, inde in Duble, inde in Duvelhaer, inde in Wael, inde iterum in Merwede uſque in Dordrecht cum capella noviter conſtructa de Dordrecht ad orientem, uſque Cordekems Hoefſtadt, &c.* ADHUC COMITATUS OMNES IN HOLLANT, CUM OMNIBUS AD BANNUM REGALEM PERTINENTIBUS, (Chronographus popularis ita reddit, **Noch alle dat Graefſchap in Hollant mit ſijne gerechten en Ambachten daer toe hoorende.**) *Et ut hæc noſtræ confirmationis auctoritas rata & inconvulſa permaneat, hanc paginam inde conſcriptam manu propria corroborantes, ſigilli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus. Data ſexto nonas Maij, Anno Dominicæ incarnationis* M. LXIV. *Actum Werede.*

Hactenus commentitium hoc ſcriptum, & anile Annalium noſtrorum cōmentum; quod inani ſuo cerebro extudiſſe falſarios Hiſtoriarum Monachos nemo, qui modo purgatas aures & mentem habet, non videt. Sane nos credimus, & illorum hominum impudentiam mirari ſatis nequimus: quibus nihil prius ſemper fuit, quam, ad Epiſcopalem ſplendorem & auctoritatem conſervandam confirmandamque, illa etiam impudenter comminiſci, quæ nec viſa, nec picta, nec ſcripta unquam fuere. Et cujus naribus fraus iſta non ſuboleſcat? præſertim in hoc negocio, ubi omnia fidem non modo exſuperant, ſed etiam evertunt. Quid enim aut quare Henricus Imperator, univerſum Hollandiæ Comitatum, comiti, qui nihil in ipſum admiſerat, eripiendum, VVilhelmo huic, Trajectenſi Epiſcopo, donaverit? quis tale aliud alibi aut legit, aut vidit? Nulla fabula conceſſerit. Et fraudem hanc jam ante nos natos ſuſpectam habuit quiſquis ille fuit, qui vernaculum Hollandiæ Chronicon contexuit, ut acerbiore nota iſta & caſtigatione, quam diplomati huic ſubjungit, luculenter oſtendit. Ejuſdem commatis etiam eſt illud, quod legitur in Catalogo Feudalium, ut vocant, eccleſiæ & Epiſcopi Trajectenſis; in Odilbaldo ad Annum M. XXI.

Item Comes Hollandiæ eſt liber feudalis Epiſcopi Trajectenſis, & tenet in feudum Comitatum Hollandiæ, & terram Kenemariæ, cum terris, manſis, ſylvis, campis, pratis, paſcuis, mancipijs, aquis, aquarum decurſibus, & Juſtitia, exceptis dictarum terrarum decimis, & terra Waterlandiæ, & Weſtfriſiæ, quæ totaliter pertinet ad Epiſcopum & Eccleſiam, & dictus Comes Hollandiæ vocatur & eſt Mareſchallus Epiſcopi Trajectenſis.

Præcipuam tamen partem bonorum Eccleſiæ Trajectenſis, quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

quæ tanta olim fuerunt, ut quadraginta armatorum millia in bellum educere Antiſtes potuerit, in Hollandia ſita fuiſſe non abnuerim. Teſtantur hoc Donationes plurimæ; ac inprimis illud, quod ſubjungimus, horrendæ antiquitatis & Latinitatis monimentum, Catalogus inquam bonorum Eccleſiæ Trajectinæ, quæ in Hollandia præſertim habuit circa annum 866, ante tempora Pontificis 19. Odilbaldi. Ejus copiam nobis fecit è Bibliotheca ſua divite inſignium hujuſmodi Cimeliorum, magnus ille Batavicarum Antiquitatum vindex, & amicus noſter, Petrus Scriverius. Exſtat quidem apud Hedam, ſed adeo depravatus, ut plus ei vetuſtas, an exſcriptorum audacia nocuerit, incertus ſim. Vtrumque autem haud leviter nocuiſſe, agnoſcent, certo ſcio, illi, qui cum inſigni Apographo hoc noſtro contendent. Integrum vero hic deſcripſimus, tum quod celebriora fere Hollandiæ loca ſint, quæ complectitur, quamquam aliis ſubinde & vetuſtioribus nominibus indigetata, tum ne in Vrbium deſcriptionibus, quibus haud parvam lucem adferet, ſingula ſæpius iterando mihi moleſtiam, lectori faſtidium pariam.

INCIPIT

Commemoratio de rebus S. Martini Trajectenſis Eccleſiæ, quæ jam olim ibidem à fidelibus traditæ ſunt.

In Doreſtado *Eccleſia, quæ vocatur* Vphirica *cum omnibus appendentiis, terris, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve excurſibus, piſcationibus; Omnia hæc; cum*

Inſula, quæ jacet juxta Eccleſiam S. Martini circumquaque inter Rhenum & Leccam, &

Inſulam quoque juxta Buoſinhem, *quæ propior Villæ* Rijſwich; *hæc omnia S. Martini.*

De vico etiam ſupra nominato decima pars S. Martini in omnibus rebus.

Et inter Holanwegh *&* Freger Mahuſenhem, *ſive quod vulgo dicitur* Rec, *terra illa* S. Martini.

In villa Rijſwich *Eccleſiæ cum terris ad eaſdem pertinentibus.*

In Lothe *Eccleſiæ tres cum terris ad eaſdem pertinentibus, & ſeptem alia Manſa, excepta Regali.*

Et in Haſehem *tertia pars totius villæ, & inſuper manſum unum, quod Hagabard dedit.*

Villa Iorhem *cum Eccleſia & omni integritate S. Martini.*

Villa Galana *ſimiliter.*

In Villa Wefriſſe *manſum unum.*

In Turre *manſa tria.*

In Villa Vbburon *manſum unum.*

In Geſtnipemutha *duæ virgæ ſimul jacent.*

In Villa Swile *manſum.*

In Villa Haltna, *quicquid Hartulphus habuit ibi; & Eccleſia cum quinque manſis.*

In Lanthem *unum, juxta fluvium* Laca.

In ſupradicta Villa Turre *manſum unum, quod Hertulfus dedit.*

In Helſpenni *quatuor & dimidium manſum.*

In Lorec *tres manſiones.*

In Rugrum *totum S. Martini.*

In Rumpſt *ſimiliter.*

In Werken *duæ Eccleſiæ cum terris ad eaſdem pertinentibus, & octo manſa alia.*

Iu Villa Iodichem *tertia pars villæ.*

In Freſdore *Eccleſia cum quatuor manſis.*

Bunninehem *totum S. Martini.*
Feedna *ſimiliter.*
Neſſeſhort *ſimiliter.*
Suegon *ſimiliter.*
In Rudinhem *quarta pars totius Villæ.*
Suigna *ſimiliter.*
Marſna *ſimiliter.*
In Lonaralaca *duæ partes totius villæ S. Martini.*
In Merchiſhem *ſimiliter quarta pars totius villæ.*
In pago Germepi *tam de terris, quam etiam de paſcuis, ſeu piſcationibus, quinta pars S. Martini.*
Sicut etiam Iſla *aqua currit in ſylvis & in paſcuis, ſeu in piſcationibus, quinta pars S. Martini.*
In Vurdin *totum S. Martini.*
In Potarnem *quinque manſa.*
In Walricheſchem *quinta pars villæ.*
In Hermeſche *quarta pars villæ.*
Villa Ginnele *propriâ S. Martini.*
In Calmere *quarta pars totius Villæ.*
In Alfna *duæ partes Villæ.*
In Braacanhem *ſimiliter.*
In Viliſhem *ſeptem manſa.*
In Marteſhem *manſa duo.*
In Vpwilkanhem *tria manſa.*
In Suetam *ſimiliter.*
In Hanatre *ſimiliter.*
In Holtlant *quatuor manſa.*
In prima Letthen *duo.*
In ſecunda unum.
In tertia unum.
In Rodanburg *quinque manſa.*
In Legiham *quinque.*
In Lopiſhem *duo.*
In Lippinge *ſimiliter.*
In Watdinchem *tria.*
In Fore *ſimiliter.*
In Foreburg *duo.*
In Forſchate *tria.*
In Galinghem *unum.*
In Hoſtepinheri *manſum unum.*
In Weſtepphinheri *duo.*
In Corſcam *tria manſa,*
Thiatliud filia Aldberii cum filio ſuo Reginberto, tradiderunt quicquid habuerunt.
In Vphuſon *S. Martino.*
Eccleſia, quæ dicitur Holtſele, *cum omnibus appendiciis, S. Martini.*
In Maſalanda *omnis Decima S. Martini.*
Et Sumonerit *totum.*
Oſtburon *totum.*
Similiter Eccleſia, quæ dicitur Valcanaburg, *cum omnibus appendentiis, S. Martini, totum & ad integrum,*
In Honerathorp *totum.*
In Sunthrem *quatuor manſa.*
In Helnere *quinque.*
In Vabbinghem *tria.*
In Gintaſtrip *duo.*
In Pillinghem *unum.*
In Marandi *unum.*
In Epharadum *duo.*

In Elf-

In Elfnum *duo.*
In Wirthum *duo.*
In Maſanutthon , *quicquid Elegſujud ibi hæreditatis habuit, vel ejus videbatur eſſe poſſeſſio , totum tradidit ad S. Martinum.*
In Ler *tria.*
In Rufinghem *tria.*
In Huſtingeſt *tria.*
In Litlongeſt *tria.*
In Langongeſt *manſum & dimidium.*
In Honarathorpa *medietatem totius Villæ. quicquid ibi tradiderunt Erulphus & Radulphus , hæreditatiſque habuerunt.*
In Rothulfuashem *medietas totius Villæ, S. Martini, & inſuper hæreditas Aldburgæ quicquid ibi habuit.*
Piſcatio , quam Gerulſus habet in extrema parte Rheni fluminis, ſexta pars pertinet ad S. Martinum.
In Helſem *manſa quinque.*
In Oſbragttuſhem *duo.*
In Hoſlemaholta *tria.*
In Lux *tria.*
In Hoſtſagnem *quinque.*
Iu VVeſtſagnem *totum abſque duo manſa.* In Scata *duo.*
In Offrithem Taglinthos *tertia pars, & manſa ſex.*
In Luiſna *quinque.*
In Warmolde *tria.*
In Oſreſgeſt.
In Polgeſt *duo.*
In Huſineſgeſt *tria.*
In Oſlem *duo.*
In VVilkenhem *cum omnibus appendiciis S. Martini.*
Similiter in Burem *cum omnibus appendiciis.*

Et in Taglingi *ſimiliter totum S. Martini.*
In Brochem *duo.*
In Limbon *Eccleſia cum manſis decem.*
In Northgo *ſeptem.*
In Lethem *totum & ad integrum S. Martini cum ſylvis & omnibus adjacentiis.*
Similiter Axmeri.
Scota *totum S. Martini.*
In Haralem *tria.*
In Veleſam *totum S. Martini.*
In Swattingaburim *decem.*
In Scranaholt *decem manſa.*
Vannapin *totum S. Martini.*
In Hex *duo.*
In Bredhem *tria.*
In Batchem *duo.*
In Landei *tria.*
In Beinhem *ſex.*
In VVeſterburghem *quinque.*
In Oſterburchem *duo.*
In Brochem *unum.*
In Cunulfhem *tria.*
In Godelfhem *duo.*
In Piſchem *unum.*
In Ganga *ſeptem.*
In Guiſingo *totum S. Martini.*
In VVintmundem *quinque.*
In Huſidina *tria.*
In Lidum *duo.*
In Vagarafelda *duo.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

In Edeſthorpa *tria.*
In Pathem *duo.*
In Suthuſum *totum* S. *Martini.*
In Haragum *tria.*
In Suthrem *duo.*
In Blectinghem *duo.*
In Scoronlo *quatuor.*
In Bergum *quinque.*
In Benetfelda *duo.*
In Camthorpa *unum.*
In Beccamburen *unum.*
In Vranlo *unum.*
In Texle *tertia pars* S. *Martini.*
In VViron *duæ partes totius terræ* S. *Martini, cum Eccleſiis utriuſque terræ. Et in* Varoth *ſimiliter.*
Decima quoque navium, quæ illuc procellarum impetu feruntur, ac inventionis ad S. M*artinum pertinet, quia teloneum non habetur.*
De teloneis quoque & de negotio, aut undecunque ad partem Regiam jus fiſci cenſum exigere debet, omnis decima S. *Martini eſt.*
S*imiliter & de tributo, quod* Huſlotho *vocatur.*
In VVeromeri *omnis piſcatio.*
Et in Vteromeri *laxatio retium, quod* Tragal *dicitur, omnis, & dimidium piſcationis ad* S. *Martinum pertinet.*
In Dalmerſche *tota piſcatio* S. *Martini.*
In Getzewaldt, *in flumine* Fennepa *omnis piſcatio* S. *Martini.*
In Amuthom *ſeptem Were ad piſcandum.*
In Almere *Regalis decima cenſus, qui vocatur* Cogſcult.
In Neſſe *villa cum omni piſcatione.*
Decima etiam in Almere *de ſagenis,* S. *Martini. Sed modo illæ aliæ partes novem, propriæ ſunt partes* S. Martini.

Sed & alia piſcatio in flumine Fecht, *tota* S. Martini *cum omnibus ſtagnis ibi adiacentibus.*
Omneſque aquæ in Niſtarlaca *cum omni piſcatione* S. Martini.
De VViron *in* Alintlo *manſum dominicatum cum terra ſalaricia* S. M*artini, cum ſervis in eadem villa commanentibus, quorum hæc ſunt nomina; Iolkrik, Hoffo, Redbald, Sagger, Thietmer, Redger, Redulf, Smath, Reginerd, Saxbraht, Aldo, Ricbald, Dic, Wibald, Tiebo, Huno, Wlfbold, , Aldolf, Geldulf, Hildulf, Gatbald, Garhelm, Betto, Sagger, Inorbald, Oſlef, Osbrult, Tatto, Ido; Quicquid iſti habuerunt nunc computatum eſt in* XII. *manſa, quorum Poppo unum habet.*
In Northanheri *ſex.*
In Ludingem, &
In Stene *ſex.*
In Humido *tria.*
In Eddingen *ſunt manſa Regis tria.*
Et quod ſupereſt totum S. M*artini: quod fiunt manſa triginta duo.*
In loco, qui vocatur Beoſtam VVeſtanne *viginti quinque manſa.*
In Strude *ſexaginta & duodecim manſa; quæ fuerunt Dei Sanctorum* Martini, *Bonifacij, Willibrordi, Liudgeri, Landberti, Domini Regis.*
In Bante *Abbo, Aldebraſam, Trudhalf, Lindrad, Garbard, Siburg, Refnulf, Bulo, Fotkolf, Garburg, Saxbaldt, & frater ejus, qui Thangburgam habuit, Iſti ſunt* S. *Martini cum terra, quam habuerunt in* VVitmundhem *tredecim manſa.*
In Ellunthem *duo manſa.*
In VVemminge *quinque manſa.*
In Landiage *tria.*
In VVeſtarburghem *quatuor.*
In Oſtarburghem *duo.*

In Bever-

In Beverhem *octo.*

In Lithum *tria manſa.*

In Rothalnaſhem, *quod modo dicitur* Rinasburg, *manſa tredecim, S.* Martini; *de hæreditate Radulſi & Aldburgæ, quæ ipſi tradiderunt* S. Martino; *& manſa jacent* Binorthanflieta.

Sedilia autem Oſtedi *dicuntur* Biſitihanflieta, *in quibus etiam ſupra nominati manſerunt.*

In Benorhem *tradidit Gutha Eccleſiam necdum conſecratam injus & Dominium* S. Martini, *eâ videlicet ratione, ut poſt conſecrationem ejuſdem Eccleſiæ decimæ darentur ad ſupra nominatam Eccleſiam, de Villis his nominibus vocitatis,*

Beverhem,

Giſlehem,

Hegginghem,

Sculpuldhem.

Pręterea ſunt mancipia almi Martini *juxta* Feliſum, *Tetta & filius ejus, Abbo filięque ejus tres, Belto etiam & ſoror ejus, nec non & Frithesſujund & ſoror ejus Armburg, cum illorum infantibus.*

In Tlex *Eccleſię omnes* S. Martini, *& totius terræ, quæ ad Regem pertinebat, tertia pars* S. Martini.

Exceptis alijs terris, quas Chriſti fideles tradiderunt ob ſui amorem, quæ omnia inconvulſa per manſerunt uſque ad tempora bonæ memoriæ OTHILBOLDI *Epiſcopi, cujus etiam temporibus erat quidam Presbyter nomine Sibrand, qui juſſu ſupranominati Epiſcopi regebat omnes Eccleſias in eadem inſula* Texle; *cujus fratres his nominibus erant nominati Othravam, Lintravam.*

In Northwalde *Regalis decima, ſicut in aliis locis.*

Et inſuper Accaſtorp *totum* S. Martini.

In Medemelake *Regalis Decima.*

Et inſuper ſicut continentur Aquæ, quæ vocantur Winwarflet.

Nec non etiam Freſionowic *totum* S. Martini *in terris, ſylvis, paſcuis, aquis & piſcationibus.*

EXPLICIT CATALOGVS.

Quidquid horum ſit, illud conſtat, Trajectenſis ſedis Epiſcopum jura quædam ad piſcationes & venationes, in Auſtrali præſertim Hollandia, ſpectantia jam olim obtinuiſſe, eaque ab Hollandiæ Comitibus, & præſertim Theoderico quarto, erepta, occaſionem dediſſe tot graviſſimis bellis quæ inter Hollandos & Trajectenſes poſtmodum ſunt exorta. Diſertim hoc teſtantur Hermannus Contractus ad annum 1048, & graviſſimus ſuorum temporum ſcriptor, Baldericus Noviomenſis, lib. 3. cap. 19. Chronici Cameracenſis & Atrebatenſis; ad quæ Lectorem meum, ne plura hic congererem, remittendum exiſtimavi. Et ſi quam aliam tot bellorum cauſſam aſſignant noſtri Annales, mera ſunt febricitantium commenta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

CAPVT IV.

Soli Hollandici ingenium. Aquæ copia. Molæ aquariæ. Aggeres. In ijs muniendis peritia Hollandorum. Ab his Damum opidum conſtructum. Aggerum utilitas & neceſſitas. Heimradij inſtituti. Agri. Paſcua. Vaccæ & Boves. Lactis & Butyri copia. Ejus formandi ratio. Vennæ. Colles arenarij. Saltus. Sylvæ. Cæli temperies. Hollandorum luſus in glacie. Crepidæ ferreæ. Anni 1149. horrendum gelu. Sali & fluminum fœcunditas. Hollandiæ elogia. Ejuſdem miracula.

IN hac rerum univerſitate Natura mater opes ſuas variè diſpargit. Vt hominum, ita terrarum quoque diverſa ingenia; prout à cælo ſuo vel animantur vel ſuffocantur. Neque enim earum bonitas atque fæcunditas in noſtra poteſtate eſt, ſed in Naturæ. Hinc eſt cur alia in hanc, alia in aliam rem ſit adpoſita. Hic aurum, argentum, gemmas, delicias, aliaque ejuſmodi invenias, quæ ad ſplendorem & voluptatem, alibi lætas fruges, & ſi quæ iſtius generis ſunt plura, quæ humanæ vitæ neceſſitatem ſpectant. Hollandiam video; illa ut rebus omnibus, quæ aliunde indies ſubvehuntur, adfluit atque abundat, ita, præter naturales nævos, proprias quaſdam habet ac nativas dotes: quas operoſe non recenſerem, niſi tam exteris, qui harum ignari ſunt, quam indigenis me ſcribere meminiſſem. Solum magna ex parte uliginoſum ac paluſtre eſt. Humidius tamen qua Boream ſpectat. Medio fere autumno paſcua aquis implentur; quæ crebris pluviis & tempeſtatibus in majus auctæ, proximis quibuſque inundatis, in unum facile corrivantur. Tunc pecora armentaque ad ſtabula propelli ſolent, paſcuis, quæ aquis jam innatant, victum diutius non præbentibus. Terra enim nec ſicca eſt, nec bibula, ſed humida ac aquis velut innutrita; quas adventitias proinde haud facile abſumit, ſed totâ pene hyeme iiſdem operta eſt atque immerſa. Circa feſtum autem Nativitatis Chriſti, Molæ Aquariæ, minores majoreſque, quatuor omnes alis inſtructæ, paſſim ad agros adhiberi, atque, ventis faventibus, circumrotari ſolent: quæ, niſi gelu impedimento ſit, omnes aquas iſtas vel in fluenta publica, vel in foſſas alias ejiciunt atque expellunt; tanta cum celeritate, ut adulto jam vere, paſcua nitidiora, & pecoribus denuo excipiendis paſcendiſque ſint idonea. Huic malo etiam aggeribus occurrere incolæ ſolent. In illis muniendis ſtruendiſque ſingularem eorum peritiam notant Scriptores. Præconium hoc ipſis tribuit Mejerus lib. Annal. VI. *Anno* 1180. *Aggeres factos lego ab Hollandis, earum rerum longe peritiſſimis, ab dammis ad Sluſam uſque, atque extruſum mare, quod eum tunc tractum inundaverat:* Qua etiam tempeſtate & occaſione Hollandi in Flandriam colonias

ſuas

ſuas tranſmiſere, à quibus Damum, non incelebre opidum, quod mari immerſum tunc erat, aquis aggerum benificio exhauſtis, conditum fuiſſe apud omnes conſtat. Et vero ab aggeribus ejuſmodi, Oceano paſſim objectis, tota Hollandiæ ſalus dependet: quibus quanta cura proſpectum, quibuſque ſumptibus proviſum ſemper ſit, ſatis clamant & docent monimenta antiqua. Præter alia *Dijck-gravij & Heimradij*, ſive *Hemeradij*, ut appellantur in Actis nonnullis edictiſque publicis, jam olim inſtituti, quibus aggerum præfectura & procuratio demandata eſt. Horum ut antiquitas & dignitas, ut & aggerum utilitas, quantæque, ijs neglectis, Hollandiæ clades inflictæ jam olim ſint, & qua potiſſimum ratione proſpectum illis fuerit, cognoſcatur, placuit adſcribere Diploma hoc Florentij quinti, quod ex Rensburgenſis Monaſterij monimentis deſumtum nunc primum publicamus.

Nos Florencius Comes Hollandiæ, Notum facimus univerſis præſentes viſuris, quod, cum ad noſtram audientiam delatum fuiſſet à quibuſdam noſtris ſubditis fide dignis, nobilibus & ignobilibus, quod homines noſtri Balivatus inter Scye & Goude terras & poßeßiones habentes ad aggerationem ſufficientem dictarum terrarum & poſſeßionum non ſufficientes, prout univerſalis expedit (reſcribo *expetit*) *terræ ſalus; Nos communicato conſilio ſapientum eis conceßimus, ut homines noſtri, manentes in talibus officijs, videlicet in Zevenhuſen, Bleeſwijch, Rotte, in officio de Scye, in officio Domini Alewini de Roderiſen, Domini Arneſti de Wluen in Broech, in officio Domini Ægidij de Voerſcoeten; & in officio dicto Bokelſdijck, eis ſubſidium ſuis laboribus & expenſis ſtuderent impartiri communiter, licet ad hoc ſecundum communem curſum juris patriæ minime tenerentur: Nunc vero non ſolum ex relatione quamplurium, ſed ex rei evidentia manifeſte advertentes, quod per hujuſmodi communē aggerationem prædictorum, prædicta terra magno aquæ diluvio inundavit, ruptis aggeribus & diviſis, communicatoque conſilio Hemeradorum ſeptem officiorum, quos cauſſa non tetigit, & nobilium terræ noſtræ quamplurium: dictos ſubditos noſtros, manentes in dictis officijs, à dicta aggeratione finaliter abſolvimus. reſtituentes eos omni juri, & primæ conſuetudini, quam ipſi & eorum progenitores à nobis & noſtris progenitoribus habere in ſuis officijs conſueverunt, volentes, ut omnes, qui terras & poſſeſſiones habent, & aggeres reficere conſueverunt à longis temporibus retro actis, ſuo juri ac veteri conſuetudini in aggerando diligenter intendant: Condictum eſt etiam ab his, qui manent in dictis officijs, quod ſi aliquis infra dictos terminos habens terram, quæ Polre dicitur ſpecialiter, aggeratam illi terræ cum ſuis aggeribus renunciare voluerit, nimis oneratus laboribus & expenſis, omnes prædicti dictum Polre ſibi ad aggerandum aſſument, & aggerabunt*

ſuis

ſuis laboribus & expenſis, prout expetit terræ ſalus, & tunc dicta terra proprietatis jure dictis aggeribus attinebit. Poſſunt etiam aggerem ponere & reficere, prout ipſis videbitur Hemeradorum conſilio expedire. Adjectum eſt etiam, quod ſi dicti homines dictorum officiorum aggerem retraxerint ad locum, ubi quondam antiquus agger exſtiſtit aggeratus, vel alibi, tunc homines manentes ibidem dictum aggerem ſibi reſument, & eum component, prout conſueverunt à longis temporibus retroactis, & illa terra, quæ Wtdijck dicitur, ad nos pleno jure pertinebit, & ex hoc privilegio ſolum officium noſtrum de Scye utilitatem & commodum reportabit. Datum anno M. CC. LXXXI. *In Natali beatæ Virginis.*

Terra frugum, & tritici longe feraciſſima. quamquam ad tot incolas ſuos ſuſtentandos haudquaquam ſufficiat. quibus in alijs terrarum oris, ac pręſertim Moſcovia, ſeritur atque metitur. Ager Hollandicus lætus, pinguis, & craſſus eſt. Non nebuloſus aut caricoſus, quem foſſæ undique circumductæ incredibile dictu eſt quantopere fæcundent. In hoc, pręter frumentum, cannabi copia non adſpernabilis provenit. Rapas plenis horreis propinat, tam dulcis & grati ſaporis, ut & famis & gulæ ſint condimentum. Hæ in mediam uſque hyemen adſervatæ vel aſſæ vel elixæ victum nobis præbent, quando terra frigoris & gelu compedibus vincta liberales manus ſuas claudit. Paſcua autem, quæ longe plurima, tam ſunt fæcunda, ut vaccæ, quæ lacte vitulos educant, nihilo ſecius heri & aliorum familias lacte ſaturent. Ex hoc butytum optimum & caſei longe pręſtantiſſimi conficiuntur. Horum formandorum rationem lepido & eleganti iſto dialogo explicat Martinus Duncanus, Guormarianorum in Hollandia ante annos centum paſtor.

NICOLAUS GULIELMI HORNANUS,

& Cornelius Æmilij Ægimundanus (pro *Egmondanus.*)

DE BUTYRO FORMANDO ET CASEO.

Quare matutinis hodie non interfuiſti prælectionibus? C. *Non licuit per matrem.* N. *Quid ita.* C. *Sola parens domi erat, alijs neceſſario ad diverſa vocatis negotia: cui duo ſimul incumbebant obeunda officia: quibus expediendis par non erat.* N. *Quęnam erant iſta duo, quibus exhauriendis non ſufficiebat mater.* C. *Caſei premendi erant, & butyrum formandum. Interim cum illa caſeos formaret, mihi nobiliſſimum & pinguiſſimum lactis erat expiſſandum in butyrum. Nucleus lactis, adeps lactis, flos lactis erat mihi condenſandus & cogendus in butyrum. Nec potuit hęc res procraſtinari, ne lac nimio ſenio fugeret, & evanidum fieret.* N. *Iſtuccine fieri poteſt, ut ex eodem lacte caſei conficiantur & butyrum?* C. *quidni?* N. *Si tu quod pręſtantiſſimum lactis eſt, id in caſeos formandos impenderis, unde, quæſo, butyrum crees, niſi ex lacte deflorato, ſecundario, ſua nobilitate ſpoliato; ſuis floribus exuto, ſuis nucleis caſſo, ſua pinguedine deſtituto, ſua virginitate, ſuo decore, ſuo lumine, prima ſua laude, ſuo adipe viduato. Atqui quod dilutum, exſuccum, exhauſtum, effetum, aut degener eſt, inde, quod excellentiſſimum ſit, nunquam efficies. Seges nimia defrugatione exinanita ſterileſcit.* C. *Dicam quod res eſt. Ex eodem lacte coagulari non poteſt caſeus primarius, & butyrum conglobari oleoſiſſimum nobiliſſimumque: ſed oportet*

(*quem-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

(quemadmodum argumentaris) ut quod dederis uni, id alteri demſeris.

Pretium, quod ex utroque lactario in Hollandia colligitur, pene eſt inæſtimabile. Vaccæ enim noſtrates ſingulis diebus bis, quædam etiam ter, lac, merum nectar, nobis propinant. Malim tamen quis oculis ſuis, quam dicenti mihi credat, ita omnia fidem exſuperant. Fænum Hollandia profert tanta luxurie, ut inde ipſi nomen factum nonnulli putent. In quo etymo tamen plus acuminis eſt, quam veritatis. *Vennę* etiam ſunt, terræ incultæ & humum non niſi ad ignium pabula præbentes. è foſſis enim erutæ, atque Soli expoſitæ & induratæ gratiſſimum ignem nobis præbent. Sulfur aut tale aliquid videtur illis ineſſe. Ceſpites, ſi formam videas, haud incommode appellaveris. In tanta autem horum copia, magna quoque eſt, pro ingenio terrarum, è quibus effodiuntur, varietas. Sunt enim qui foco adſtructi flammam aut ignem vix concipiunt, & in lapides velut indureſcunt. Terra illa *Venenſis* appellatur in his, quas nunc damus, Florentij quinti litteris.

Nos Florentius Comes Hollandiæ tenore præſentium recognoſcimus, proteſtantes, quod nos in remedium animarum Progenitorum noſtrorum Comitum Hollandiæ, & ſi Monaſterio de Rinsburgh forſan aliqua debuimus ex legatis, quæ ſibi à noſtris in extremis legata fuerunt, in omnium horum recompenſationem eidem Monaſterio omnem terram Venenſem, quæ vulgo Gere vocatur, in Calveſlo, Alſmar & Vriſencop jacentem in merum allodium & in jus proprietatis damus, confirmamus, & liberaliter aſſignamus, promittentes dicto Monaſterio & perſonis in eodem omnium famulantibus creatori, & nos ipſas in bonis prædictis & in quieta poſſeſſione eorum una cum omnibus bonis ubicunque in Hollandia vel Zelandia jacentibus, quæ juſte & legaliter ſunt adeptæ, & quæ jamdudum juſto proprietatis titulo poſſederunt, manutenebimus, & contra quoſcunque moleſtatores viriliter defendemus; dictum Monaſterium cum omnibus perſonis ſuis recipientes ſub noſtra protectione ſpeciali pariter & conductu, præſentium teſtimonio litterarum. Datum in Feſto Criſpini & Criſpiniani, Anno Domini MCC. LXXV.

Venne autem, *Broick*, *Hol-lant*, *Quoir* idem, id eſt loca humida & paludibus fæda ſignificare, docet Gerhardus à Scuren in Dictionario Teutonico, ad annum 1477. concinnato, quod Teutoniſtæ titulo præſcripſit. *Venne* tamen quævis olim paſcua denotavit; unde *Vaccarum Venni* vulgo *Cojenvenen* paſcua, in quę vaccæ propelluntur, in diplomate hoc, quod ſubjungimus, appellantur.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Aleydis de Hannonia Tutrix Hollandiæ univerſis Chriſti fidelibus præſentia viſuris ſalutem in Domino ſempiternam. Quia hominum memoria fragilis eſt, ac tempore defluente collabitur, neceſſarium eſt ea, quæ perpetuæ merito commendanda ſunt memoriæ, ad futurorum notitiam, litterarum

teſtimonio deportari: hinc eſt quod univerſitati veſtræ præſenti ſcripto declaramus, quod in noſtra præſentia conſtituti Abbatiſſa & Conventus Eccleſiæ beatæ Virginis Mariæ in Rinsburch ex una parte, Wilhelmus dictus de Steenhuſe ex altera, deliberatione ſuper hoc habita diligenti Abtiſſa & conventus jam quarumdam terrarum videlicet vaccarum Vennorum, qui dicuntur Cojenvennen, & quinque & dimidij agrorum Geeſtlandes inter Polegeeſt & Oeſtgeeſt jacentium, & ſeptem Cojen-vennen aggeri de Polgeeſt adjacentium, nec non & trium menſurarum, quæ dicuntur Acmaden ultra paludem de Polgeeſt ad ipſos Abbatiſſam & Conventum tanquam ſuum allodium libere ſpectantium pro Decimis Wilhelmi de Steenhuſen jam dicti tam in magnis, quam minutis, tam in ſicco, quam in humido, quas idem Wilhelmus in Parochia de Rinsburch noſcebatur habere, commutationem facere decreverunt: dicta quidem Abbatiſſa & Conventus Eccleſiæ memotatæ terras præſcriptas præfato Wilhelmo, prout dictum eſt, libere tradiderunt & abſolute, quas idem Wilhelmus reſignatas prius in manus Th. militis Domini de Theylinge decimis prænotatis loco decimarum, quas prius ab ipſo tenebat in feudum, recepit ab eodem: dictus vero Dominus Th. de Theylinge decimas ſibi ſic à VVilhelmo reſignatas Abbatiſſæ & Conventui de noſtro conſenſu & voluntate libere contulit memoratis, nullo jure ſibi vel ſuis ſucceſſoribus in eiſdem Decimis reſervato. Nos autem quod à præſcriptis Abbatiſſa & conventu, VVilhelmo de Steenhuſe, nec non & Domino de Teylinghe factum eſt in præmiſſis ratum habentes & gratum ſub teſtimonio illuſtris Dominæ E. quondam Romanorum Reginæ, M. Comitiſſæ Hollandiæ, matris noſtræ, & R. Domicellæ Hollandiæ amitæ noſtræ, quarum ſigilla præſentibus ſunt appenſa, nec non ſub ſigillo & teſtimonio Th. Domini de Teylinge & multorum fide dignorum duximus confirmandum, ac ſigilli noſtri munimine roborandum, nullum jus nobis, vel nepoti noſtro, ſeu noſtris ſucceſſoribus in prædictis decimis reſervantes. Datum Anno Domini M. CC. L V I I I. *in die Beati Mathiæ Apoſtoli.*

Et adhuc hodie *Vennen* Hollandi Boreales dicunt, quæ vulgo *Weyden*, id eſt paſcua, nominantur. A *Vennis* autem ſparſim per univerſam Hollandiam, & præcipue Rhenolandiam, pagorum exſtant nomenclaturæ. Tales ſunt *Waddinxveen*, *Aerlanderveen*, *Koeleraerſveen*, *Nieuwerveen*, *Vindeveen*, *Waeterveen*, *Aukeveen*, *Amſtelveen* & plures aliæ: ceſpitum fodinis fere omnes nobilitatæ. Zutphaniæ etiam, primario Gelriæ oppido, à *Vennis* circumjacentibus, & ſuo ad orientem ſitu nomen factum videtur. Venetos quoque, qui non niſi aquas & paludes inhabitant, hinc denominatos eſſe non nullius eſt conjectura. Colles arenarios, *Duynen* vulgo appellant, Hollandia longe plurimos habet; quos cuniculorum antris perforatos atque nobilitatos, velut obices Oceano, vicino & infeſto

infeſto hoſti ſuo, opponit. Saltus aliquot ſunt longe amæniſſimi. Sylvæ etiam nonnullæ; quarum princeps illa, quæ Hagæ Comitis eſt adſtructa; proceris & in eximiam altitudinem editis arboribus umbroſa; cervorum quoque & agreſtium damarum multitudine frequens. Omnes quercus ſunt, quas alibi in tota Hollandia vix invenias. Pluribus certe arboribus nemoribuſque olim, quam hodie, Hollandiam refertam fuiſſe, dubitari neutiquam debet. Teſtantur enim id ſylvarum reliquiæ, quæ paſſim, & præſertim in Teſſalia, adhuc exſtant: De quibus ſatis ſuperque primo hujus libri capite jam diſſeruimus: adeo ut Crambem iſtam pluribus hic recoquere non ſit neceſſe. E vennarum etiam, & fluminum fundo, in auſtrali præcipuè Hollandia, proceræ ac ingentes quercus indies à ruſticis eruuntur; quę aquis tam diu immerſæ atrum colorem, ac ferream quamdam duritiem inducre. Nuces etiam inveniuntur, quæ aquarum benificio in hunc uſque diêm incorruptæ permanſerunt: ut de aliis jam non dicam, quæ ut vera ſunt, ita fidem facile non invenirent apud illos, quorum oculi haud credunt, niſi quod vident. Quamobrem & alium ibi orbem, & antipodes noſtros eſſe, vel fuiſſe, inſana plebecula ſibi perſuadet. Indicant certe magnam in Hollandia arborum ſtragem; quam aut Rheni fluminis rapido delapſu, aut ventornm violentia illatam olim fuiſſe certum eſt. Eam alij ad annum D. CCC. LX. alij ad annum M. DC. LXX. quo ipſo obſtructum Rheni prope Leidam oſtium dicitur; nonnulli etiam ad annum D. CC. referunt: quo Willebrordum Trajectenſem Epiſcopum, precibus ſuis apud Deum obtinuiſſe ajunt, ut nemora hęc, Mercurio aliјſque Dijs gentilibus, ſollenni Germanorum, ut notat Tacitus, inſtituto, ſacrata, dejicerentur atque proſternerentur; ne ſuperſtitionibus paganorum amplius paterent. Cælum eſt ſudum, udum, tenue & temperatum. Paullo tamen ventoſius. Neque ego cauſſam video cur Hollandiam cæli clementia deſtitui ſcribat Iunius. Æſtates gratiſſimæ ſunt. Nimij æſtus non adurunt. Hyemes paullo graviores. Octobrem fere auræ frigidiuſculæ excipiunt. Flumina gelu ita conſtringuntur, ut crepidis, ſubtus ferro adſtructis, tranari facile poſſint; ſollenne juventutis Hollandicæ oblectamentum. Exſtat de crepidis ejuſmodi non inficeta Hadriani Marij ad Ianum Secundũ Hagenſem Epiſtola, in qua earum formam & uſum praghice inprimis ac Poëtice depingit. Quamquam anno Domini 1149. tanta tamque horrenda geli fuerit acrimonia, ut maria etiam, quæ compedibus iſtis vinciri non ſolent, conſtringerentur, volucres deficerent atque in terram delaberentur, & civium nonnulli exſtinguerentur. ut diſertim teſtatur Chronicon illud M S. quod ad Rerum Hollandicarum Lib. VIII. dilaudat nobiliſſimus & in Hiſtoria patria verſatiſſimus Ianus Douſa. Mare illud, quod Hollandiæ latus proxime adluit, ſterile non eſt, aut infæcundum. In hoc aſelli majores & minores, raiæ, paſſeres, cynogloſſæ, aranei, ſoleæ, rhombi, oſtrea, atque alia id genus pluria magno numero, & ſuo quæque tempore capiuntur. Flumina limpidiſſima. In his ſalmonum, luciorum, ſturionum, mulleorum, trutarum, porculorum, percarum, goviorum, longe maximus & gratiſſimus eſt proventus. Avium autem, ac præcipuè fulicarum, merularum, caprarum, vanellorum, columbarum, anatum, atque aliarum id genus nuſquam majorem, aut meliorem copiam invenias. Nemini igitur dubium eſt, Hollandos (quod de Aquitanis olim dixit Patrum diſertiſſimus Salvianus) medul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Iam omnis Belgij, & uber totius fæcunditatis habere: nec ſolum fæcunditatis, ſed, quæ præponi interdum fæcunditati ſolent, voluptatis, jocunditatis, pulchritudinis. Adeo hic omnis admodum regio aut florulenta pratis, aut diſtincta culturis, aut conſita pomis, aut amœnata lucis, aut irrigata fontibus, aut interfuſa fluminibus, aut circumdata meſſibus eſt, ut vere poſſeſſores & domini hujus terræ, non tam ſoli iſtius portionem, quam paradiſi imaginem poſſidere videantur. Dixi hæc verbis alienis, quod admodum vererer, ne fæcunditati rerum ſterile noſtrum neque facundum ingenium parum reſponderet. Politiſſimum autem Epigramma illud incomparabilis Scaligeri, quo Hollandiæ miracula ſcite deſcribuntur, quamquam ſæpius ab alijs repetitum, dignum nobis viſum eſt, quod hoc ſuo loco etiam legeretur.

HOLLANDIÆ MIRACVLA.

Ignorata tuæ referam Miracula terræ,
Douſa, peregrinis non habitura fidem.
Omnia lanitium hic laſſat textrina Minervæ.
Lanigeros tamen hinc ſcimus abeſſe greges.
Non capiunt operas fabriles opida veſtra.
Nulla fabris tamen hæc ligna miniſtrat humus.
Horrea triticeæ rumpunt hic frugis acervi.
Paſcuus hic tamen eſt, non Cerealis ager.
Hic numeroſa meri ſtipantur dolia cellis.
Quæ vineta colat nulla putator habet.
Hic nulla, aut certe ſeges eſt rariſſima lini.
Linifici tamen eſt copia major ubi?
Hic medijs habitamus aquis, quis credere poſſit?
Et tamen hic nullæ Douſa bibuntur aquæ.

De Hollandia etiam haud immerito illud dici poſſit, quod patriæ ſuæ elogium nonnemo adſcribit, ad hanc faciem aliquando à nobis interpolatum & auctum:

BELGIVM *orbis* ANNVLVS,
ANNVLIQVE *hujus* GEMMA
HOLLANDIA.
BELGIVM *orbis* OCVLVS,
OCVLIQVE *hujus* PVPVLA
HOLLANDIA.
BELGIVM *orbis* NEMVS,
NEMORISQVE *hujus* CEDRVS
HOLLANDIA.
BELGIVM *orbis* TEMPE,
TEMPEQVE *hujus* DELICIÆ
HOLLANDIA.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

BELGIVM *orbis* COELVM,
COELIQVE *hujus* SOL
HOLLANDIA.

BELGIVM *orbis* REGINA,
REGINÆQVE *hujus* CORONA
HOLLANDIA.

CAPVT V.

HOllandica ingenia. Viri eruditi. Præſtantes Sculptores & Pictores. Primæva ſimplicitas. Eraſmi de Hollandis judicium. Incolarum induſtria. Fæminarum, Virorum ſtudia & mores. Libertatis & lucri amor. Frugalitas. Vicinorum ſympotia. Viarum, ædium, ſupellectilis nitor & ſplendor. Agricultura. Halecum captura. Earum ſaliendarum ratio à quo inventa & quanti facta. Mercatura. In Europam, Aſiam, Africam, & Americam, navigationes. Orientalis & Occidentalis Indiæ Societates. Aloyſij Marliani de Hollandorum laudibus epiſtola.

QVEMADMODVM olus & vina ex nobilitate ſoli commendantur; vinum, ut ille inquit, Thaſium, olus Phliaſium; ita quoque humana ingenia. Enimvero animo noſtro extrinſecus in hoſpitium & carcerem corporis immigranti quamquam nihil adjici vel adimi ad virtutem & dotes ſuas poſſit, tam arcte tamen cum eo conjungitur, ut ad perturbationes ejus & paſſiones, quibus ſubinde inquietatur, etiam varietur. Et ab exterioribus illis haud leviter adfici, teſtis nobis eſt quotidiana experientia. Hollandia ut aërem habet lætum, ſuccidum & temperatum, ita quoque illuſtria & cognata cælo ingenia. de quibus dicturus, maculas & vibices excipio. Neque enim ullum tam pulchrum corpus eſt, in quo non nævulus aliquis offendat. Et peccant, meo judicio, haud leviter, qui ex unius vita & moribus perverſis de omnibus præpoſtere ſolent judicare. In ſingulis namque gentibus varia & diverſa ingenia ſemper prodiere, quanquam nonnullæ videri poſſint ſtultitia, vel ſolertia nobiliores. Ita apud vecordes illos Schytas Anacharſis ſapiens natus eſt: apud Athenienſes catos Meletides fatuus. Certe poſt litteras renatas, quæ ſuperiorum temporum incuria ſepultæ in hanc majeſtatem excreverunt, nuſquam major, quam in Hollandia, doctiſſimorum hominum exſtitit proventus. Nihil hic aut adula-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

tioni, aut invidiæ tribuo : quarum partes procul habeo. Quæ enim in illa Cyclopædia, quam Artium orbem vocant, ſcientiarum pars eſt , quam aureolis & cedro digniſſimis ſcriptis ſuis non ſunt complexi ? Quæ diſciplina tandem nominari poteſt , cui illuſtriſſimam facem hæc ingenia non præluxere ? Loquuntur id tot divina animorum monumenta ; quæ haud dubie cum auctoribus ſuis relata jam ſunt in Album Æternitatis. Loquuntur id tot præſtantes Theologi, Iuriſconſulti, & Medici; tot Philoſophi, Philologi, Hiſtorici & Poëtę incomparabiles ; tot elegantes & compoſiti Oratores. Taceo tot aliarum præſtantiſſimarum artium, Sculpturæ præſertim & Picturæ, excultores eximios : quorum illi circa corpora, hi circa umbras rerum verſantur. Hæ enim artes, niſi & ingenium acceſſerit, & poëtica illa ſcientia, quæ latiſſime ſe diffundit, velut ſpiritu & anima ſua deſtitutæ, penitus collabaſcunt. Sæculis autem ſuperioribus vitæ & cultus ſimplicitate ludibrium vicinis Hollandi omnes debebant. Ingenui tamen & cordati mortales, quales aurei & primi illius ſæculi cives fingunt poëtæ. Adſcribam in hanc rem, quæ de Hollandorū ingenio, ad Adagium, *Auris Batava*, notat magnus & deſideratiſſimus Parœmiographus Deſiderius Eraſmus Roterodamus. *Cōvenit inter pleroſque doctos*, inquit, *nec id refragantibus conjecturis, eam inſulam*, Bataviam ſcilicet *cujus meminit Tacitus, eſſe, quam nunc Hollandiam vocant, terram mihi ſemper & celebrandam & venerandam ; ut cui vitæ hujus initium debeam. Atque utinam illi nos tam poſſimus honeſtamento viciſſim eſſe, quam illa nobis non eſt pænitenda. Nam quod Martialis eam gentem rusticitatis inſimulat, aut nihil ad nos pertinet, aut etiam laudi vertendum arbitror. Siquidem quæ gens non aliquando fuit rudior ? Aut quando Romana gens laudatior, quam cum præter agriculturam & militiam nihil artium noſſet ? Quod ſi quę quondam in Batavos dicta ſunt, contendat aliquis ad hujus temporis rationem pertinere, quę major laus Hollandię poterit tribui, quam ſi dicatur à Martialis jocis abhorrere, quos etiam ipſe nequitias appellat ?* Et paullo poſt ſubjicit : *Si mores domeſticos ſpectes, non alia gens eſt ad humanitatem, ad benignitatem propenſior ; cui minus adſit vel feritatis vel truculentię. Ingenium ſimplex, & ab inſidiis omnique fuco alienum, nullis gravibus obnoxium vitijs, tantum ad voluptatem, præcipuè conviviorum, aliquanto deditius. Cujus rei cauſam eſſe puto, miram rerum omnium exuberantiam, quibus voluptatis ſtudium irritari ſolet : idque partim ob commoditatem importationum, quod non ſolum occupat duo nobiliſſimorum fluminum oſtia, Moſę Rhenique, verum etiam quod aliquanta ſui parte Oceano alluitur : partim ob nativam regionis ubertatem, ut quę paſſim navigabilibus ac piſcoſis interluatur fluvijs, paſcuis uberrimis abundet. Ad hæc avium infinitam copiam paludes ſaltuſque ſuppeditant. Proinde negant aliam inveniri regionem, quæ ſimili ſpatio tantum opidorum contineat, mediocri quidem magnitudine, ſed incredibili politia. In domeſticæ ſupellectilis nitore palmam uni concedunt Hollandię negotiatores, quibus pleraque pars orbis eſt peragrata. Mediocriter eruditorum nuſquam gentium frequentior numerus. Ad exquiſitam eruditionem, præſertim antiquam, quod non perinde multi perveniant, aut vitę luxus in cauſſa eſt, aut quod apud illos plus honoris habetur egregię morum integritati, quam egregiæ doctrinæ. Nam ingenium non eſſe negatum illis, plurimis conſtat argumentis : quamquam mihi ſane quam mediocre contigit, ne dicam exiguum, ut cætera pleraque.* Hactenus pro tempore, pro candore ſuo Eraſmus. Hodie certe Hollandi, quanto olim ſimpliciores, tanto ſolertiâ, & in rebus moliendis gerendiſque induſtriâ, dexteritate, prudentia omnes alias gentes longius antiſtant : dum commerciis, quæ non modo cum vicinis ſuis, ſed cum remotiſſimis nationibus, atque alio ſole ca-

lentibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

lentibus contrahere ſolent, velut cotibus, indies acuuntur. Ita enim fieri ſolet, ut eorum mores induamus, quibuſcum frequenter verſamur. Quamquam Borealis tractus incolæ, antiqui & moris, & habitus, & ritus, & linguæ tenaciores: adeo ut Hollandica illa ſimplicitas & morum caſtitas, quam ruſticitatem nunc appellant, poſtrema veſtigia ſua hoc in loco videatur poſuiſſe. Fæminæ integritate, & in re familiari adminiſtranda ſedulitate præ alijs commendantur. Virgines modeſtę & candidæ. Si loquentes audias, Sirenes dixeris; tam lepido & ſuavi vocis ſuſurro aures demulcent. Gerris, ſæpe etiam rebus ſerijs & gravioribus, non interrupta ſerie recitandis, totos dies inter ſe nonnullæ abſumunt. Familiare & adnatum huic ſexui malum. Viri robuſti, lacertoſi, & omnibus, ut ita dicam, ſuſtinendis pares. Corpora procera. Animus vegetus. Ingenio ad quævis capeſſenda veloces. Ad pacem & bellum perinde ſubiti. Libertatem tantopere amant, ut non prius illam quam cum vita amittanr. Didicit id civilibus his motibus Hiſpaniarum Rex Philippus: cum quo tot jam annos pro eadem conſervanda fortiter depugnant. Qui rebellionis fædum crimen intentant, injuriam faciunt eorum integritati. Ingeniis enim ad tranquilla & pacem promtioribus ſunt, ac inquiſitione magis, & inaudita tyrannide, quam propria voluntate ad bellum cum cæteris Fęderatis compulſi. Cætera in Principes & legitimos Magiſtratus ſuos obſequio nullis facile palmam concedant. Magnus illis animus, conſtans, & propoſiti, quod ſemel fixit, ſemper tenax. certe vix, ac ne vix quidem ab eo poſſunt divelli. Avitam & à majoribus acceptam religionem haud facile deſerunt. Honorum & dignitatum non ita avidi, lucri appetentiores. Videas non adultas modo, ſed etiam infantes puellulas cupediis venum expoſitis paſſim proſtare. Ita lucri cupiditatem cum ipſo lacte imbibunt. Frugalitate præ reliquis laudantur. Nemo fere civium eſt, qui non bovem integrum vel dimidiatum quotannis ſibi mactet, cujus partem fumo induratam in caminis, partem ſale conditam in cadis ſalſamentariis victui hyemali recondit. Diebus tamen feſtis, & Bacchanalibus ſtrenuè ac opipare epulantur. Potu præcipuè excipiunt. An cælo ſuo ad illum animentur, an copia ejus incitentur haud facile eſt dictu. Vicini etiam epularum cauſſa aliquando conveniunt. Civitates enim Hollandicæ in quatuor, aut plures partes, partes autem illæ denuo in vicinias ſuas findi ſolent. Si vero quis in eadem vicinia vel ædes emat, vel nuptias contrahat, vel etiam moriatur, certa pecuniæ ſumma Viciniæ Prætori ſive præfecto ſolvenda eſt. Hanc, ubi paullum excrevit, hoc eſt, ſingulis fere quadriennijs, aliquot dierum ſerie abligurire conſueverunt. Ferias iſtas lingua vernacula *Hoven* appellant. Munditiæ autem & elegantiæ adeo omnes, tam lautæ, quam tenuioris fortunæ cives ſunt ſtudioſi, ut hac quidem parte cum nullis ſint comparabiles. Viæ publicæ, & quidem illæ, quæ maximè frequentantur, hic mundiores ſunt, quam alibi domus. Neque enim ad libellam æquæ ſunt, ſed in unam partem vergunt, ne, cum aquæ non habent delapſum, fiant uliginoſæ. Ædes autem longe ſplendidiſſimæ. Supellex omnis non nitida modo eſt, ſed luce ſua velut auri fulgorem reddens. Ita radios de ſe emittit. Vtenſilia etiam quævis abjecta, quibus domeſticæ ſordes tractantur, expurgatiſſima ſunt. Focum ſplendere malunt, quam fumo obfuſcari. quorum utrum præferas

meritò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

meritò multi addubitant. Trabium præcipua cura eſt. Has adſcandere non licet, niſi calceis exutis; quod in Sacris olim factitatum me legiſſe memini. Si quis illas cæno leviter conſpurcaverit, graviter, præſertim fæminæ, indignantur. Ruſticorum tuguria & ſtabula propter nitorem jucundiore ſpectaculo hic ſunt, quam alibi regiè expolita ædificia aliorum. Illorum quidam terrã exercent, & boves paſcunt: è quibus butyri & caſei præſtantiſſimi copia fit longe maxima. Nonnulli è vennis, ita noſtrates vocant, ceſpites effodiunt: qui non per Hollandiam modo, ſed etiam vicinas omnes Regiones ſummopere expetuntur. Incolarum alij, & quidem tenuioris fortunæ, halecum capturæ ſtudium atque operam ſuam impendunt Hæ, inteſtinis evulſis, in cadis ſalſamentarijs magno numero quotannis condiuntur. Piſces ſunt palmæ fere magnitudine. Hic præcipuus fundus opum Hollandicarum. Incredibile dictu eſt, quot hominum Chiliades hac ratione alantur; Præter enim piſcatores ipſos, quorum numerum difficile foret inire, & hi quoque, qui vaſa & cados compingunt, & naves fabricant, aliaque conficiunt, quæ inſtruendis his ſunt neceſſaria, quæſtum capiunt haud contemnendum. Qui autem Belgarum primus rationem hanc haleces ſaliendi invenit, eſt Guilhelmus Bueckeldius, magni nominis piſcator; qui anno Æræ Chriſtianæ 1347, Biervlieti extremum diem ſuum clauſit. Auguſtus ille Imperator Carolus V. tanti hujus inventum dicitur feciſſe, ut anno 1556, Biervlietum una cum ſorore ſua Maria, Hungarorum Regina, adpulſus, adito ſepulchro, fauſta omnia ejus manibus fuerit adprecatus. Exſtat autem lepidum hoc Halecis ſalſati elogium; quod à Laurentio quodam ſuperioribus ſæculis concinnatum, & tabellæ penſili inſcriptum legitur in in Theatro Anatomico Leydenſi; quod in eorum gratiam huc tranſcripſimus, quos ævi illius operoſus ſtupor (talis enim revera eſt) delectat.

Halecis salsati Vires.

Halec ſalſatum, craſſum, blancum, grave, latum,
Illud dorſatum, ſciſſum, perventrificatum,
Huic caput ablatum, ſic pellibus excoriatum
Intus mundatum, crudum, vel in igne crematum,
Illi cæpe datum, per panem ruſtificatum,
Et ſic cænatum, dum tranſis nocte cubatum
Hoc theriacatum valet antidotum pretiatum,
Quod parat optatum putamen largifluatum,
Dans de mane ratum, guttur bibendo paratum,
Hauſtu proſtratum reparat, madidatque palatum
Et caput & pectus deſiccat phlegmatiſatum
Dans urinatum, cito mox deinde cacatum
Dirigit inflatum, cibum penetrat veteratum
Hoc medecinatum Laurens fert verſificatum.

Et in triclinio Arnoldi Egmondani, ſexti Gelrorum Ducis, qui obijt anno Salutis M.CCCC.LXXIV, hoc epigramma dicitur adinventum:

Halec aſſatum convivis eſt bene gratum;
De ſolo capite faciunt bene fercula quinque.

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Sed redeo ad ſemitam; è qua ſum digreſſus. Civium Hollandicorum ditiores ac potentiores, cujuſmodi plures ſunt, ſuſceptis in remotas Regiones navigationibus, rem ſuam haud mediocriter auxere, & etiamnum augent. Vere nauticus populus, & hac arte olim atque noſtra ætate excellens, cujus commercium unus orbis jam non capit. Collegia plerumque inſtituunt, & ſuis ſumtibus naves bellicas præſtantiſſimas adornant; quarum aliæ Norwegiam & Groenlandiam, aliæ Galliam, Angliam, Italiam, Hiſpaniam, & omnes fere Europæ, Aſiæ, Africæ, & Americæ Regiones frequentant. Sunt etiam quæ in communes Patriæ hoſtes à privatis armantur, ſolius prędæ cauſsâ. Sed ante alias memorandæ nobis ſunt celeberrimæ illæ in Orientalem & Occidentalem Indiam Navigationes; quibus iſtarum Regionum vaſtæ & diu ignoratę opes, gemmæ margaritæque, aurum, argentum, atque ebur in Hollandiæ ſinum ubertim derivantur. Indiæ Orientalis Societas jam longe eſt florentiſſima. Occidentalis optimam ſpem de ſe dedit. Capta enim divite illa Hiſpanorum claſſe, & Pernambuco, inſigni oppido, nuper expugnato ad hanc Regionem certiſſimus aditus patefactus eſt. Atque hinc illa opum vis, & potentia Hollandorum, quæque hanc conſequi ſolet, nominis virtutiſque ſuæ apud alios autoritas & reverentia. Sic quodam quaſi æſtu & torrente felicitatis in hanc gloriam excreverunt; ipſi, quamvis omnibus pene deſtituti, hujus tam lautę & excelſæ fortunæ ſuæ ſtrennui fabricatores. Injurius autem hoc loco in Hollandos meos fuerim, ni Epiſtolam, quam Aloyſius Marlianus, profeſſione medicus, domo autem Mediolanenſis, ad Hieronimum Buſlidianum, de nativis hujus Regionis noſtrę bonis, & incolarum ingenio elegantiſſimam perſcripſit, colophonis loco, his attexam. Omnia ejus deſcribet ſupervacaneum quæ vero Hollandiam propius ſpectant, neceſſarium putavi.

Aloyſius Marlianus D. Hieronymo Buſlidiano, Arrienſi Præpoſito, S.

EGO, *mi Buſlidiane, Hollandiam ſatis admirari non poſſum; ſive rerum novitate, ſive pulcritudine, ſive omnium rerum felicitate. Quid enim novum magis, quam videre Oceanum cum terris luctantem? terraſque ſolo paleæ intextæ & nodatæ ſcuto contra Oceanum tutas & victrices? Quid ventos, dum rotas agunt flatu ſuo cum aquis quotidie pugnantes, & quo velint aquas derivantes? Quid denique admirabilius videri poteſt, quam uno gelu totam concretam hyeme Inſulam cernere? ultroque citroque huc illuc virorum, fœminarum, puerorum examina ferreis neſcio quibuſdam pedibus tam rapide ferri, ut multos Icaros volantes putes & Dædalos? Redeunte autem anno, & apparente vere, quid eſt ea Inſula formoſius, quid viridius, quid herboſius, quid floridius? Spirant undique opobalſama venti; prata habent, paſcua, nemora, campos: tenent armenta prata, paſcua; nemora feræ ſylveſtres; lætæ & luxuriantes ſegetes campos. Complet autem cœlum undique omnigenûm avium concentus. Scatet enim omnium avium genere, quas aut tellus pariat, aut aqua nutriat. Hæc felix Inſula, cum ad civitates perventum eſt (libet civitates, non oppida appellare) offert ſe oculis tanta elegantia, ut non ſit minus difficile fortuitum & optimum hoſpitium invenire. Immundi quicquam importari vetat janitor, aſperſò ſabulo veſtibulo. Intus omnia ſunt ſumme elegantia. Muri tabulati ex ligno quod ſponte fluctuantis maris undas æmulatur veſtiuntur. Supellex ingens; argenti, æris, metalli, tapetis & picti eſt plurimum. Lineæ telæ nives candore vincentes plus quam dici poteſt. Vis dicam uno verbo elegan-*

tiam

tiam omnium? Exſpuendi locus non datur. Vnde ſæpe mecum cum in ea Inſula eſſem egi, natam ibi eam anilem fabulam: Cum duo amici cœnarent loco tam picto, ut nefas videretur ſputo aliquam particulam oblinere, in malefactam ſocij faciem, natura forte ſomniante dum eam faceret, exſpuiſſe. Vnde commoto altero, Parce inquit, reſpondiſſe, Amice, nihil facie tua turpius hoc in loco obvium oculis meis fuit. Eſt præterea nihil uſquam quo humana vita carere non debeat præſtantius quam ibi. Mirum eſt; quicquid beata hæc Inſula parit tam pulchrum eſt, ut matre Venere editum putetur. Dij boni, quales homines, quales fœminas, quos equos, quæ cætera armenta, quæ pecora parit! ultra vero mirari hanc ſoli felicitatem, accedit quod cumulatiorem fortunam faciat copia roſtratarum navium tanta, ut pene Germanici, Britannici, & Gallici Oceani domina dicatur. quibus ad aſſidua quæ cum omnibus gentibus exercet commercia utitur. Inſuper tanta eſt Lanificij cura, ut ambigere quiſquam poſſit, dicatam ne putet Minervæ hanc Inſulam, an Veneri? Lineæ autem pretioſæ telæ Ochemeniis telis prælatæ ſummum eſt pretium. Et ne terrarum benignitati & ſummę arti mare cedere videatur, tam piſcoſum & beatum eſt, ut piſcando Batavi plus argenti & auri venentur, quam extremis laboribus alij effodiant. Ad ſummum delectantis eſt opus naturæ, &, ut Poëtę ferunt, Dædalia eſt hæc inſignis Batavorum Inſula. quæ ſi ea forma priſcis temporibus fuiſſet, amplam fabulæ materiam dediſſet. Hanc profecto, poſthabita Cypro, Gnido, Papho, Cytherea Venus incoluiſſet. Sed quorſum feror? quid inſanio? Noctuam Athenis oſtendo, dum tibi Galliam Belgicam & Batavorum Inſulam pingo. Verum non inſanio, non caſu ſed conſilio ad hæc littora delatus ſum. Accuratius hæc percurri, ne poſthac ironicą nominis tui figura in nos feraris, dum veſtris plus ęquo detrahis, & Italis noſtris eâdem figura plus æquo tribuis. Niſi ſemper velis nos irridere, & in Italicum fletum irrumpere; nobiſque exprobras, quod Troës fuimus. Fuimus equidem Troës; nec eſt quicquam quod forte nos futuros prohibeat. Petis à me, ut tibi Hiſtoriæ meæ copiam faciam. Mihi autem tantum otij nunquam fuit, ut poſſem Hiſtoriam conari. Dices inquam, Ne vixiſti. Vixi equidem. Scripſiſtine? Scripſi. Cur non edis? Non eadem eſt ratio ſcribendi. Scribere quocunque tempore poſſumus; edere autem niſi oportune. Accedit, difficilius eſſe emiſſam rem revocare, quam edere. Victus tamen tuo judicio, brevi ad te ſtudiorum meorum deguſtationem mittam. Sed cave ne te requiſiti officij, & contra me ſuſcepti negotij pœniteat. Vale.

CAPVT

CAPVT VI.

Hollandiæ inſignia. Arma quare dicta. Lacedæmoniorum mos. Gladiis olim adpicta inſignia. Præſtantiorum animalium ſigna, ſtirpium argumenta nobiliorum. Aquila Romanorum. Eadem biceps Imperatoris, & quare. Leo in ſignis Romanorum & Trojanorum uſurpatus. Mutius Valens notatus. Quæ & quare Leonum inſignia in Belgio inferiori. Leo Hollandicus unde originem habeat, variæ conjecturæ.

AC tranſeo jam, ut de Hollandiæ Inſignibus, atque eorum origine aliquid hoc loco ſuperaddam: præſertim cum hæc diſceptatio, quamvis ab omnibus hactenus prætermiſſa, non minus utilitatis, quam voluptatis ſit habitura. Ignoſcent autem mihi ęqui lectores, ſi in amęniſſimo hoc campo paullo altius atque longius fuero exſpatiatus: cum patrum noſtrorum memoria, Ioan. Ludovicus Vivaldus ingens & grande volumen ſcripſerit de laudibus & triumphis trium liliorum, quę in ſcuto regum Francię figurantur, ut loquitur & teſtatur in ejus vita Albertus Leander lib. 4. de viris illuſ. Ord. Prędicatorum. Inſignia igitur ſunt, quibus Regiones & nobiliores familię inter ſe diſcernuntur, ſive animalis, ſive alterius alicujus rei figurâ; *Arma* vel *ſcuta* vulgo & barbare appellant: ſive quod bello olim parta ſint, ſive quod in caſtris potiſſimum ad diſcrimen circumferrentur. Atque hoc quidem antiquiſſimum eſt inſtitutum. Cum enim ſcuta ad neceſſitatem eſſent inventa, ut corpus defenderent; acceſſit deinde decoris & elegantię ſtudium, cœperuntque pingi. Ac primitus quidem magnorum heroum pręclare geſta inſcribebantur; & his, qui ſtrenuè pro patria depugnaſſent, pręmij loco ab imperatoribus donabantur. Poſtea etiam horum facinora, quibus offerebantur, incidi cœpta. Qui autem nihil magni geſſerant, parma alba ornabantur; cujus rei plurima exempla obvia ſunt apud Maronem. Scuta vero ejuſmodi primum ærea, deinde aurea & argentea fuere: quorum paſſim mentio eſt apud bonos auctores. Trebellius Pollio in D. Claudio: *Illi*, ſcilicet Claudio, *clypeus aureus, vel ut Grammatici loquuntur, clypeum aureum Senatus totius judicio in Romana curia collocatum eſt, ut etiam nunc videtur.* Lacedæmonij vero Græcorum præſtantiſſimi, Clypeis ſuis litteras ſingularias, diſcriminis cauſa, inſcribebant. Λ Lacedæmonium, Α Argivum, Σ Sicyonum, teſte Xenophonte lib. IV. Hellenicôn, deſignabat. Alij alia adhibebant: Demoſthenes, ut de eo teſtatur Plutarchus, ἐπίσημον ἐπὶ τῆς ἀσπίδος habebat ἀγαθὴν τύχην, Bonam Fortunam. ut plurimum tamẽ animalium figuræ pingebantur, aut incidebantur. Ita Parthenopæo caprum clypeo inſculptum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

ſculptum, attribuit Euripides in Phœniſſis, additq; hoc fuiſſe ejus familiæ inſigne, ſive, ut ipſe vocat, οἰκεῖον ἐπίσημα. Angujum & hydræ inſigne Aventino adſcribit Virgilius lib. 7. Æneid.

Poſt hos inſignem palmâ per gramina currum,
Victoreſque oſtentat equos ſatus Hercule pulcro
Pulcer Aventinus, clypeoque inſigne paternum
Centum angues, cinctamque gerit ſerpentibus hydram.

Vbi notabis *inſigne paternum* dici, id quod à majoribus ad poſteros, quodam quaſi hæreditario ejus familiæ jure, tranſmiſſum eſt. Nec ſcutis tantum, ſed & gladiis adpicta fuiſſe ejuſmodi inſignia, haud obſcure colligo eſt Heliodori Li. 11. Æthiopicôn, ſub finem. Vbi Thisbes interfectorem Thyamim eſſe, Knemon ex gladio ejus cognoſcit. Adſcribam verba Knemonis: ὁ δὲ ἀνῃρηκὼς ὡς ἐπίπαν ἐστι Θύαμις, εἰ δεῖ τῷ ξίφει τεκμαίρεσθαι, ὃ παρὰ τὴν σφαγὴν εὑρήκαμεν. ἐκείνου γὰρ εἶναι γνωρίζω, καὶ τὸ ἐπίσημον τοῦτο τῆς λαβῆς, ἐλέφας εἰς ἀετὸν ἐκτετόρνευται: id eſt: *At interfector ejus omnino eſt Thyamis: ſi quidem conjectura facienda eſt ex gladio, quem juxta cædem invenimus. Illius enim eſſe cognoſco, & inſigne hoc anſę: aquila enim ebore cęlata eſt.* Porro & olim & hodie nobiliorum ac præſtantiorum animalium ſigna, ſtirpium argumenta nobiliorum cenſentur. Quam ob cauſſam aquilam, volucrum principem, inter militaria ſigna adhibuiſſe olim Romanos, ſatis compertum eſt. Hodie bicipitem illam oſtendit Imperator. Quam excogitaſſe dicitur Carolus V. qui primum Hiſpaniæ Rex, cujus inſigne aquila eſt, mox Imperator factus, & Hiſpanicam & Imperatoriam aquilam conjunxit. Aliam rationem reddit nonnemo Poëtarum:

Picta biceps aquila, hinc occaſum, hinc dum adſpicit ortum,
Alter, ait, noſtri eſt Cæſaris, alter erit.

Præter aquilas autem, lupos, equos, minotauros, apros, aliaque ejus generis animalia, Leo etiam uſurpatus eſt veteribus Romanis. Docet hoc, præter alios, laudatiſſimus Poëta Claudianus, de Bello Gethico:

Nervius inſequitur, meritusque vocabula felix,
Dictaque ab Auguſto Legio, nomenque probantes
Invicti, clypeoque animoſi teſte Leones.

In quam rem vide, quæ Analectis ad Militiam Romanam notat medulla Suadę Iuſtus Lipſius. Trojanos etiam Leones in navibus depictos habuiſſe docet Maro lib. x. Æneid.

Æneia puppis
Prima tenet; roſtro Phrygios ſubjuncta Leones.

Ex quo verſu Vir eruditiſſimus Mutius Surgens Lib. 1. cap. 2. de Officio Pręfecti Prætorij, ſatis redicule probare conatur, Neapolitanos originem ſuam habere à Trojanis, quod Nobiliorum plerique omnes Leonem, ſtirpis inſigne, uſurparent. Certe inferioris Belgij Regiones pene omnes eumdẽ habent. Forte quod ſitu ſuo Leonis figuram referant, ut Geographi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

graphi obſervant. Brabantia in atri coloris clypeo Leonem deauratum, prioribus ungulis leviter inſurgentem, oſtendit. Apud Lutſemburgenſes Leonis purpureũ corpus invenias; quod tamen quatuor cæruleis tignis tranſverſim poſitis finditur. Flandria atque Hannonia nigrum Leonem in clypeo deaurato oſtentant. Gelria vero in clypeo purpureo eumdem deauratum habet, & paullum inſurgentem. Namurcenſes idem habent inſigne, quod Flandri, niſi quod Leonis caput corona aurea hic ſit redimitum. In Zeelandia Leo mediis undis innatat & cum fluctibus colluctatur. Hollandia eumdem rubeum in ſolo ſeu campo, ut nunc loquuntur, aureo oſtentat, cum exerta lingua cyanei coloris. Inſigne hoc profluxiſſe à devictis Palæſtinis putat Pontus Heuterus. Quo nihil magis vanum & ineptum dici poteſt. Gentes enim illæ Orientales tantopere ab animalium figuris abhorrent, ut etiam illas, quibus Signa Cæleſtia in Globis commode deſignari ſolent, penitus rejecerint. Harum loco lineolas intricatas & quædam præclare dicta, ſive Apophtegmata, diſcriminis cauſſa, ſignis militaribus inſcribunt. طغرا *Togra* vulgo appellant, quod me docuerunt, qui Orientem aliquoties viſitarunt. Leo igitur, quem Hollandia nunc habet, Francorum Regum olim inſigne fuiſſe traditur ab Hunibaldo. Neque abſonum videtur, ſi ſtatuamus, Francorum Reges, qui Provinciæ huic Miſſos ſuos Dominicos, quo nomine appellantur in diplomatis, olim præficiebant, & poſtea Comitatum dicuntur inſtituiſſe, hoc ſuum Inſigne primo Comiti tradidiſſe. Ab Aquitanis etiam profluxiſſe potuerit, ſi verum eſt, quod aſſerunt noſtri Annales, Theodericum, primum Hollandiæ Comitem, Sigeberti Aquitanin Principis filium fuiſſe. Aquitanos enim hodieque unum tantum Leonem pingere ſatis conſtat. A Francis certe per Aquitanos in Hollandiæ Comites inſigne iſtud derivatum eſſe Genealogia hac, quam certa tamen jam non diſquiro, oſtendit Ioan. Leydenſis lib. VI. ca. VI. *Theodericus*, inquit, *Comes Hollandiæ, armatus fuit clypeo aureo, in quo depicta exſtitit rubei coloris imago Leonis. Itaq; clypeus iſte fuit clypeus patris ejus Sigisberti, filij Naufredi, filij Enghelrini, filij Theodorici, filij Lotharij, filij Theodorici, Ducis Aquitaniæ, filij Chilperici, Regis Franciæ, ut patet in arboris figura hujus libri.* (non exſtat illa hodie.) *Et quia Pipinus, Rex Franciæ, pater Caroli Magni, ſibi ſubjugaverat totam Franciam, ideo portavit vera arma Franciæ, nec permiſit aliquam Eccleſiam (terram) quantumcunque potentem, portare de cætero arma Franciæ, præter deſcendentem de ſuis lumbis. Sed contulit idem Pipinus Rex præfato Theoderico, Duci Aquitaniæ, ſpiritualia* (locus & ſententia corrupta, ſcribe *ſpecialia*) *arma, videlicet ſcutum aureum, & in eo Leonem rubeum, cum lingua & branceis blaveis. Et quia à Theodorico, Duce Aquitaniæ, originem traxit, ideo & ipſe eadem arma portavit.* Aliam longe rationem & originem reddere conatur Wilhelmus Heda; qui cum primum Hollandiæ Comitem, non ab Aquitanis, ſed vero à Principibus Viennenſibus oriundum eſſe dixiſſet, ex eo ſententiam ſuam adſtruere conatur, quod Viennenſes ijſdem inſignibus, quibus Hollandi, utantur; eadem autem inſignia eamdem originem & ſtirpem fere deſignent. Verba ejus in Hungero ſic ſonant: *Quod autem Theodericus Princeps Viennæ fuiſſe potuerit, ſatis alludit, quod Eccleſia ipſa Viennenſis (quæ jam provinciæ adſcribitur metropolis) valde ſolennis, prout nobis illic exiſtentibus oſtenſum eſt, hac noſtra ætate ijſdem utimur* (ita male vulgo. lege *utitur*) *quibus Comites Hollandiæ.* Ceterum in ea opinione ſum, Hollandos à Nortmannis, quos hos tractus olim tenuiſſe diximus, iſta ſua inſignia, quibus hodie

utuntur,

utuntur, accepiſſe. Ita Normandia, quæ Nortmannorum colonia eſt, Leonum inſigne adhuc uſurpat. Carolus enim Simplex Rolloni Nortmannorum Duci, filiam ſuam Stillam in Matrimonium, &, ut omiſſo bello Chriſtianam religionem amplecteretur, in dotem Neuſtriam dedit: quæ ab ipſo mox Normandiæ nomine eſt appellata. Ab iiſdem & Angliæ Regum Inſigne, in quo tres Leones jubati pingebantur, profluxiſſe ſcribit Gulielmus Paradinus Anglicæ Deſcriptionis compendio, cap. XIX. quod eſt de Anglorum Regum ſignis militaribus. *Polydorus*, inquit, *Vrbinas Gulielmum Normannum tres jubatos leones in militari parma habuiſſe & ad poſteros tranſmiſiſſe tradit. Si quid conjectare licet, ſuſpicor non omnino Polydoro accedendum, nec ejus prorſus elevandum teſtimonium: ſiquidem Normannum duobus leonibus uſum, vel hodie Normannicæ ditionis inſigne arguit: tertium vero acceſſiſſe ex Aquitania Anglis, quâ olim uxorio jure potiti ſunt, arbitror. nam & Aquitania unicum hodie Leonem pingit. Hinc factum, ut trium leonum jubatorum inſigne Anglis ſit Regibus. Sed nihil mirum, illos Normaniæ atque Aquitaniæ ſignis uſos, qui ne lilijs quidem hodie temperant, quæ Artevillæ proditori accepta referunt.* Offero tibi has conjecturas meas, benigne Lector; ad quas maximè vero ſimiles fugiendum deflectendumque eſt, ubi Hiſtorijs deſtituimur. Nos ut non pro vano ſcripſimus hæc, ita nec pro confeſſo. Illud certum, Hollandos vere eſſe θυμολεόντες, animo & pectore adverſum hoſtes ſuos Leones, quod elogium Heröibus ſuis non ſemel adtribuit Homerus. Qua occaſione Epigramma illud aliquando ſcripſimus; quo peſſulum huic capiti ac diſſertatiunculæ occludam:

Vnum cum pingas, educis mille Leones,
Inque hoſteis animas, terra Batava, tuos.

CAPUT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

CAPVT VII.

De nobilitate Hollandica. Nobilium ſeries. Ambacti eorumque præfecti quid ſint, & unde dicti. Nobiles à vectigalibus & portoriis immunes. Brederodij, Egmondani, Waſſenarij unde denominati & orti. Ordo Equeſter S. Iacobi à Florentio quinto inſtitutus. Hiſtoria ejus paullo accuratius excuſſa. Qui bene nati vulgo. Equitum, qui in Hollandia floruerunt, ſeries. Quis Catalogus Nobilium, Urbium & pagorum, qui Philippo Burgundo fidelitatis juramentum præſtiterunt, cum ejuſdem formula. & qualis hodie ordo Equeſter in Hollandia.

NOBILITATI Hollandiæ, ac illuſtribus patritijſque in eadem familiis ſeptimum caput hoc ſacravimus. Has undique ex Hiſtoriis, Actis Monimentiſque publicis & privatis excitas, ſuas quaſque ordine, declinandæ vel invidiæ vel offenſæ potentiorum, ſub Alphabeticum hoc ſignum voluimus convevnire. Certe voluimus: & ignoſcent æqui lectores, ſi quæ oculorum noſtrorum acumen & diligentiam effugerint. Operam autem dedimus, ne qua illuſtrior deeſſet. Series iſta eſt:

Abbenbrouck,
Abſpoel,
Abſcoude,
Ackerſloot,
Accoy,
Adrichom,
Aelburg,
Albout,
Alckmer,
Alckemaede,
Almmonde,
Alphen,
Altena,
Amayde,
Amerongen,
AMSTEL,
ASSENDELF,
ARCKEL,
ASPEREN,
Alblas,
Ambors,
Bakeneſſe,
Beadmont,
Beern,
Beets,
Bekenſtein,
Benſchop,
BENTHEM,
Berckenroede,
Bergerhorſt,
Berghem,
Beſoyen,
Bever,
Bevermont,
Binchorſt,

Backer-

Backerwaerde,
Banyaert,
Bleyſwijck,
Bloemeſteyn,
Blolant,
Bloot,
Boeckel,
Boel,
Botterſloet,
BOETSELAER,
Boshuyſen,
Bockhoven,
BOVCKHORST,
BREDEROEDE,
Broeckhuyſen,
Brouchorſt,
Burch,
Butterman,
Butere,

Cabauw,
Caſtricom,
Clootwijck,
Coudekerck,
Coortgen,
Coppier,
Coelſter,
Crayeſtein,
Craelingen,
Cranenburgh,
Croeſinc,
Croonenſtein,
CRVNINGEN,
Cuyl,
Daellem,
Delf,
Denemarcken,
Dever,
Dyebeets,
Diemen,
Diepenburch,
DOES,
Dongen,
Doortoge,
Dorp,
Drimmelen,
Dronghelen,
Droſſaert,
Duyck,
Duynen,
Duſſen,
Duven,
DUVENVOORDE,
Eemskerck,
Eethem,
Egghert,
EGMONT,
Egmondelf,
Elshout,
Emmichoven,
Endegeeſt,
Ever,
Everſdijck,

Fibburch,
FOREEST,

Gaesbeeck,
Gellechom,
Geervliet,
Gheur,
Ghyſſen,
Goye,
Gou,
Gouree,
Grebber,
Groenevelt,
Gruyter,
Gruytwaeter,

Hage,
Haerlaer,
HAERLEM,
Harghen,
Harnesberge,
HAESTRECHT,
Heechuyſen,
Heyligeloo,
HEEMSTEDE,
Heen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Heenvliet,
Heerman,
Heeſbeen,
HEUCKELOM,
HEUSDEN,
Hillare,
Hillegom,
Hodenpijl,
Hoochtwoude,
Hoorne,
Houweninghen,

Iode,
ISELSTEIN,

Kedichem,
Kijſhoeck,
Koudenhove,
Kraeyenhorſt,
Kuſer,

Laen,
LANGERACK,
LECK,
Lede,
Leyenburch,
LEYTHIS,
LEERDAM,
Leeuwen,
Lieſvelt,
Linde,
Lips,
Lockhorſt,
Loenderſloot,
Loo,

MATENESSE,
Made,
Marck,
Mere,
Merenſtein,
MERWEDE,
Mijle,
Mijnden,
Moerkercke,
MOERDRECHT,
Molenaer,
MONSTER,
Mulen,
Muylwijck,

Nachtegael,
Naghel,
NAELDWIICK
Nederveen,
Neveke,
Nyenrode,
Nyenſtein,
NOORTVVIICK,
Noorden,

OEM,
Ooſterwijck,
Ooſthoorn,
Ooſtgeeſt,
Outſhorne,
Outheuſden,

Paypaert,
Peel,
PERSIIN,
Pynſſen,
Poel,
POELGEEST,
Poelenburch,
POLANEN,
Poskijn,
Poſteke,
Potter,
PVRMERENT,
PUTTEN,

Queeckel,

RAPHORST,
Renſenberch,
Rhijnegom,
Riede,
Rietvvijck,
Rimerborch,

Rijſoort,
RIISWIICK,
Roden,
Rodenrijs,
Rollant,
Roſenberch,
Roſendael,
Ruys,
Ruyven,
RUYCHROCK.

Saenden,
Sabbinge,
Santhorſt,
Saſſenem,
Saſbout,
Sayt,
SCHAGEN,
Schalmen,
Schobbelant,
Schoten,
SCHOONHOVEN,
Schotlant,
Schotan,
SEVENBERGEN,
Shaeren,
Slingelant,
Sluyſe,
SOETERWOUDE,
Sonnevelt,
Souburch,
Spaerwoude,
Spane,
Spange,
SPIICK,
Spierinck,
Spierinckshouck,
Spijſdrager,
Stapel,
Steenhuyſen,
Stoop,
Strenen,
Strijen,
Suyck,
Suys,

TEYLINGEN,
Tetroede,
Theit,
Theleuſen,
Tol,
Tolloyſe,
TRESLONGE,

VALKENBURCH,
Valckenſtein,
Veen,
Veer,
VELSEN,
VYAENEN,
Vliet,
VOORN,
VOORHOVT,
Voorſchoten,
Vries,
Vtenhout,
Vuren,
Waerdenburch,
Waes,
Waele,
Walmis,
WASSENAER,
WARMONT,
Wateringe,
WATERLANT,
Weede,
Weert,
Weyburch,
Weent,
Wena,
Werve,
WESEPE,
Weſterbeeck,
Wis,
VVijck,

Wijck,	Wielneſſe,	Woerdt,	Zaenen,	Zuydwijck,
WIINGAERDEN,	Wilven,	WOVDE,	Zevender,	Zvvieten.
Wieldrecht,	WOERDEN,	Wtwijck,	Zijl,	

Harum familiarum plurimæ aſſiduis bellis, quibus induſtriam ſuam & virtutem Nobiles olim frequentius probabant, jam ſunt exhauſtæ. Nobilium, alij Vrbes, alij municipia vulgo **Vryheden**/ alij *Ambactos* & pagos, alij arces habent, à quibus denominantur. In his quidam mero & mixto, alij mixto tantum imperio utuntur. A pagis autem ſive ambactis, *Ambactorum Domini*, vulgo **Ambachts-Heeren**/plerique omnes appellantur. *Ambactus* vox vetus Gallica eſt, & ſervum notat. Feſtus: *Ambactus apud Ennium lingua Gallica actus dicitur.* Vbi tamen pro *actus* meliores codices *ſervus* ſcribere notant eruditi. Gloſſarium vetus; *Ambactus* δοῦλος μισθωτός, ὡς Ἔννιος. Cæſar lib. VI. Gallorum equitum clientes *Ambactos* vocat: Verba ejus ſunt: *Alterum genus eſt equitum. ij, quum eſt uſus, atque aliquod bellum incidit, omnes in bello verſantur, atque eorum, ut quiſque eſt genere, copiiſque ampliſſimus, ita plurimos circum ſe* Ambactos *clienteſque habet. hanc unam gratiam, potentiamque noverunt.* Gallorum autem linguam veterem eamdem olim fuiſſe cum hodierna Belgarum tam certum eſt, ut in dubium amplius vocari non debeat. Et *Ambacti* etiamnum vulgo nobis dicuntur, qui operas ſuas aliis in dies elocant. Iam vero cum olim à comitibus pagis ſingulis ſinguli, ut ita dicam, judices præficerentur, in quorum clientela ruſtici erant, pagi *Ambacti*, Latine *officia*, quique ipſis præponebantur *ambactarij*, Latinè *Officiarij* dicebantur. Præerant illi juri dicundo. Vnde nonnullarum civitatum Prætores, *Officiarij* adhuc appellantur. Progreſſu autem temporis, cum pecuniam ab *officiarijs* illis commodato acciperet, *Ambactos*, Comes ſive *officia*, in pignus primum, & cum redimere aut non poſſet, aut non vellet, in Feudum dabat. Atque hinc eſt, cur Feuda, **Leenen**/ & Feudales **Leenmannen** Belgis dicantur. Quod enim *commodare* Latinis, id noſtrati lingua eſt **Leenen.** *Ambactis* vero in Feudum hac ratione acceptis, non *Ambactorum præfecti* amplius, ſed, auguſtiore titulo, *Domini*, vulgo **Ambachts-Heeren**/ vocabantur. Et tales ſunt omnes pene Hollandorum Nobiles; quorum potentia & opes in *Ambactis* ejuſmodi ut plurimum conſiſtunt. Sed de his ſatis, pro inſtituto noſtro ſuperque: Feudorum Hollandicorum naturam, rationem, ac differentiam ſcire qui volet, adeat quæ ab ampliſſimo Neoſtadio accuratiſſime in hanc rem ſunt perſcripta. Nunc primam eorum originem innuiſſe ſuffecerit. Nobiles hic, ſi alibi, maximæ ſemper auctoritatis & dignitatis fuere. Nihil fere moliebantur olim Comites, niſi ex eorum voluntate ac conſenſu: ut acta, monimentaque publica paſſim teſtantur. Vecti-

galium immunitatem illis conceſſit, aut certe confirmavit Wilhelmus ejuſdem nominis tertius, Comitum vigeſimus & ſecundus, hac litterarum formula.

Nos Wilhelmus, Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, & Dominus Friſiæ, notum omnibus facimus; diſſenſiones nuper exortas fuiſſe inter Nobiles noſtros ex una, & plebem ex altera parte, &c. *Quamobrem ſtato die Hagam Comitis convenire illos juſſimus, & adfuerunt Nobiles, fideles & dilecti noſtri, Gerardus à Voorn, Burchgravius Zelandiæ, Guido de Flandria, Dominus de Putten & Stryen, Ioannes ab Arckel, Petrus de Lecka, Giſbertus ab Iſelſtein, Swederus ab Abcoude, Joannes à Cruningen, Didericus Burchgravius de Leyden, Simon à Benthem, Daniel & Nicolaus à Merwede, Ioannes à Duſſen, Herbarnus à Rieden, Didericus ab Oeſthoern, Didericus Bokel, Wilhelmus à Naeltwijck, Didericus à Zuytwijck, Arnold. à Grunevelde, Ioan. à Steenvoorde, Io. à Zijl, Equites, alijque plures Equites & Nobiles,* &c. *ut & Scabini civitatum Hollandiæ & Zelandiæ,* &c. *Atque ibi ex communi Feudalium conſilio ſtatutum eſt, ut omnes illi, qui ſtirpis ſuæ nobilitatem probare non poſſent, vectigalia & portoria una cum reliqua plebe perſolvant. Et quia firma rataque hæc eſſe volumus, ſigillum noſtrum appendi fecimus; Teſtes adſuerunt Didericus de Brederode, Wilhelmus ab Haerlem, Didericus frater ejus, Wilhelmus ab Egmont, Nicolaus frater ejus, Gerardus ab Eemſkercke, Nobiles. Actum Anno Domini* M.CCC.V. *Mercurij die, poſt S. Laurentij.*

Waſſenarii, Brederodii & Egmondani, principes familiæ, inter reliquos agmen ducunt. Frequens de illis & tritum inter noſtrates proverbium eſt:

Brederodij nobiliſſimi,
Egmondani ditiſſimi,
Waſſenarij antiquiſſimi.

Egmunda, ut hinc ordiar, unde dicta ſit, variant Scriptores Egmundam appellari ab *Hæc munda* acumen eſt Monachorum. Ajunt enim Willebrodum cum in hunc locum ad prædicandum Euangelium veniſſet, omniaque Paganorũ ſuperſtitionibus inſeſſa videret, dixiſſe Diſcipulis & Sociis ſuis, *Hæc mundate:* Originem huic fabellæ dediſſe exiſtimo vetus Egmundæ nomen, *Rinichom*, cujus etymon ipſi à *Reynigen*, quod *purgare*, *mundare* deſignat, argute deduxerunt. *Egmunda pagus eſt littoralis* (Sententia & verba ſunt Petri Nannij Alcmariani de primigenia ejus nominis origine) *olim portu inſignis, duplo longius Alcmaria diſtans. Ab anguſto enim oſtio Engmont etiamnum dicitur: credo quod ſtagna Rheni ibi ſuum Emiſſarium in Oceanum haberent. Certe intra ſecundum lapidem ad viculum (nomine Crabbedam) viſitur alveus Rheni, qui (Rinichom intelligit) nomen ſuum antiquum retinuit, licet à Rheno deſtitutus.* Mihi ſic videtur:

Egmun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Egmundam (ita enim ſcribitur in antiquis Diplomatis,non *Hæcmunda*, aut *Egmonda*) dici ab *Eg* fluviolo præterlabente,& *munt*, quod *os* nobis deſignat. Nomina enim Vrbium aut pagorum in *munt* deſinentia, præter vel interlabentis fluminis delapſum notant. Ita Rupelmunda,quod ad Rupelæ, & Iſalmunda,quod ad Iſalæ os ſitæ ſint,commode appellantur. Et docuit me,cum hæc ſcriberem,Vir Cl.Petrus Scriverius, in antiquis Diplomatis,quæ ipſe vidit,Egmundam appellari *Terram ſitam ad Eg*. Ex quo ſatis ſuperque manifeſtum eſt, fuiſſe hic *Eg* fluviolum,quamvis nullum ejus veſtigium hodie exſtet. Cœnobium autem Egmundanum ſumtibus I. Comitis Diderici ligneum exſtrui cæptum eſt, ac Veſtalibus primum è prima Nobilitate Virginibus ſacratum : quod à filio & ſucceſſore ejus cognomine è lapide inſtauratum, ac Monachis Benedictini Ordinis deſtinatum eſt. Abbas his præfuit. Egmondanus ipſe nomine & dignitate *Advocati*, id eſt *Tutoris* & *Patroni* gaudebat. Donec Ioannes Egmondæ Dominus, anno natæ Salutis 1488. Comitis dignitate & titulo à Maximiliano Imperatore ornatus fuit. *Dominium*, (verba ſunt Diplomatis) *opidum & caſtrum de* Purmerende, *& villagiis dictis* Neck, Purmerlant, *&* Ilpendamme, *cum omnibus ſuis pertinentiis, Comitatui tuo Egmondenſi, ex certa noſtra ſcientia, pro te & tuis ſucceſſoribus inſeparabiliter conjunximus, & per præſentes annectimus, in verum Comitatum ereximus & erigimus, inſignivimus & inſignimus, & prędicta Regalis poteſtatis plenitudine decoramus*, &c. Egmondenſis familia ſex normas ſeu canones alternis aureas & rubeas in ſcutis ſuis pingit. Originem illi debent Comites *Burani*, Fredericus enim Egmondanus, qui nupſerat Aleidi à Culeborch, & Dominæ de Buren, primus Comes ejus loci creatus eſt anno 1471. 26. Iulij, à Maximiliano Imperatore. Ioannes Egmondanus, frater Walteri, exſtruxit anno 1319. arcem Mereſteiniam prope Beverwicum, & inde *Mereſteinij*. Ab his autem *Kennenborgij*, ex quo Albertus Mereſteinius, accepta in uxorem Haſa, filia Philippi de Bloot, Dominium Kennenburgenſe,anno 1450, in dotem accepit. Fuit hæc ſemper conjuncta cum ſtirpe Arckelienſi ſeu Herculana, ex quo Ioannes Egmondanus, Arnoldi filius, Ioannis nepos, circa annum 1440, uxorem duxit Mariam Arckeliam ; ex qua liberos nonnullos ſuſcepit. Herculani olim divites & potentes fuere ; ſed à Iacoba Bavara, Gorcomio expugnato, funditus ſubverſi. In Teiſterbandiæ Comitatu, inter Leccam & Vahalim, præcipua erat opum & potentię vis. In hoc Goricomium, Regulorum ſedem, Leerdamum, Aſperam, Heuclomum, atquè alia nonnulla opida, præter arces complures, poſſidebant. Ex hoc fonte ſunt illuſtres familiæ *Heukelum*, *Aſperen*, *Haeſtrecht*, *Zevender*, *Leyenburch*, *Ackoy*, *Ooſterwijck*, *Leerdam*, *Daellem*, *Dongen*, *Slingelant*, *Kedichum*, *Kijſhouck* & *Gelcum*. Brederodij primigeniam originem ſuam ab Arnulpho Gandenſi, Diderici II. filio, Hollandiæ Comite, habere exiſtimantur. Ejus natu minor filius Syphridus in odium patris imprudenter incurrit, à quo poſtea in gratiam & amorem priſtinum receptus latifundia ac dominia amplioribus juſto decempedis (ejus namque ſignificatio in voce *Brederoede* continetur) accepit. Atque hoc nominis & tam præclaræ ſtirpis auſpicium fuit. Syphridus hic Burggravius Kinheymariæ & Friſiæ dicitur fuiſſe; qui ex, Tetburga Poteſtatis filia Friſiæ ſuperioris (dignitatis nomen tunc erat, vernaculis ſcriptoribus **Poteſtaet van hoogh Vrieſlant**) invito & irato patre filios duos Simonem & Didericum ſuſcepit. Didericus quidem factus eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Brederodæ, Simon vero Teylingiæ Dominus. Goſſonem Ludigmannum ſocerum Syfridi appellat Martinus Hamconius lib. 1. de Viris Regibuſque Friſiæ Illuſtribus:

Goſſo Ludigmannus, comi virtute Poteſtas
Prædita, hoſpitio natum, de more, Syfridum
Extorrem Hollandi Comitis ſuſcepit honeſtè.
Filiolamque illi Tettam dedit: unde propago
Et Teylingana & Brederodia nobilis orta eſt.

Continere autem me non poſſum, quin hoc loco ex veteri Chronico Teutonico nonnulla adſcribam de prima Brederodiorum & Teylingiorum origine, ita à me Latinè reddita: *Syfridus quidem Brederodius, Arnulfi filius, Hollandię inſigne cum tribus faſcijs* (vernaculè **drie baren ſtelen**) *in ſcuto ſuo pingebat. Simon autem Teylingius tres anates argenteas gerebat. Et à Brederodijs deſcendunt Leccę Domini, qui in clypeo dealbato leonem oſtentant. Audivi aliquando nonnullos, invidia & partium ſtudio occæcatos, dicentes Brederodios nothos eſſe Wilhelmi I. Hollandiæ Comitis. Sed admodum falluntur. Ego ſtudioſe in rei veritatem inquiſivi, invenique varia & antiqua diplomata, longe ante Wilhelmi tempora conſcripta, quæ ipſe manibus meis tractavi. In his diſertim videbatur nomen & ſigillum Brederodiorum. Et diplomata ejuſmodi plura etiamnum exſtant in Hollandia.* Ad marginem ſchema hoc ſubjungitur:

Arnulphus, Diederici II. filius, Hollandiæ Comes. ex hoc nati filij duo;

Didericus III. *Holland. Comes.*

Syfridus I. *D. Brederodæ: Filij ipſi erant etiam duo;*

Didericus II. *D. Brederod.*

Symon I. *D. Teyling.*

Epitaphium Syfridi tabulæ penſili inſcriptum hoc olim in templo Abbatiæ Egmondanæ lectitabatur:

Sæpe ſtatu morum ſtatus immutatur honorum
Quod comes exegit, quem lapis iſte tegit.
SICCO *genus Comitum Comitatum ponit avitum,*
Dum quod amat ſequitur, ſe minor efficitur
Sed fundis, ſervis, æriſque nitebat acervis
Inferior ſolo Principe, fratre ſuo.
Qui dum perpendit, quo mundi gloria tendit
Juris multa ſui tradidit huic domui.
Stirps de Siccone proceſſit in hac Regione
Florens divitijs, viribus, ingenijs.
Junius in Nonis tulit hunc vi conditionis
Cui ſit vera quies, perpetuuſque dies.

A Sifrido nempe prodiere Brederodij, Teylingij (à quibus *Tollij*, ab arce cognomini, quæ juxta Leidam olim ſtetit, ita dicti)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

dicti) & Leckani. quorum hi originem generis ſui referunt ad filium Siphridi, fratrem Theodorici, ſecundi Brederodæ Domini, ac nigri coloris leonem in clypeo argenteo oſtentant. Fides autem non eſt habenda Laſio, qui inepta nimis de Brederodiorum origine perſcripſit, neſcio quos auctores ſecutus. Verba ejus ſunt iſta: *Arnulſus Hollandię Comes ex Leutgardi Græca tulit Theodoricum Comitem Hollandię, & Sigeſridum Burggravium Friſię, Dominum in Karmerlandt, qui ex Dietburga Goteſnandi Præfecti filia genuit Theodoricum Baronem de Sevenburch, & Brederod, ſepultum in Treidtwingen, & Godeſridum Lutſelburgenſem.* Fallitur, ut dixi. Neque enim Sevenberga Brederodiorum unquam fuit, ſed vero Strienſium Dynaſtarum, ut ſatis conſtat, & ſuo loco, ſi otium Deus & vitam dederit, pluribus dicemus. Quid autem illud ſit, *ſepultum in Treidtwingen*, vix poſſum divinare. Niſi dicamus deceptum Laſium, qui cum in exoleto codice *Simonem in Teilingen*, inveniſſet, & fugitivas litteras vix legere potuiſſet, illud ſuum *ſepultum in Treidtwingen* efformavit. De Godefrido illo Lutſelburgenſi ne γρῦ quidem habent omnes patrij annales. In errore etiam cubat, diligentiſſimus alias Rerum Brabanticarum ſcriptor Edmundus Dinterus. Is libro Hiſtoriæ ſuæ quinto ſic inſit: *Defuncto, anno* M. CC. XC VIIII, *ſine liberis Iohanne Comite Hollandiæ, filio Florentij V, Iohannes Comes Hannonię, filius Ioannis de Avennis, effectus eſt Comes Hollandię: qui habens uxorem Philippinam filiam Comitis Luxenburgenſis, genuit ex ea Iohannem primo genitum, in bello Curtracenſi à Flamingis occiſum, & Wilhelmum ſibi ſuccedentem Comitem, Johannem Dominum de Bellomonte, Henricum Cameracenſem Canonicum, Domicellum Walravum, ex quo (ut fertur) deſcenderunt Domini de Brederoden.* Toto cælo aberrat. Filios quatuor priores agnoſcunt noſtri Annales. de Walravo illo Brederodio altum apud omnes hactenus & verum, niſi falſus ſim, ſilentium. Venio nunc ad Waſſenarios: quos à *Waſſer* propter *aquarum jus*, quod ſuperioribus ſæculis maximum in Hollandia obtinebant, nominatos, & à Claudio Civili famigerato olim Batavorum Duce, quem regio editum ſtemmate ſcribit Tacitus, originem ſuam trahere vulgata eſt opinio. A Waſſenaria pago prope Leidam ampliſſimo & antiquiſſimo nomen huic familiæ adhæſiſſe, nullus dubito. Potens admodum & præſtans familia; Burggraviatu Leydenſi, de quo plura in ejus urbis deſcriptione dicemus, inſignis. Ex hac Duvenvoordij pullulant, Boechorſtij, Raephorſtij, Polani, Mateneſii, Warmontij, flos & decus Hollandicæ nobilitatis. De his atque alijs alia qui volet, adeat politiſſimum Iunium, Bataviæ capite XIX: quod de Nobilitate Batavica inſcripſit. Pergo ad Hiſtoriam inſtituti in Hollandia à Florentio V. Ordinis Equeſtris S. Iacobi; de quo ne γρῦ quidem habent noſtri Scriptores. Primus illam in lucem protraxit Chriſtophorus Butkens in Annalibus genealogicis familiæ de Linden, qui ſcriptum hoc ex Codice Equeſtri, quem vulgo **het Boeck der Ridderſchap** appellant, Haga Comitis ad ſe miſſum ſcribit. Inſeruit deinde Donationum piarum libro Cl. V. Aubertus Myræus. Scriptum ita ſe habet:

Anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo Florentius Comes Hollandiæ, Zelandiæ & Friſiæ in publico atrio ſui palatij Hagenſis, dedit inſignia ſui Ordinis Equeſtris S. Iacobo Sacri duodecim primariis proceribus, quorum hæc ſunt nomina:

Theo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Theodoricus Comes Clivenſis.
Lancelotus Dominus de Hamelſtong
Legatus Henrici Regis Scotiæ.
Godefridus Dominus de Boicholt,
Legatus Weſtphaliæ.
Dominus Henricus Comes de Heneberch,
Legatus Colonienſis.
Theodoricus Dominus de Brederode.
Ioannes Dominus de Heuſden.
Ioannes Dominus de Arckel.
Theodoricus Dominus de Linden.
Otto Dominus de Aſperen.
Jacobus Dominus de Waſſenaer.
Giſbertus Dominus de Amſtel.
Hugo Dominus de Viaenen, equites.

Qui omnes juramentum præſtiterunt ſuper ſacris Euangeliis in manibus Domini Joannis Epiſcopi Ultrajectenſis, & pro pignore ſua ſcuta atque inſignia reliquerunt. Singuli autem acceperunt torquem ſeu balteum argenteum inauratum cum ſex cochleis, & Imagine S. Iacobi appenſa, ponderis unius Marcæ cum media argenti. Dictorum autem Equitum ſcuta ſeu inſignia Ioannes Paypaert Scutifer & Heraldus Hollandiæ penes ſe recepit, ſuntque ea ſuſpenſa in magno atrio Palatij Hagæ Comitis, in teſtimonium rei geſtæ.

Non conveniunt hæc cum ijs, quæ tradit Chronographus popularis Diviſ. XVIII. cap. XX. Equites quidem ait à Florentio quinto inſtitutos, nullam tamen facit Ordinis S. Iacobi mentionem. Tempora etiam non conveniunt. Chronographus anno milleſimo ducenteſimo & nonageſimo quinto hoc factum refert, Regiſtrum vero anno nonageſimo. Perſonas vide: toto cælo diſtant. Chronographus agricolas ditiores, Regiſtrum illuſtrium familiarum proceres in Equeſtrem hunc Ordinem adoptatos tradit. In numero etjam pugnant. Regiſtrum duodecim tantum, Chronographus autem quadraginta Equites inſtitutos ſcribit. Accedit ad hæc, quod Chronographus jam antè illos Equites fuiſſe trabat, quos tum primum in hunc ordinem relatos Regiſtrum notat. Tales ſunt *Ioannes Dominus de Heuſden, Ioannes Dominus de Arckel, Otto Dominus de Aſperen, Iacobus Dominus de Waſſenaer, Giſbertus Dominus de Amſtel,* & *Hugo Dominus de Viaenen.* Hinc factum ut multi ſuppoſititium ſcriptum hoc, & nullius fidei exiſtimarint: præſertim cum Ordinis S. Iacobi nullam mentionem faciant noſtri Scriptores. Sed Hiſtoriæ veritatem confirmat unus Ioannes Reygerſbergius; apud quem in Vita Florentij V. diſertim notatum invenio, Equites Ordinis S. Iacobo ſacri ab eodem Comite fuiſſe inſtitutos, inque eorum numerum adlectos aliquot Borſſalæ Dominos. Nimirum patriæ & ſuorum amore captus fuit, dum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

dum Zelandis tribuit, quod alijs etiam erat adſcribendum
Cochlearum quoque facit mentionẽ. Porro ſcire intereſt,
Ordinem eſſe Equitum D. Iacobo ſacrum: quibus hodie in-
ſigne eſt Crux rubea in veſte ſuperiore. antiquitus gerebant
quinque Venerias. Veneria autem conchæ ſpecies eſt', ita
dicta, quod Venus, quæ enata mari eſt, illâ veheretur, docen-
te Iuſto Lipſio ad Senecæ Epiſt. 98. De Cochleis certe quæ
dicuntur; vetus Gallorum inſtitutum videntur redolere. A-
pud quos Equites Ordinis Cochlearis creabantur, quibus
collare aureum erat ex Cochleis, referente optimo & do-
ctiſſimo viro Auberto Myræo in Originibus Equeſtribus
quas auctiores ſe denuo editioni parare humaniſſime nobis
per litteras teſtatus eſt. Per Cochleam autem ſeu concham
Oceanus deſignabatur. Nemo Cochlearis Eques creabatur,
niſi qui navali aliqua expeditione inclaruiſſet. Ruſtici au-
tem illi ditiores, quos, plerisque Nobilium bello cæſis, â
Florentio quinto in Equeſtrem Ordinem adoptatos fuiſſe
jam orſus eram dicere, ſunt qui vulgo *bene nati*, noſtrati lin-
gua **Welgheboozen Mannen**/appellantur. Sed de Hi-
ſtoria & re tam incerta hæc ſufficiant. Animus nunc eſt
ad eos ſtylum vertere, qui è Nobilitate Hollandica, ob res
præclaras paſſim editas, Equeſtris Ordinis dignitatem jam
olim ſunt conſecuti. Mirabuntur & obſtupeſcent exteri
omnes, ſcio, ubi cognoſcent, hanc tam exiguam Regionem,
velut fæcundam matrem, tot præclaros atque illuſtres He-
röas edidiſſe. De quibus priuſquam dicam, pauca præfa-
bor. Nobilium igitur in Hollandia gradus duo ſemper fue-
re. Alij *Milites*, ſive *Equites*, vernaculis ſcriptoribus **Rid-
ders**/dicebantur. Alij *Scutiferi*, vulgo **Schiltknapen**/ſive
etiam **Schiltboertige mannen**. Hi quamdiu Equeſtrem
dignitatem nondum eſſent conſecuti, non aliò nomine,
quam **Jonckheeren**/aut **Knaepen**/compellabantur. Latini
Scriptores *Domicellos*, vel *Juvenes* appellant, & recte. **Knaep**
enim tunc temporis non *ſervum* aut *famulum*, ne cui error of-
fundatur, ſed *Iuveꝛem alacrem* atque *robuſtum* deſignabat. Pri-
migeniam autem eam eſſe hujus vocis ſignificationem, vel
illud oſtendit, quod etiamnum **Knap** Belgis dicantur illi,
qui *agiles* ſunt, & *manu promti*. Qui vero Equeſtri torque donati
jam erant, auguſtiore titulo, *Domini* ſalutabantur. In tantum,
ordinẽ illi qui haud vulgari induſtria & virtute ſua prome-
ruerãt, adoptabantur. Augeri autem eorum numerus cœpit,
ex quo jam inde à temporibus Diderici VI. peregrinationes
in Terrã ſanctam ſuſceptæ. Hic Nobilium plurimi in Eque-
ſtrem *S. Crucis*, vel *S. Sepulchri*, ſive etiam *Hieroſolymitanum* Ordi-
nem fuere adlecti. Creandorum illorum rationem late ex-
plicat Ioannes Leidenſis, Lib. 32. cap. 28. ubi Alberti, pri-
mi Scagenſium Dynaſtæ, ac in militarem hunc Ordinem ad-
optati hiſtoriam perſequitur. Equites autem, præter pecu-
liaria Ordinis ſui inſignia, veſtibus etiam prætioſioribus
indui, & majore famulitio ſtipati in publicum procedere
tenebantur. Hinc eſt, quod Comites inter reliquas condi-
tiones, quibus plerumque immunitates civitatibus conce-
debant, iſtam non prætermittant, ut civitates illæ, ſi Comes,
vel frater ejus vel filius Equeſtri titulo ornarentur, libras ali-
quot Hollandicas in collati beneficij redhoſtimentum, per-
ſolverent. Ad ferendos ſcilicet ſumtus illos, quibus pro ſu-
ſtinenda Equeſtri dignitate opus erat. In Florentij quinti di-
plomate, quod anno M CC. LXXV. Leidenſibus conceſſit,
ſic diſertim legitur: *Si vocatus ad curiam Imperatoris fuero, ſi ego,
filiuſve meus, vel frater gladio militiæ induti fiamus, in quovis articulo*

mihi in donationem decem libras Hollandicas tribuent. Idem quoque ſtipulatus eſt Wilhelmus Rex, cum anno M. CC. XLII, jura atque immunitates municipales Delfenſibus irrogaret. Sed libet Equeſtrem illum Ordinem nunc luſtrare.

Sub Theoderico ſexto, anno M. C. XXII. *& ſequentibus floruerunt*

Florentius Niger, & Simon, Domicelli Hollandiæ, & fratres Theoderici,
Florentius Otto, Comes de *Benthem*,
Balduinus, Theodoricus & Peregrinus, Vice Comes Holiandiæ, filij Theoderici, & Robertus ejuſdem nothus,
Wilhelmus de *Brederoden*,
Florentius ejus filius,
Gerardus de *Teylingen*,
Hugo de *Teylingen*, Dominus de *Lecka*,
Wilhelmus ab *Heuſden*,
Iohannes ab *Arckel*,
Folpardus de *Lederdam*,
Hugo de *Botterſloet*, frater Domini de *Arckel*,
Gerardus ab *Aſperen*, Folpardi prædicti filius.
Didericus ab *Altena*, Dominus de *Putten* & *Strenen*,
Florentius de *Vooren*, & Didericus frater ejus, Adelwinus Burchgravius de *Leyden*,
Didericus *Perſijn*,
Baldewinus ab *Haerlem*,
Iacobus à *Woude*,
Gerardus à *Toelgeeſt*,
Albertus *Banyaert*,
Gilbertus *Poſkijn*,
Ioannes à *Croonenburch*,
Florentius à *Woert*,
Otgerus à *Rijſwijck*.

Sub Florentio tertio anno M. C. LXIII. *& ſeq.*

VVilhelmus de *Voorhout*,
Gerardus *Dapifer*, ſive *Spijſdragher*,
Florentius *Ruyſch*,
Albertus ab *Egmont*,
Bruno de *Caſtricom*,

Sub Theoderico ſeptimo Anno M. C. XC. *& ſeq.*

VVilhelmus Orientalis Friſiæ Comes,
Florentius Pæpoſitus Trajectenſis,
Robertus Comes Kenemariæ, fratres Theoderici,
Wilhelmus de *Teylingen* & Dominus de *Lecke*,
Robertus ab *Heuſden*, Dominus de *Altena* & *Spiring*,
Wilhelmus ab *Heechuyſen*,
Folpartus & Florentius ab *Aſperen*, Domini de *Putten* & *Strenen*,
Hugo de *Voorn*,
Iacobus Burchgravius de *Leyden*,
Philippus de *Waſſenaer*,

Ioan-

Ioannes *Perſijn*,
Giſbertus ab *Amſtel*, Egberti filius,
Hermannus à *Woerden*,
Simon ab *Haerlem*,
Ioannes, Arnoldus, & Henricus de *Rijſwijck*,
Walterus ab *Egmont*,
Albertus *uyten Haege*,
Walterus à *Ruven*.

Sub Florentio quarto, Anno MCCXXIII *& ſeq.*

OTto Friſiæ Orientalis Comes,
Wilhelmus Vicecomes Hollandiæ, fratres Florentij,
Theodoricus de *Brederoden*, Droſſardus Hollandiæ,
Alferus de *Brederoden*, ejus filius,
Iohannes ab *Heuſden*,
Iohannes à *Veen*, filius ejus,
Iohannes ab *Arckel*,
Herbernus à *Botterſloot*, Hugonis filius,
N. ab *Althena*,
N. à *Lederdam*,
N. à *Putten & Strenen*,
N. ab *Aſperen*,
Henricus de *Voorn*,
Didericus à *Waſſenaer*,
Didericus à *Teylingen*, frater Wilhelmi,
Isbrandus ab *Haerlem*,
Nicolaus *Perſijn*,
VVilhelmus ab *Egmont*,
Gerardus ab *Egmont*, filius ejus,
Arnoldus ab *Egmont*,
Nicolaus ab *Egmondelf*,
Kerſtantius de *Raephorſt*.
Iacobus à *Woude*,
Hugo à *Craelingen*,
Didericus à *Gouw*,
Reynerus *Boekel*,
Hugo ab *Ackerſloot*.

Sub Wilhelmo ſecundo, Anno MCC XXXV. *& ſeq.*

FLorentius, VVilhelmi frater,
VVilhelmus de *Brederoden*, Præfectus exercitus,
VVilhelmus de *Teylingen*,
Folperdus à *Lederdam*, Dominus de *Haeſtrecht*,
Otto ab *Aſperen*, primus *Heuclomi* Dominus,
Ioannes *Perſijn*,
Symon de *Teylingen*,
Nicolaus ab *Haerlem*, dictus *Perſijn*,
VValterus ab *Egmont*,
Arnoldus ab *Heemſkerck*,
VVermboldus *uyten Hage*,
Didericus, Alferi nothus, de *Brederoden*,

Sub Florentio quinto, Anno MCCLV. *& ſeq.*

IOannes, Florentij filius,
Didericus Bonus, de *Brederoden*,
Iohannes ab *Heeſbeen*,
Arnoldus à *Sluyſe*, fratres Ioannis ab *Heuſden*,
Hugo *Butterman*, Dominus de *Botterſloot*,
Iohannes ab *Heuckelom*, & *Accoy*, Ottonis frater,
Peregrinus à *Lederdam*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Albertus à *Voorn*,
Henricus Burchgravius de *Leyden*,
Iacobus à *Waſſenaer*,
Nicolaus *Perſijn*, Dominus *Waterlandiæ*,
Simon ab *Haerlem*,
Giſbertus ab *Amſtel*,
Arnoldus ab *Amſtel*, frater ejus.
Hermannus à *Woerden*,
Ioannes Dominus de *Leck* & *Polanen*,
Hugo de *Viaenen*,
Giſbertus ab *Iſelſtein*,
Nicolaus à *Putten* & *Strenen*,
VVilhelmus à *Bentem*,
Baldewinus à *Naeldwijck*,
Gerardus à *Velſen*,
Gerardus ab *Heemſkerck*,
Henricus ab *Heemskerck*, frater ejus,
Didericus à *Raephorſt*,
Gerardus à *Raephorſt*, frater ejus,
Albertus *uyten Haege*,
Gerardus ab *Harmelen*,
Iohannes à *Doortoghe*,
Florentius à *Duven*.

Sub Joanne primo, Anno MCCXCVI. *& ſeq.*

GVido Dominus ab *Amſtel* & *Woerden*, & poſtmodum Epiſcopus Trajectenſis, frater Ioannis.
Iohannes *ſive Venia* vulgo dictus, Comes de *Ooſtervant*,
Iohannes Dominus de *Beaumont*, Comes de *Soiſſons*, fratres Ioannis Comitis,
VVilhelmus de *Bredenrode*,
Didericus de *Bredenrode*, fratres Didcrici Boni,
Didericus à *Teylingen*,
Didericus à *Waſſenaer*,
Henricus de *Viaenen*,
Didericus ab *Haerlem*,
Nicolaus a *Cats*.
Iohannes ab *Elshout*,
Iohannes a *Drongelen*,
Didericus a *Leyenburch*,
Iacobus a *Woude*,
Gerardus a *Toelgeeſt*, Dominus de *Hoemade*,
VValduinus a *Saſſem*,
Adamus a *Schotlant*,
Florentius a *Tol*.

Sub Wilhelmo tertio, Anno MCCCV. *& ſeq.*

HEnricus a *Bredenroden*,
Iohannes ab *Heuſden*,
Iohannes ab *Arckel*,
Didericus a *Valckenburch*,
Philippus Burchgravius de *Leyden*, Dominus de *Waſſenaer*,
Iohannes ab *Egmont*, VValteri filius,
Iohannes *Perſijn*, Dominus *Waterlandiæ*,
VVilhelmus de *Duvenvoorde*,
Arnoldus a *Crunigen*,
Iohannes de *Duvenvoorde*,
VVilhelmus a *Naeltwijck*,
Florentius a *Spijck*,
Florentius a *Merwen*,
Didericus & Hermannus a *Swieten*,
Otgerus de *Spanien*,
VVilhelmus de *Dongen*,

VVilhel-

Wilhelmus *Kuſer*, Balivus Rhenolandiæ,
Didericus à *Saſſenhem*,
Daniel & Didericus à *Mateneſſe*, fratres,
Mathæus & Iacobus à *Burch*,
Wilhelmus ab *Outſhoorn*,
Nicolaus *Oom*,
Florentius ab *Adrichem*,
Gerardus à *Voorn*, Burchgravius Zelandiæ,
Petrus de *Leck*,
Swederus de *Abcoude*,
Iohannes à *Cruningen*,
Didericus Burchgravius de *Leyden*,
Daniel & Nicolaus à *Merwede*,
Ioannes à *Duſſen*,
Herbarnus à *Rieden*,
Didericus ab *Oeſthoorn*,
Didericus *Bokel*,
Didericus à *Suytwijck*,
Arnoldus à *Gruneveld*e,
Ioannes à *Steenvoorde*,
Ioannes à *Zijl*,
VVilhelmus nothus de *Duvenvoorden*,
Dominus de *Breda*, *Gertrudiſberga*, & *Ooſterhout*, Theſaurarius Guilhel. Comitis.

Sub Wilhelmo quarto, Anno MCCCXXVII *& ſeq.*

Daniel de *Poel*, nothus VVilhelmi ex Aleydi de *Merwede*,
Arnoldus ab *Iſelſtein*,
Ioannes à *Wateringen*,
Philippus de *Polaenen*,
Raſo, & Arnoldus à *Cruningen*,
Iacobus à *Binchorſt*,
Ioannes de *Molenaer*,
Arnoldus à *Duvenvoorde*,
Herpardus à *Lieſvelt*,
Conradus ab *Ooſterwijck*,
Gerardus ab *Egmont*,
Ioannes à *Bloemenſteyn*,
VVilhelmus à *Wateringen*,
Herbarnus à *Binchorſt*,
Florentius à *Bouchorſt*,
Gerardus ab *Heemſtede*,
Iohannes à *Merenſteyn*, Alberti filius,
Didericus à *Raephorſt*,

Sub Wilhelmo quinto, Anno MCCCLI *& ſeq.*

Renaldus, Didericus, & VVilhelmus de *Brdenroden*, filij Diderici,
Otto ab *Arckel*,
Robertus ab *Aſperen*,
Herbarnus à *Slingelant*,
Giſbertus de *Abcoude*, Dominus de *Duroſtado*, *Gasbeeck*, *Putten* & *Stryen*, & filius ejus.
VVilhelmus de *Abcoude*,
Swederus à *Gaeſbeeck*,
Ioannes de *Leck* & *Polaenen*,
Iohannes ab *Egmont*,
Arnoldus ab *Egmont* & *Iſelſtein*,
Gerardus ab *Egmont*, fratres,
Giſbertus de *Viaenen*,
Hugemannus à *Sevenbergen*,
VVilhelmus à *Naeldwijck*, Mareſchallus Hollandiæ.
Ioannes à *Toelgeeſt*,
Ioannes à *Drongelen*,
Herbarnus à *Riede*, Dom: de *Teyndrecht*.
Iacobus à *Binckhorſt*,
Iacobus à *Woude* & *Warmont*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Gerardus à *Waeteringen*,
Gerardus à *Vliet*,
Gerardus ab *Heemſtede*,
Ioannes à *Bloemeſtein*, Balivus Kinheimariæ,
Didericus à *Saſſenhem*,
Didericus à *Raphorſt*,
Iſbrandus ab *Alkemade*,
Giſbertus à *Langerack*,
Ioannes à *Langerack*,
Melior à *Minden*,
Conradus ab *Ooſterwijck*,
Herpertus à *Lieſvelt*,
Giſbertus à *Schonnowen*,
Matthæus à *Burch*,
Ioannes à *Mereſteyn*,
Tielmannus de *Molenaer*,
Gerardus *Wis*,
Didericus à *Groenevelt*, quæſtor generalis Hollandiæ.

Sub Alberto Bavaro, Anno MCCCLVIII *& ſeq.*

Gvido Comes de *Bloys*, Dominus de *Goude* & *Schoonhoven*.
Giſbertus de *Nyenrode*,
Ioannes ab *Arckel*, nothus Domini de *Kervene*, Præfecti Delfenſium contra Hoexios,
Walravus à *Voorne*,
Giſbertus de *Viaenen*,
Swederus de *Viaenen*,
Wilhelmus à *Geervliet*.
Renaldus Comes de *Ghennip*, Dominus de *Brederoden*, & ejus filii.
Ioannes à *Brederoden*,
Walravus à *Brederoden*,
Ioannes ab *Arckel*, Mareſchallus Hollandiæ,
Swederus ab *Abcoude*, Dominus de *Gaſbeeck*, *Putten* ac *Strenen*, Guilhelmi filius,
Philippus de *Tolanen*.
Gerardus de *Polanen*,
Philippus de *Waſſenaer*, filius Diderici Burchgravii de *Leyden*,
Henricus de *Vianen*, Dominus de *Sevenbergen*,
Daniel à *Merwen*,
Henricus de *Vianen*,
Didericus à *Leck*,
Ioannes ab *Hodenpijl*,
Arnoldus à *Leyenborch*,
Gerardus *Boel* ab *Heemſkerck*,
Albertus à *Wateringen*,
Ioannes à *Woude*, Dominus de *Warmont*,
Iacobus à *Woude*, filius ejus,
Didericus à *Poelgeeſt*,
Gerardus à *Poelgeeſt*,
Iacobus à *Poelgeeſt*,
Gerardus à *Poelgeeſt*,
Ioannes ab *Heemſtede*,
Ioannes à *Vliet*,
Philippus à *Dorp*,
Bartholomæus à *Raphorſt*,
Florentius ab *Alkemade*,
Ioannes à *Croonenburch*,
Gerardus à *Lieſvelt*,
Gerardus à *Woerden*,
VVilhelmus à *Geervliet*,
Daniel a *Mateneſſe*,
Fredericus à *Seventer*,
Didericus de *Beets*,

Sub

Sub Wilhelmo ſexto, Anno M CCCC IIII, *& ſeq.*

VValravus à *Bredenroden*, Comes de *Gennipe*,
VVilhelmus a *Bredenroden*, &c. fratres.
Philippus Burchgravius de *Leyden*, Dominus de *Waſſenaer*, & filij ejus.
Ioannes a *Waſſenaer*, Dominus de *Voorburch*.
Henricus a *Waſſenaer*, fratres.
Ioannes ab *Egmont*,
VVilhelmus ab *Iſelſtein*,
Philippus de *Leck*,
Didericus ab *Heukelom*,
Henricus a *Naeldtwijck*,
Didericus de *Leck*,
VVilhelmus primus, Dominus de *Hoochtwoude*, nothus Ducis Alberti,
Ludovicus de *Hoochtwoude*, frater ejus,
Ioannes de *Treſlong*, Nothus Comitis Guidonis de *Boloys*,
Ioannes de *Vianen*,
Giſbertus de *Vianen*, Dominus de *Noordeloos*,
Daniel a *Poel*,
Giſbertus a *Poel*,
Didericus a *Poel*,
Iacobus a *Poel*,
Ioannes ab *Heemſtede*, Dominus de *Benthuyſen*,
Henricus a *Croonenburch*, & frater ejus.
Giſbertus a *Croonenburch*.
Gerardus a *Zijl*,
Ægidius a *Craelingen*,
Florentius ab *Abeel*,
Gerardus ab *Harlaer*,
Conradus ab *Harlaer*,
Ioannes ab *Harlaer*,
Arnoldus ab *Harlaer*, fratres,
Bartholdus ab *Aſſendelft*.

Sub Philippo primo, Anno M CCCC XXXVI *& ſeq.*

Renaldus a *Bredenroden*, *Viaenen*, & *Ameide*, & frater ejus.
Giſbertus a *Bredenroden*, Præpoſitus Trajectenſis,
Iacobus a *Gaeſbeeck*, *Abcoude*, *Duroſtado*, *Putten* & *Strijen*,
VVilhelmus a *Naeltwijck* & *Wateringen*,
Albertus a *Naeltwijck*, fratres.
Rutgerus de *Boetſelaer*, & *Aſperen*.
Ludovicus a *Treſlongen*,
VVilhelmus *Scagenſium* Dynaſtarum primus, Dominus de *Verninghoorn*, *Colhorren* & *Haringhuyſen*,
Everardus primus *Hoochtwoudæ* dominus,
Ludovicus frater ejus,
Didericus de *Merwen*,
Gerardus a *Poelgeeſt*, Dominus de *Hoochmaedde*, Caſtellanus de *Schoonhoven*, & nepos ejus,
Gerardus a *Toelgeeſt*,
Guilhelmus de *Craelingen*,
Giſbertus a *Swieten*.

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Sed tollo manum de tabula. Si enim illos omnes, qui inſecutis temporibus in Equeſtrem hunc Ordinem adſcit ſunt, recenſere velim finem facile non invenirem. Non alienum autem ab hoc inſtituto futurum putavi, ſi Catalogum Nobilium, Vrbium & pagorum, qui anno 1468, Carolo Burgundo fidelitatis juramentum præſtiterunt, ex Archivis publicis his ſubjungerem. Ita autem ille ſe habet.

Hæc ſunt eorum Nobilium ac Equitum Hollandiæ Friſiæque nomina & cognomina, qui illuſtriſſimum Dominum Carolum Ducem Burgundiæ, Dominum & Principem ſuum, in Comitem Hollandiæ & Dominum Friſiæ, Hagæ Comitis, 21 Iulij, anno LXVIII, *ſolemniter inaugurarunt.*

Dominus de Bredenrode,
Dominus de Waſſenaer,
Præpoſitus Trajectenſis,
Dominus de Montfoort,
Dominus de Zevenbergen,
Dominus Philippus de Waſſenaer,
Dominus Zuederus de Montfoort,
Ghiſbertus de Montfoort,
Guilhelmus Dominus de Schaegen,
Henricus de Naeldwijck,
Relianus de Montfoort,
Guilhelmus de Ackmade,
Arnoldus de Zwieten,
Philippus de Waſſenaer,
Ludovicus de Treſlong,
Guilhelmus Ruygrock à Wervve,
Adrianus de Leck,
Albertus ab Egmont, *Auber. Fil.*
Aubertus ab Egmont, *Otton. Fil.*
Aubertus ab Schaegen,
Anthonius de Hoochtwoude,
Giſbertus de Nyenrode,
Florentius de Kijſhoeck,
Gerardus de Poelgeeſt,
Fredericus de Zevender,
Gerardus de Vliet,
Henricus Bau,
Gerardus de Nyevelt,
Iohannes ab Hodenpijl, *Dominus de* Haemſtede,
Arnoldus ab Hodenpijl.
Gerardus de Spaegnen.
Guilhelmus de Egmonde.
Iohannes ab Hodenpijl, *Iohan. Fil.*
Cornelius de Dorp.
Iohannes de Naeldwijck,
Arnoldus de Duvoirde,
Iohannes de Duvoirde,
Iohannes de Poelgeeſt.
Iacobus de Woude,
Weſſelus de Boetſelaer,
Iohannes de Heemſtede.
Iohannes de Heemſtede, *Balivus* Kermerlandiæ.
Gerardus ab Aſſendelft,
Iohannes ab Aſſendelft, *Ger. Fil.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Iohannes ab Aſſendelft, *Fil. Thierij*,
Nicolaus ab Aſſendelft,
Stephanus de Raphorſt,
Iohannes de Boeckhorſt,
Johannes de Noortich,
Guilhelmus de Zijl
Jacobus de Speck,
Daniel ab Alphen,
Johannes de Boeckhorſt, *filius Iohannis*,
Aubertus de Raephorſt, *Fil. Thierij*,
Hugo de Zwieten,
Florentius Oom *de* VVijngaerden.

Sequuntur nomina civitatum Hollandiæ & Friſiæ, quæ ſacramentum & honorem præſtiterunt Domino Carolo, Duci Burgondiæ, &c.

Dordrechtum	Schiedamum
Harlemum	Alckmaria
Delfum	Beverwicum
Leyda	Monachodamum
Amſtelodamum	Edamum
Gouda	Woerda
Rotterodamum	Oudewatera
Schoonhovia	Horna
Gornichemum	Enchuſa
Heuſda	Medenblicum.
S. Gertrudisberga	

Sequuntur nunc nomina pagorum Weſtfriſiæ.

Grootebrouck	Veenhuyſen
Weſtwoude	Spanbrouck
Schellinchout	Abbekerck
Wideneſſe	Zijbekerſpel &
Hem	Nijdorp.

Sequuntur nunc Baliuvatus & pagi qui ſimiliter præſtiterunt ſacramentum & honorem Burgondiæ Duci, &c.

Baliuvatus Kennemerlandiæ,
Baliuvatus Rhenolandiæ,
Baliuvatus Schielandiæ,
Baliuvatus Zuyt-Hollandiæ,
Baliuvatus VVaterlandiæ & Amſtelandiæ,
Baliuvatus Arckelienſis,
Baliuvatus Schoonhoviæ,
Baliuvatus Heuſdanus,
Inſula Texelia,
Inſula VVirìngia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Sequitur formula juramenti, quod Nobiles, Civitates &c. Hollandiæ & Friſiæ præſtiterunt Domino ſuo Carolo, Burgondiæ Duci, die XXI Iulij, anno jam dicto.

IURAMUS NOS CLEMENTISSIMUM Dominum noſtrum Carolum, Ducem Burgondiæ & Brabantiæ, hic jam præſentem, filium unicum Ducis Philippi Burgondi, felicis memoriæ, inaugurare & accipere in legitimum & verum Dominum noſtrum, ac Comitem Regionum Hollandiæ, Zeelandiæ, & Dominij Friſiæ, cum ſuis appendentiis, & nos Altitudinem, Dominationemque ejus, & Comitatus jura fideliter obſervaturos. Et ipſi, & Vicario, Concilio Hollandiæ, omnibuſque adeo miniſtris & officiariis ejus, unicuique pro debito, auxilio noſtro adfuturos, obedientiam & opem præſtituros, ac inſuper conſtantes fideleſq; ſemper futuros ad defenſionem nobilis ejus perſonæ & Status, quemadmodum jure & ratione facere tenemur, Atque adeo reliqua omnia facturos, quæ boni fideleſque ſubditi legitimo Domino ſuo debent. ITA NOS DEUS ADIUVET, ET OMNES SANCTI.

Sequitur nunc juramentum, quod illuſtriſſimus Burgondiæ Dux nobilibus, Equitibus, Civitatibus, ac pagis Hollandiæ Friſiæque, die & anno jam dictis, ſollenniter præſtitit.

JURAMUS TAMQUAM COMES Hollandiæ, Zeelandiæ & Dominus Friſiæ, nos Sanctam Eccleſiam propugnaturos, jura & immunitates ejus obſervaturos, viduas & pupillos tutaturos, & ratione omni id operam daturos, ut jura & privilegia Ordini Equeſtri, civitatibus, totique adeo Hollandiæ olim conceſſa & donata à majoribus noſtris Comitibus & Comitiſſis Hollandiæ, Zeelandiæ, & dominis Friſiæ, felicis memoriæ, conſerventur, confirmentur, & rata habeantur pro nobis, & ſucceſſoribus noſtris: ac promittimus hoc noſtro juramento, nos potius illa augmentaturos, quam diminuturos & præfatas Regiones noſtras in jure & juſtitia conſervaturos, & facturos ut conſerventur, Atque adeo nos præfato ordini Equeſtri, civitatibus ac ſubditis omnia ea præſtituros, quę bonus Dominus ac Princeps debet. ITA NOS DEUS ET OMNES SANCTI ADIUVENT.

Hodie Nobilitatem Hollandicam in publicis Ordinum comitiis repræſentant nobiliſſimi & excellentiſſimi Heroes, Ioannes Wolphardus de Brederoden, Dominus Vianæ, &c. Ioannes à VVaſſenaer, Dominus de Duvenvoorden, Voorſchoten, Sterrenburch, Saltuarius Hollandiæ & VVeſtfriſiæ, &c. Weſſelus à Boetſelaer, Dominus Aſperę, &c. Iacobus a wijn-

à Wijngaerden, Dominus de Benthuſen, Soetermeer & Ruychbrouck, Albertus de Schagen, liber Dominus de Schagen, Verſingerhoorn, Haringhuyſen, & Vinckhoorn, *&c.* Iacobus â Waſſenaer & Duvenvoorden, Dominus Warmontij, *&c.* Nicolaus de Bouckhorſt, Dominus de Noortwijck, Dijckgravius & Balivus Rhenolandiæ, *&c.* Henricus Raephorſtius, Dominus Raphorſtij, *&c.* Franciſcus ab Aerſſen, Eques, Dominus de Somelſdijck, Ooltgenſplaet, *&c.* Ioannes a Matenes, Dominus de Matenes, Riviere, Opmeer, *&c.* Hi in publico Ordinum conſeſſu primo loco ſententiam dicunt.

ADDITAMENTVM.

Proceſſerant operæ Typographicæ, mi lector, & commodum in manus meas incidit excerptum hoc Hagę Comitis: ex Codice Haſtiludiorũ Comitum Hollandiæ: qui an in Archivis publicis, an vero in privata Bibliotheca lateat, incertum. Certe qualecunque hoc prætermittendum non putavi. ab hiſtoria enim Florentij quinti, Equitumque ab eo inſtitutorum, de quibus jam diximus, non longe abit.

Extractum ex veteri libro, cui titulus: *Liber Haſtiludiorum Comitum Hollandiæ.* Signato littera N. 13. ita ſe habente fol. 220.

Anno MCCXXCX *haſtiludium* Equitum ſuæ fraternitatis *inſtituit magnificus Dominus Comes: ad quod convocati ſunt celeberrimi illo tempore Equites. Atque hi omnes Martiales heroes erant,* (Campiones *dicti*) *egregie ornati, & inſignia ſua geſtantes hoc modo:*

Campiones *iſti erant*

I. *Dominus Didericus de* Bredenrode *geſtabat in inſigni ſuo aureo leonem rubeum, cum lingua & ungulis Cyanei coloris, & ejuſdem coloris faſcia, clamabatque* HOLLANDT.

II. *Dominus Ioannes ab* Heuſden *geſtabat in inſigni ſuo rotulam rubeam, in modum rhombi, clamabatque* CLEVE.

III. *Dominus Didericus de* Linde & Lee *geſtabat in inſigni ſuo rubeo crucem deauratam, clamabatque* ASPERMONT.

IV. *Dominus Arnoldus ab* Iſelſtein *geſtabat in inſigni ſuo deaurato trabem rubeam, in qua videbatur Crux S. Andreæ, alternatim alba & rubea, clamabatque* AMSTEL.

Debemus qualiacunque hæc Clariſſimo Scriverio noſtro, ad quem Bruxellis ab ampliſſimo & eruditiſſimo *J.* I. Chifſletio tranſmiſſa ſunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

CAPVT VIII.

Comitatus Hollandiæ quando & à quo inſtitutus. Comitum ſeries, & genealogia, juxta temporum ſeriem accurate diducta. Error vulgatorum Chronologorum paſſim caſtigatur. Catalogus eorum, qui Vice-Comitum titulo, Hollandiæ præfuerunt.

HOLLANDIA quando & à quo Comitatus titulo inſignita ſit parum inter auctores conſtat. Ad Carolum Calvum, Francorum Regem, & annum ſalutis DCCCLXIII, primordia ejus refert plebs noſtratium Chronologorum. Litteræ Caroli, quibus Theodericum primum Comitem inſtituiſſe dicitur, hac forma vulgo circumferuntur.

PRÆCEPTVM KARVLI REGIS.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis,

KARVLVS

Divinâ propitiante clementiâ Rex Francorum: Regalis Celſitudinis eſt, noſtros & fideles ſuos donis multiplicibus honorare. Idcircò notum fieri volumus omnibus fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ, præſentibus ſcilicet & futuris, quomodò adiens præſentiam Solij noſtri HAGANO, *venerabilis Comes, expetijt à noſtrâ Manſuetudine, dari cuidam fideli noſtro, nomine* THEODERICO, *quaſdam res:* ECCLESIAM *videlicet* HECMVNDE, *cum omnibus ad eam jure pertinentibus, à loco qui dicitur* ZWETGERDESHAGE *uſque ad* FORTRAPA *&* KINNEM. *Cujus petitionem benignè, uti decebat, ſuſcipientes concedimus præfato fideli noſtro hęc omnia ex integro cum mancipiis, quęſitis & inquirendis, pratis, ſilvis, paſcuis, aquis, ſive aquarum decurſibus. Pręcipienteſque jubemus, ut ſicut reliquis poßeſſionibus, quibus jure Hæreditario videtur uti, ita & his noſtri Muneris largitate rebus impenſis valeat ſecurè omni tempore vitæ ſuæ frui ipſe, & omnis ejus poſteritas. Unde & hoc Præceptum noſtræ Clementiæ ei ſuper his conſcribi juſſimus; per quod præcipimus, atque mandamus, ut liberè hæc omnia teneat atque poſſideat: habeatque de his poteſtatem juxta libitum ſuum ordinandi,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

dinandi, ſeu faciendi, Deo in omnibus propitiante, & nemine inquietante. Et ut hoc noſtræ Largitionis munus per ſuccedentia tempora firmius habeatur, & attentius obſervetur, manu propriâ ſubter firmavimus, & annuli noſtri impreſſione juſſimus ſigillari.

DOMINI

SIGNVM KARVLI



GLORIOSS. REGIS.

Signum Karoli Regis inclyti.

Hagano Notarius ad vicem Rotgeri Archiepiſcopi ſummique Cancellarij recognovit. Datum anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXIII. XVII *Kalendas Iulias. Actum Pladellâ villa feliciter. Amen.*

Sed ad Carolum Simplicem, non Calvum, referendum eſſe diploma illud, evidentiſſimis argumentis jam oſtendit Ianus Douſa. inter alia tum vel illud maxime in conſiderationem venit, quod Haganonem hunc, cujus precibus Theodericus dignitatem hanc obtinuit, ſub Carolo Simplice ex illorum temporum ſcriptoribus certum ſit floruiſſe. Error autem omnis natus eſt ex numeris corruptis C, ſive, ut tunc ſcribebant, E in vicinam admodum litteram L mutato. Datum igitur Diploma hoc fuerit non anno DCCCLXIII, ſed DCCCCXIII, Carolo Simplice rerum potiente. Sed omnia hic congerere non eſt noſtri inſtituti. Videndus Douſa lib.v. Holland. Annal. Vnicum ſuperaddam, quod ab aliis obſervatum non eſt, Chronologos nempe vulgares hanc ſententiam haud leviter confirmare, cum hanc Diderici inaugurationem, anno, poſt Flandriæ Comitatū inſtitutum, primo, factam fuiſſe referunt. Flandrenſem enim Comitatum anno demum DCCCCXII cœpiſſe colligo ex Ptolomæi Lucenſis Chronico, quod in membrana deſcriptū penes me eſt, ita ad annum proxime jam dictum habente: *Hoc tempore, ſedente Iohanne Papa, Comitatus Flandriæ exordium habuit, Flandria enim tunc temporis erat regio nemoroſa & quædam Foreſtaria Regum Francorum.* Seriem Comitum nunc videamus, imperij & mortis temporibus accurate, quantum fieri potuit, connotatis.

DOMVS AQVITANICA.

Didericus I. Comitatum Hollandiæ indeptus eſt anno 863. Vxorem habuit Genam nomine, Pipini filiam. Frater ei fuit Walgerus. Quando obierit incertum eſt. Imperavit annis 40.

Didericus II, Diderico patri ſuccedit. Huldegardim Ludovici Franciæ Regis filiam in matrimonio habuit. Lutgardim appellat Rhythmographus. Ex hac filios duos, Arnulphum & Engelbertum Archiepiſcopū Trevirenſem & filiam Arlundim Abbatiſſam Renſburgenſem ſuſcepit. Præfuit annis 85. Mortuus eſt anno 988. Exſtat illuſtre Ottonis tertij

Diploma, quo Diderico huic Comitatum, fiduciario hactenus titulo poſſeſſum, jure proprio deinceps obtinendum concedit, Illud ita ſe habet:

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Otto, divina favente Clementia, Rex. Cunctis fidelibus noſtris, præſentibus ſcilicet atque futuris, manifeſtum eſſe volumus, quomodo nos ob votum & amorem dilectæ genitricis noſtræ Theophanæ videlicet Imperatricis Auguſtæ, nec non interventu fidelium noſtrorũ Ekberti Treverenſis Eccleſiæ venerabilis Archiepiſcopi, ac Nepotis noſtri Henrici Bavariorum Ducis, fideli noſtro Theoderico Comiti, quidquid noſtro conceſſu hactenus in beneficium tenuit inter duo flumina, quæ vocantur Liora & Hiſla in proprium dedimus, cum omnibus utenſilibus, quæ in eodem beneficio Regio conceſſu per fructuarium uſum ante hac poſſedit, & totum quod noſtra Regia conceſſione in villa Sunnemere dicta beneficiario uſu uſque modo, cum omni utilitate illuc aſpiciente, ſed etiam in proprium deinceps tenendum donavimus; adhuc quoque quicquid beneficij noſtra de parte inter duo flumina Medemelacha, & Chimeloſara (Gemerchi dicta) tenuit cum omnibus appendiciis ad idem beneficium pertinentibus, ſimiliter in proprietatem habendam dedimus. Adhæc etiam totum quod de noſtro jure in pago Texla nuncupato in beneficium tenuit, cum omni utilitate ad hoc appendente (excepto quod vulgari lingua dictur Heuſlada) ad integrum ſibi in proprium tradidimus in Comitatibus ita nuncupatis, Maſalant, Kinhem, Texla. Et ut de prædictis rebus liberam habeat poteſtatem donandi, commutandi, ſeu quidquid voluerit faciendi, hoc noſtræ auctoritatis præceptum conſcribi, & annuli noſtri impreſſione ſigillari juſſimus, manuque propria ſubter firmavimus. Signum Domini Ottonis glorioſiſſimi Regis, Hildebaldus Epiſcopus & Cancellarius vice Willigiſi Archicapellani. Data Octavo Kal. Septemb. Anno 985. Indictione 13. Anno autem tertij Ottonis regnantis ſecundo. Actum Noviomago feliciter. Amen.

Notandum eſt falſum eſſe Diploma hoc, ut ex anno, quo datum dicitur, ſatis evincimus. Otto enim tertius imperator demum factus eſt anno 993. canente Anonymo Rhytmographo;

In't jaer ons Heeren IXC *naer,*
Ende XCIII *voorwaer*
Soo wert te Keyſer vercoren,
Die derde Otto als wijt horen.
Lutgaert Gravinne van Hollandt
Was zijn Moeye, dats becant.

Arnul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Arnulſus Gandenſis Didericum II patrem excepit. Nubſit Lutgardi Ottonis tertij ejuſdem nominis Imperatoris materteræ. Filios tres Didericum, Zivardum & Simonem habuit; Zivardus, aut Sicco, ut vocatur alijs, Kenemariæ præfectus Friſiæ uxoris à more, irato & invito patre, captus fuit. Præfuit Arnulfus hic annis V; à Weſt-Friſijs anno 993 cæſus.

Didericus III; mortuo patre, Siphrido fratri, ob cauſam, quam jam dixi, in capeſſendo imperio præfertur. Withildin ſive Adelheidin, aut Ottildin, ut vocant alij, imperatoris Ottonis III filiam, uxorem duxit. Ex qua Didericum & Florentium, Orientalis Friſiæ Dominum, filios tulit. E vivis exceſſit anno 1039, cum annis 46 Hollandiæ præfuiſſet. Atque horum qnidem Comitum tempora & hiſtoria incerta, ac tot inſulſis, quæque inter ſe pugnant, aretalogorum fabulis involuta, ut quid verum, quid falſum in iis ſit, nemo facile invenerit. Reliquorum ætas & res geſtæ ut obſcuræ adhuc ſunt, ita ſuperioribus paullo magis certæ.

Didericus IV cognomini patri ſuo Diderico III ſuccedit. Cœlebs vixit. Anno 1048 Dordraci à Leodienſibus, in inſidiis ibi collocatis, telo toxicato confixus, ſpiritum efflavit, novennio rerum potitus.

Florentius ejuſdem nominis primus poſt hunc fratrem ſuum Hollandiæ gubernaculis admotus eſt. Gertrudim, Heimanni Saxonum Ducis filium, uxorem ſibi junxit. Ex hac trium liberorum Diderici, Florentij & Machtildis pater factus eſt. Machtildis, mortuo patre, Philippo Francorum Regi nupſit. Florentius hic anno 1061 à Brabantis trucidatus eſt; poſtquam annos decem & tres Comitatum adminiſtraſſet. Robertus Friſius anno 1063, ducta uxore Gertrudi, Florentii primi vidua, Hollandiæ præficitur. Ex hac filius unicus Robertus & filiæ binæ, Adelheidis, quæ Danorum Regi, Gertrudis, quæ Diderico Elſatio nubſerunt, ipſi prognatæ ſunt. Octennio, vel ut alii, decennio exacto à Godefrido Gibbere Hollandiâ una cum Gertrudi expellitur circa annum 1071. Godefridus Gibber itaque ope Wilhelmi Trajectenſis Epiſcopi Comitatum Hollandiæ non tam ſucceſſoris jure, quam per vim annis quinque tenuit; quibus transactis, Antwerpiæ, dum naturæ ſatisfacit, per nates gladio aut veruculo transfixus eſt ad annum 1075.

Didericus V, Florentij primi è Gertrude filius, anno 1076, expulſo VVilhelmo Epiſcopo, cujus copijs inſeſſa Hollandia tunc erat, Comitum ſeptimus factus eſt. Vxorem duxit VVithildin, aut Oltildin, Saxoniæ Ducis filiam, quæ ipſi Florentium, & Machtildin, quæ Orleantiæ Duci poſtmodum nubſit, peperit. Præfuit annis 15. Mortuus anno 1091. Horum temporum & turbarum Chronographiam accurate verſiculis iſtis complexus eſt Author Chronici rhythmis, ante annos trecentos, concinnati;

Deſe Diederic ſtarf daer naer,
Alſmen ſchreef ons Heeren jaer,
Duyſent XC *ende een.*
Van hem dreef Hollant ween.
Sijn vader was doot XXX *jaer,*
Eer dat hy ſtarf harde naer,

Mer

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Mer 11 jaer was zijn moeder voecht
Des Lants als die ieeſte toecht,
Ende acht jaer had zijn ſtiefvaeder
Hollant in de hant algader.
Ende vier jaer daer na Godevaert,
Die Bulrugde gheheten waert,
Die Hertoge. Doe jeghen recht
Een jaer die Biſchop van Utrecht.
Dus ſtont hem utermaeten onſiene,
Grave te ſijn der jaeren vijftiene:
Ende XV. jaer helt hi in vreden
Sijn lant ende ſine ſteden.

Ad quæ corrigendus eſt & caſtigandus vulgaris calculus noſtratium Chronologorum.

Florentius II, cognomento Pinguis, Didericum V. patrem in Hollandiæ Comitatu proxime excepit. Vxor ipſi fuit Petronella, Diderici Saxonum Ducis filia, Imperatoris Lotharij ſoror: è qua Didericum, Florentium Nigrum, Kenemariæ Præfectum, Simonem & Hadewinam ſuſtulit. Præfuit annis 31. Anno enim 1123, in flore ætatis, omni naturæ debito liberatus eſt.

Petronella poſt mariti mortem, liberis ad imperium obtinendum per ætatem nondum idoneis, Comitatum aliquamdiu adminiſtravit. Obiit anno 1144.

Didericus VI, Florentij II. filius & Comitum ſeptimus uxorem duxit Sophiam, Ottonis Palatini Comitis filiam; ex hac filios quatuor Florentium, Ottonem Bentemij Comitem, Baldewinum Epiſcopum Trajectenſem, & Pelgromum Burggravium Zelandiæ, ac filias tres, Sophiam Abbatiſſam Renſburgenſem Hadevinam monialem, atque etiam Petronellam habuit. Præfuit, ſi anni, quibus Petronella rexit, adjiciantur, annis 45. Cæſus eſt à Friſijs ad annum 1157.

Florentius III, Diderici VI filius, uxorem habuit Adam, Henrici, Scotorum Regis, filiām. Ex hac filij ipſi nati ſunt quatuor Didericus, Wilhelmus Comes Orientalis Friſiæ, Florentius Præpoſitus Trajectenſis & Robertus Princeps Kermerlandiæ, filiæque totidem Beatrix, Eliſabetha, Adelheidis, & Margareta poſtmodum Cliviæ Comitiſſa. Habuit & Adam filiam, nuptam Marchioni Brandeburgenſi, oſcitanter à Chronologis noſtris prætermiſſam. Patet hoc ex diplomate illo, quod ipſa anno 1205 dedit, in quo ſe *Marchioniſſam Brandeburgenſem* appellat, & *aſſenſu Wilhelmi Comitis & Florentij fratrum ſuorum, & Adæ Comitiſſæ matris ſuæ & Adę neptis ſuæ* certa quædam bona couventui Renſburgenſi vendidiſſe ſe ſcribit. Obijt Antiochiæ anno 1190, cum 33 annis Hollandiæ præfuiſſet.

Didericus VII Florentio huic, patri ſuo, ſuccedit Adelheidim Cliviæ Ducis filiam in matrimonio habuit; ex qua filias duas, Adelheidim, quæ Henrico Gelriæ Tutori, & Adam, quæ Comiti Loenſi nupſit, ſuſtulit. Præfuit annis 13. Obiit Dordrechti anno 1203. Ejus Diploma hoc, quia & ſuperiorum mentionem facit, & editum antehac non eſt, his putavimus interſerendum.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum ſit

omni-

omnibus Chriſti fidelibus, tam futuris, quam præſentibus, quod ego Theodericus, Dei gratia Comes Hollandiæ & Aleidis Comitiſſa donaria, quæ venerabilis Petronella Comitiſſa Hollandiæ, & Theodericus filius ejus Eccleſiæ virginis Mariæ in Reinſburch in perpetuum habenda contulerant, confirmamus atque contra omnem poſterorum noſtrorum contradictionem ſigilli noſtri impreſſione munivimus, quorum hæc eſt deſcriptio: Ipſam villam Reinſburch & quidquid ſui juris in ea fuerat: in villa, quæ dicitur Nortghe, novem prædia & dimidium ſimiliter cum omni jure, excepto quod ſuper hæc manentes quintam partem petitionis Comitis in Nortghe debent ſolvere: in terra quadam, quæ dicitur Lede, ſex manſos, id eſt hove, & tres manſos in Delf, eo jure, ut miniſteriales Comitis in his manentes petitiones Comitis ſolvant, liberi vero ſuper hujuſmodi tantum modo Eccleſiæ reſpondeant: præterea totam terram & jurisdictionem de Alſmer, & quicquid in ea ſui juris fuerat, nec non & totam ejuſdem terræ decimam præfatæ Eccleſiæ in perpetuum habendam contulerunt. Ego vero Theodericus Comes, Adæ Comitiſſæ filius cum Aleide Comitiſſa uxore mea pro animarum noſtrarum remedio utilitati Eccleſiæ in Reinſbureh providere volens in concambium & recompenſionem terræ & juriſdictionis de Alſmar, terram in Walacria, quæ noſtra propria erat, ſcilicet ducentas & quinquaginta menſuras prædictæ Eccleſiæ immutabiliter contuli, quã ab omni Comitis petitione ac circumiacentium infeſtatione liberam denuncio & ſigilli noſtri impreſſione confirmo in perpetuum eximi. Hujus rei teſtes ſunt Ada Comitiſſa, filius ejus Florentius, Hugo de Vorne, Nicolaus de Haerlem, Arnoldus Dapiſer, frater ejus Henricus, Theodericus, Bertholdus, Bertholomæus de Vorne, Florentius pincerna, Wilhelmus de Egmonda, Giſlerus de Kerkuvert, Thidericus Neveke. Acta ſunt hæc anno incarnationis dominicæ milleſimo centeſimo nonageſimo nono, regnante Henrico Romanorum imperatore, & Rege Siciliæ, præſulante Theoderico Trajectenſi Epiſcopo.

Guilielmus ejus nominis primus, Diderici VII frater, Florentij III filius Comitum decimus tertius factus eſt ad annum 1203. Vxores duas habuit: primo quidem Adelheidim, Gelriæ Comitis filiam, deinde autem Mariam Lancaſtriæ Ducis filiam, ſed ſterilem. Adelheidis filios tres Florentium, Ottonem Epiſcopum Trajectenſem, & Guilhelmum, ac filias duas Adam Abdiſſam, ac Richardam Monialem Rensburgenſem, ipſi dedit: Mortuus eſt anno 1223, cum annis 19 præfuiſſet.

Florentius IV, Wilhelmi ex Adelheide filius, *Machtildim* Brabantiæ Ducis filiam ſibi junxit. Ex quo duorum filiorum Guilhelmi & Florentij, ac totidem filiarum Adelheidis Comitiſſæ Hannoniæ atque etiam

Machtildis Comitiſſæ Hennebergenſis pater factus eſt. Præfuit annis 11. peremtus Corbeyæ in haſtiludio ad annum 1234.

Guilielmus II Florentio quarto patri ſuo proxime ſuccedit. Quanquam primo Tutoris nomine præfuiſſe; ac Florentij quarti frater non filius videri poſſit fuiſſe, ex hoc diplomate.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Wilhelmus tutor Hollandiæ notum facio omnibus tam præſentibus quam futuris, quod contuli Abbatiſſæ & conventui eccleſiæ Sanctæ Mariæ in Rinſburch omnia bona ſive hereditatem, quæ per mortem pueri Immæ & Ægidij ad Wilhelmum puerum filium dilecti fratris mei Florentij quondam Comitis Hollandiæ ſunt devoluta, decimam ſcilicet majorem & minorem, cujus mediam partem jam dictus Ægidius in feudo poſſidet; dicta vero decima jacet de Rottenvelt verſus aquilonem uſque in Rinſburch. Adhæc etjam in Oſgeſt decimam majorem & minorem, cum ſuis attinentiis à loco, qui dicitur Molencamp verſus aquilonem: pro iſtis vero præfatis bonis Abbatiſſa & conventus dicti Monaſterij renunciaverunt reditibus XII *librarum in Pinaker &* VI *in Harlem & præterea* LIIII *libras, quas piæ memoriæ prænominatus F. quondam Comes Hollandiæ & dilectus frater meus conventui in Rinſburch tenebatur: hæc autem omnia, quæ promiſimus cum manu W. pueri filij F. quondam Comitis ac fratris mei, nec non & cum conſilio & conſenſu nobilium & diſcretorum virorum hominum Hollandiæ Comitatus facta exiſtunt. Ut autem hæc, quæ promiſſa ſunt, perpetuæ firmitatis robur obtineant, præſens ipſis ſcriptum porrexi, ſigillo meo firmatum & aliorum Nobilium Hollandiæ, Wilhelmi ſcilicet de Theilingen, Nicolai Perſin, Walteri de Haerlem, Theodorici de Waſnar, & Nicolai de Putten: hujus quoque rei teſtes ſunt Simon de Vrbe, (ſorte* Burch *aut* Vrhe) *VVilhelmus & Gerardus de Northeke, Theodoricus de Alkemade, Giſelbertus Niger, & alij quamplures. Datum anno gratiæ* MCCXXXVI, VI *Idus Januarij apud Leydis.*

Vxorem Guilielmus duxit Brunſvicenſis Ducis filiam Eliſabetham, ex qua natus ei eſt filius unicus Florentius V. Falſum autem eſt Eliſabetham hanc anno 1256 obijſſe, cum anno 1260 vixiſſe ex diplomate Aleydis, quod paullo poſt in Florentio V. recitabimus, liquido nobis conſtet. Guilielmus hic Romanorum Imperator factus eſt anno ætatis ſuæ 20, Chriſti autem 1248. Cæſus à Friſiis anno 1255, cum annis 21 Hollandiæ ſuæ præfuiſſet.

Florentius V, Guilhelmi Romanorum Regis & Hollandiæ Comitis filius unicus primo quidem toto biennio ſub patrui Florentij, deinde ſub Aleidis Hannoniæ amitæ

ſuæ

ſuæ tutela fuit. Et fallitur vulgus noſtratium Chronologorum : qui Ottonem Gelriæ Comitem ab Hollandis, Aleidim vero à Zelandis creatam, ac ab Ottone fuiſſe expulſam conſtanter aſſeverant : cum tamen ex diplomate hoc, & Nobilibus Hollandiæ, qui ei ſubſcripſere, haud obſcurum ſit colligere volentibus Hollandis Tutricis nomine aliquamdiu eam præfuiſſe.

Ego Aleidis quondam uxor Iohannis de Aveſnis, Tutrix Hollandiæ & Zelandiæ, univerſis Chriſti fidelibus tam præſentibus quam futuris præſens ſcriptum inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Cum inclytæ recordationis Domina M. quondam Romanorum imperatrix (*Intelligit Mariam Guilielmi primi conjugem, quam* cum imperatricem *in Diplomatis vocari viderent Monachi alteram, credo, Guilielmi ſecundi, Romanorum Imperatores, uxorem rati, ſuperſcripſerunt* Romanorum, *quod exſcriptorum culpa poſtmodum in contextum irrepſit. Certe ita habebatur in vetuſtiſſimo membranaceo codice, è quo hoc, & plura alia Comitum Diplomata exſcripſimus*) *matertera noſtra pro incremento & ſalute claræ memoriæ mariti ſui W. Comitis Hollandiæ avi noſtei in officio de Durdrecht, quod Scrodeambacht vulgariter nuncupatur, Abbatiſſæ & conventui ac monaſterio in Rinſburch quinque libras Hollandicas annis ſingulis conceſſerit: eamdemque conceſſionem bonæ memoriæ pater noſter Comes Florentius duxerit confirmandam, ac alias etiam dictum monaſterium videlicet in Bogarden à Comitatu Hollandiæ duas libras perpetualiter habeat in eleemoſynam annuatim: Noſque prædictas quinque libras ac duas venerabilis ac kariſſimi conſanguinei noſtri Florentij heredis Hollandiæ uſibus per commutationem duximus vendicandas: Ad notitiam univerſorum volumus pervenire, quod tam in reſtaurationem proventurum prædictorum, pro remedio animæ felicis recordacionis Domini ac fratris noſtri W. Romanorum Regis illuſtris, nec non pro ſalute animæ Joannis de Aveſnis mariti noſtri kariſſimi ac incremento propriæ ſalutis, ac aliorum prædeceſſorum noſtrorum prædicto Monaſterio, Abbatiſſæ & Conventui decimam in Wandingen inter Leyden & Dodinſlane extendentem tam majorem, quam minorem Comitatui Hollandiæ attinentem perpetualiter concedimus & donamus, Volentes ut in vigiliis, diſciplinis & in caritate vini prædictus Conventus agat annis ſingulis memoriam prædictorum: Volentes inſuper eiſdem gratiam facere ſpecialem, ipſis concedimus & donamus, ut ante Theloneum de Nimantsvrinth cum vino & frumento, & aliis rebus quibuſcunque ad ipſum monaſterium pertinentibus ſine omni exactione libere tranſeant & quiete. Teſtes, qui huic conceſſioni inter fuerunt,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

ſint Domina Eliſabetha veneranda Regina, Domina Machtildis mater noſtra, Comitiſſa Hollandiæ, Dominus Theodoricus de Teilingen, Dominus Guilielmus de Brederode, & quamplures alij Nobiles, qui prædictæ interfuerunt conceſſioni. In cujus rei teſtimonium præſens ſcriptum exinde conſcribi, & ſigillo noſtro juſſimus communiri. Datum in Rinſburch Anno Domini MCCLX, *Feria quarta poſt fectum beati Dioniſij, Menſe Octobri.*

Florentius autem hic anno demum 1292 ipſe præfuit: ducta uxore Beatrice, Guidonis Flandriæ Comitis filia, ex qua maſculini ſexus quinque Didericus, Florentius, Guilielmus, Otto & Iohannes, ac fæminini ſexus tres Beatrix, Machtildis, & Margareta Angliæ Regina, nati ſunt. Cæſus eſt Florentius infami parricidio à ſuis anno 1296, cum annis 42 & ſub tutela, & per ſe præfuiſſet.

Iohannes ejus nominis primus, Comitum decimus & ſextus, Florentio V. patri proxime ſuccedit. Vxorem habuit Eliſabetham, Eduardi Angliæ Regis filiam, ſed ſterilem. Præfuit triennio. Obijt Harlemi ad annum 1299.

DOMVS HANNONIA.

Ioannes II, Aleidis Hannoniæ, VVilhelmi Romanorum Regis ſororis filius Comitum Hollandiæ XV factus uxorem duxit Philippinam, Comitis Luxemburgenſis filiam; ex qua filios tres VVilhelmum, Ioannem à Beemont, & Henricum Canonicum Cameracenſem, filias autem quatuor Margaretam Arabiæ, Adelheidam Claromontij, Mariam Barbanoſij Comitiſſas, atque Machtildim Nivellæ Dominam, habuit. Præfuit annis V. Vita exceſſit ad annum 1304.

Wilhelmus III. filius & ſucceſſor ejus fuit. Hic uxorem habuit Ioannam, Caroli Valleſij filiam, & ex ea liberos complures, Wilhelmum, Ludovicum, Ioannem, Margaretam Duciſſam Bavariæ & Romanornm Reginam, Iohannam Comitiſſam Iuliacenſem, Philippam Angliæ Reginam, & Eliſabetham. Rexit annis 33. Vivere pariter ac regere deſijt anno 1336.

Wilhelmus IV, defuncto patre Wilhelmo III, Comitatum adijt, accepta in uxorem Iohanna Iohannis Brabantiæ Ducis filia: ſed ſterili. Præfuiſſe annis 8, cæſum à Friſiis anno 1245 conſtat.

Margareta Imperatrix Wilhelmi IV ſoror natu maxima, Wilhelmi III filia, poſt fratris mortem præfuit. Maritus ipſi fuit Ludovicus Imperator, ex quo trium filiorum Wilhelmi, Alberti, Ottonis Marchionis Brandeburgenſis, & Ludovici Cracoviæ Regis, filiæque unicæ Eliſabethæ Hungarorum, alij Anglorum, Reginæ mater facta eſt. Anno 1355 vita functa eſt, cum annos decem, & quod excurrit, præfuiſſet.

DOMVS BAVARA.

Wilhelmus V, Bavarorum Dux, & Margaretæ Imperatricis filius Comitum decimus & nonus factus eſt. Vxorem habuit

habuit Machtildim, Henrici Lancaſtriæ Ducis filiam, ex qua tamen liberos non ſuſcepit. Præfuit annis tribus, ad annum 1358 mentis ſuæ impos factus.

Albertus I, VVilhelmi frater, primo quidem Tutoris titulo, annis nimirum 30, præfuit, deinde per ſe. Vxor ipſi fuit Margareta Ducis Brygæ filia, ex qua nati VVilhelmus Oſtervantiæ Comes & Bavariæ Dux, Albertus, Iohannes Epiſcopus Leodienſis, Catharina Gelriæ, Margareta Burgondiæ, Iohanna Auſtriæ Duciſſæ, & Iohanna Bohemorum Regina. Mortua priore uxore, alteram duxit, Margaretam nomine, Adolfi Clivenſium Ducis filiam, ſed ſterilem. Ipſe præfuit annis 16, diem obijt ad annum 1303.

Wilhelmus VI, Alberti filius, uxores etiam binas habuit, priorem quidem Mariam, Caroli Franciæ Regis filiam, ex qua liberos nullos, alteram Margaretam Philippi Audacis Ducis Burgundiæ filiam, ex qua filiam unicam Iacobam ſuſcepit, Vivere deſijt anno 1417; cum annos 17, & menſes 6 præfuiſſet.

Iacoba paterni Comitatus heres unica, annos nata 16, maritum accepit Ioannem Galliæ Dolphinum filium Caroli, ſexti ejus nominis Francorum Regis. Hoc anno pene eodem ſublato, ſecundo nubſit Ioanni Antonij Brabantiæ Ducis filium. Quod matrimonium cum ob ſanguinis proximitatem, (patrueles enim erant) vix concederetur, & lis ad Papam Romanum, Martinum V, deferretur, non exſpecta ſententia, in Angliam profecta Hunfrido Glocestriæ Duci, & Henrici quinti Anglorum regis, fratri, ſe junxit. Sed conjugium hoc & auctoritate Papę irritum factum fuit. Ioannes vita exceſſit anno 1427 Iacoba tertium nubſit Franconi Borſalo, quod cum indigne admodum ferret Philippus Burgondus, Franconem Borſalum in carcerem conjecit. Tandem, rebus compoſitis, ditiunculis aliquot Iacobæ & marito ejus ad vitam aſſignatis, Comitatum iudeptus eſt Philippus Burgundus. Iacoba Obijt anno 1436.

DOMVS BVRGVNDA.

Philippus Burgundus, filius Ioannis Burgundi & Margaretæ, quæ Alberti Bavari filia erat, Iabobæ ſuccedit. Vxores tres duxit, Michaëlem Caroli ſexti Francorum Regis filiam, vivente adhuc patre. Sed illa mox obiit, liberis non relictis. Deinde Claudiam (Bona alias dicta) filiam Roberti Comitis de Heu; quæ etiam abſque liberis diſceſſit: tertio Iſabellam, ſeu Eliſabetham, Ioannis Portugalliæ Regis filiam. Ex hac filios tres ſuſcepit: Anthonium, Iuſtum, qui in flore ætatis exſtincti ſunt, & Karolum. Præfuit Philippus annis 34. Obiit anno 1467.

Karolus I patrem Philippum proxime excepit. Tres itidem uxores habuit. Quarum prima fuit Catharina Caroli ſeptimi, Francorum Regis filia. Obiit illa ſine prole. Secunda fuit Eliſabetha, Caroli Borbonij Ducis filia, ex qua nata eſt filia unica Maria. Eliſabetha defuncta, duxit Margaretam Richardi Ducis Eboracenſis filiam. Præfuit annis 10, prælio ad Nancejum cæſus anno 1477.

Maria Karoli filia primo ſub tutela Iohannis Cliviæ Ducis præfuit. Anno 1477 nubſit Maximiliano Auſtriaco, ex qua duorum filiorum Philippi & Franciſci, qui in cunis exſtinctus eſt, filiæque unicæ Margaretæ. Obijt Maria ad annum 1482, cum annis 5, & quod excurrit, imperaſſet.

DOMVS AVSTRIACA.

Philippus poſt mortem parentum ſuorum Mariæ & Maximiliani, Hollandiæ præfectus eſt. Vxor ipſi fuit Ioanna, Ferdinandi Hiſpaniarum Regis filia. ex hac nati ipſi ſunt Karolus & Ferdinandus, Hungarorum Rex. Mortuus eſt Philippus anno MDVI, cum annos 12 rexiſſet.

Carolus V paternorum regnorum hæres, cum annis 44 imperaſſet, honorum & imperiorum ſatur, regna & principatus omnes tradidit Philippo III, filio ex Maria.

Philippus III ob tyrannidem, & oppreſſam libertatem publicam, anno 1572, ab Hollandiæ Ordinibus, judicatus eſt huic principatui ſuo excidiſſe.

Atque hæc quidem hactenus; quæ pauciſſimis verſiculis Anonymus quidam eſt complexus. Digni certe nobis viſi ſunt, quorum ratio hic habeatur, ne perirent.

Theod. I.
Per quatuor decades primus dat jura Batavis.

Theod. II.
Septimum hic & decimum finit moderamine luſtrum.

Arnulfus.
Quinta ſed Arnoldum Phryſiis male prodidit æſtas.

Theod. III.
Ter tredecim ſeptemque hyemes Theodoricus exit.

Theod. IV.
Æſtas nona diem ſupremum inſecit ab arcu.

Flor. I.
Hebdomadas Florus geminas amiſit in umbra.

Gertrudis.
Vnum Gertrudis ſedit viduata Decembrem.

Rob. Friſ.
Octavo retinet ſub conſule fræna Robertus.

Gothifredus Lothar.
Temporis & medium vi Gothifredus obibat.

Theod. V.
Hebdomadem decadi Quintus Theodoricus addit.

Flor. ping.
Ac ter ſeptenis decadem Florentius annis.

Theod. VI.
Octo luſtra regit Sextus, ſuperoſque relinquit.

Flor. III.
Terque novem meſſes & Florus tertius implet.

Theod. VII.
Tertia poſt decimam te Septime finijt æſtas.

Ada.
Ada ſemel tantum bifrontem vidit Ianum.

Guil. I.
Prime novem decies Guilielme potiris habenis.

Flor. IV.
Zelotypus Florum bis ſexto ſuſtulit anno.

Guil.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Guil. II.
Cæſar Olympiades quatuor, ſed cæſus, habebat.
Flor. V.
Luſtraque poſt ſeptem foſſus ſex Quinte Novembres.
Ioannes.
Per quatuor meſſes Batavus regnabat Ianus.
Ioannes Hannonius.
Alter Olympiadem claudit non degener Hanno.
Guil. Bon.
Trigintaque duos faſces Bonus inde gerebat.
Guil. IV.
Nona necem quarto in Phriſia prædixit hirundo.
Margareta.
Margarita ſibi gliſcit nova factio luſtro.
Guil. V.
Autumnis ſeptem ſedit, rapiturque Phreneſi.
Albert. Bav.
Alberto poſt luſtra novem non defuit annus.
Guil. VI.
Tertia poſt decimam Guilhelmum ſuſtulit aſtas.
Ioan. Bav.
Sexta Leodinum nec paſta ciconia tollit.
Iacob. Bavara.
Fæmina per decadem terris jactatur & alto.

Philippus Burg. Bonus.
Poſt decades ternas, quatuor Bonus addit ariſtas.
Carolus Audax.
Carolus hebdomadam trieteride finit in armis.
Mar. Chal.
Præcipitatur equa quinta Charleſia meſſe.
Maxim. Imp.
Maximus hebdomadam quinis conjungit ariſtis.
Philippus II.
Tantumdem proles feſtina morte Philippus.
Carolus V.
Carolus autumnis tredecim ſex luſtra coëgit.
Philippus III.
Serius, aut nunquam terris diſcede Philippe.

CATALOGVS VICECOMITVM.

Sub Alberto Bavaro.

IOannes, Ottonis filius, decimus tertius ejus nominis Arckcliæ dominus, anno CIↃ CCC LXXXIX.

Sub

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Sub Iacoba Bavara.

Walravius, Renaldi filius, de Bredenrode, &c. anno CIↃ CCCC XVII. Cæſus eſt Gornichemi cum vix anno præfuiſſet.

Ioannes, Alberti filius, Dux Bavariæ, &c. anno CIↃ CCCC XIX.

Iacobus, Aſſueri filius, à Sulen, dominus de Abcoude, Gaeſbeeck, Duroſtado, Putten, Strenen, Mareſchallus hæreditarius Hannoniæ ſub Ioanne, Brabantiæ Duce, tutore & marito Iacobæ, anno CIↃ CCCC XXIIII.

Ioannes, Henrici filius, Burchgravius de Montfoort, anno CIↃ CCCC XX.

Sub Philippo Burgundo.

Franco, Florentij filius, à Borſſelen, Eques, dominus de Borſſelen, Zulen, & S. Martini aggere, pace inter Philippum Burgundum, & Iacobam ſtabilita, anno CIↃ CCCC XXVIII.

Rolandus ab VVtkerck, dominus in Heeſtert & Heemſtede, ſub eodem, tradito ipſi omni Comitatu à Iacoba ad annum CIↃ CCCC XXVIII.

Hugo, Gilberti filius, à Lanoy, dominus de Zantes, Eques, anno CIↃ CCCC XXXIII.

Guilielmus, Ottonis filius, de Lalaing, Eques, anno CIↃ CCCC XL.

Goeſwinus de VVilde, vulgo *Præſes Hollandiæ, Zelandiæ, & Friſiæ* dictus, anno CIↃ CCCC XLIIII.

Ioannes, Ioannis filius, de Lanoy, Eques, anno CIↃ CCCC XLVIII, Maji II.

Ludovicus à Gruythuyſeu, Princeps in Steenhuyſen, Comes VVinceſtriæ, anno CIↃ CCCC LXIIII.

Sub Maria Burgunda.

Wolfardus, Henrici filius, à Borſſelen, dominus Veræ, Comes Grooteveldiæ, Eques aurei Velleris, anno CIↃ CCCC LXXVII. At vero à Cabeljaviis anno CIↃ CCCC LXXX expulſus.

Sub Maximiliano Archiduce Auſtriæ, & filio ejus Philippo.

Iuſtus de Laleing, aurei Velleris Eques, dominus de *M*ontigny & Hantes, à Trajectenſibus cæſus, anno CIↃ CCCC LXXXIII.

Sub Carolo poſtmodum Hiſpaniæ Rege.

Ioannes, Comes Egmondanus primus, anno CIↃ CCCC LXXXIIII. ſed ſenio fatiſcens ſuum alij ceſſit, anno CIↃ D XV,

Sub Carolo V.

Henricus, Comes de Naſſau & Vyanden, Dominus Bredæ, Dillenburgi, Dieſtemij, Leckæ, Polanæ, Zwaluç, &c. anno CIↃ DXV, alij imperium tradidit, cum ſexennio præfuiſſet.

Antho-

Anthonius de Laleing, Iuſti filius, primus Hoochſtratæ Comes, Dominus de Montigny anno CIↃ D XXII Epitaphium ejus Hoochſtratæ in Taxandria hoc etiamnum legitur:

QVOD ANTE SUMMVM ALTARE MOnumentum eſt, reconditos habet cineres heröis ANTONII DE LALAING, domini de Montigny, Deſtrees, de Merbes, &c. ejuſque chariſſ. conjugis ELISABETHÆ, dominæ de Culenburgo, de Hoochſtraten, de Borſalia, quibus invictiſſ. CAROLVS V. Rom. Imp. Aug. an. regni ſui III hujus dominii Hoochſtratani in Comitatus conceſſit erectionem, ipſis primis creatis Comitibus. Operoſum hoc templum, magnis eorum impenſis funditus exſtructum, in Canonicorum collegium ordinatum fuit, & ad anniverſarium in eo ſingulis annis perpetuò celebrandum, fundatum. Caſtro autem à primis fundamentis inſtaurato, Comitatus prædictus, coëmtis dominiis aliiſque poſſeſſionibus, longè melioris conditionis fuit redditus. Tandem cùm memoratus ANTONIVS diverſis legationibus functus, PHILIPPO Caſtellæ Regi, MAXIMYLIANO Imp. prædictoque CAROLO Cæſ. moderno, operam fideliter impendit aurei velleris Eques creatus, Financiarum Præfectus, ac Hollandiæ, Zelandiæ, & ditionis Trajectenſis Locum tenens, anno tum LX. Gandavi moritur, IIII Non. April. Anno MD XL. Ac prædicta ELISABETHA tranſmiſſis ad poſteros non paucis piarum fundationum, optimorumque operum memorabilibus exemplis, à DEO Opt. Max. jam nata LXXXIX. ann. & menſ. IX. Culenburgi, præſentis ſæculi INCOMMODIS ERIPITVR AN. MDLV. V. ID DECEMB.

Rhenaldus, Comes de Naſſau, Princeps Aurangiæ, Dominus Bredæ, &c. anno CIↃ D XL. alteri ceſſit anno CIↃ D XLIV.

Ludovicus de Flandria, Dominus de Praet anno CIↃ D XLVI.

Sub Philippo II. Hiſpaniæ Rege.

Maximilianus de Burgundia, primus Marchio Veræ & Vliſſingæ, Dominus de Brouwerſhaven, & Bevere, anno CIↃ D LVI. Biennio rerum potitus in arce Sadeburgenſi obiit.

M Guil.

Guilhelmus, Comes de Naſſau, Princeps Aurangiæ, *&c.* anno CIↃ D LIX. In Germaniam profectus anno CIↃ D LXVII.

Maximilianus de Hennijn, ſecundus Boſſutiæ Comes, in Guilhelmi locum ſuffectus eſt anno CIↃ D LXVII.

Sub illuſtriſſ. Hollandiæ Ordinibus, poſt imperium Philippo abdicatum.

Wilhelmus, Comes Naſſoviæ, Princeps Aurangiæ, *&c.* anno CIↃ D LXXII. Cæſus Delfis infarmi parricidio anno CIↃ D LXXXIV.

Robertus Dudlaij, Comes Lyceſtriæ anno CIↃ D LXXXV. cum biennio tantum præfuiſſet, in Angliam denuo conceſſit.

Mauritius, Guilhelmi filius, Comes Naſſoviæ, Princeps Aurangiæ, Marchio Veræ & Vliſſingæ, Dominus Bredæ, &c. anno CIↃ D LXXXV. Obijt anno CIↃ DCXXV.

Fredericus Henricus, Princeps Aurangiæ, Comes Naſſoviæ, Marchio Veræ & Vliſſingæ, *&c.* in locum Mauritij fratris ſuffectus eſt anno CIↃ DCXXV. Vivit adhuc & valet (utinam æternum!) victor ille & triumphator vere auguſtus.

DOR-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

DORDRECHTVM.

DE Dordrechti origine dubia & infirma Dominici Marij ſententia. An ab Antonino Pio conditum. Vrbs Anthonia. Wiltorum terra. Gerbrandi ſententia editur, & refellitur. Drecht *quid ſit. Dordrecht an Durdrecht ſcribendum. Non eſſe Benefactam, ut vult Marius. An à Diderico tertio conditum. Durta flumen. Durtæ os. Varia Vrbis Fortuna, caſus, privilegia, immunitates, ædificia publica, eorumque origines. Viri illuſtres.*

PRINCIPEM ex tot clariſſimis Hollandiæ urbibus Dordrechtenſem hanc deſcribendam & illuſtrandam ſumſimus, ſive quod antiquitate; ſive quod loco & dignitate reliquarum iſta etiam ſit princeps. Tradunt nonnulli ab Antonino Pio Imperatore conditam; qui anno Redemtionis centeſimo & quadrageſimo, Hadriano per jus adoptionis in Romano imperio ſucceſſit. Atque hujus ſententiæ author nobis eſt Dominicus Marius Niger; qui Coſmographiæ ſuæ libro quarto in hæc verba ſcribit. *Eſt & opidum ab Antonino Pio conditum, Benefacta nomine* (de quo poſtea) *quod nunc Dodrana dicitur* (ita enim vitioſe cuditur, ut alibi *Levomagium*, pro *Neomagum*) *in aquilonari parte inſulæ, ubi Moſa in mare vadit, quam qui habitant Dordranenſij appellantur, qui & præcipui habentur. Quæ civitas egregie munita eſt, divitiis abundans, negotiationi maxime accommoda.* Verum ſi in hoc, quod de Antonino tradit, vel unum tantum laudaſſet ſpectatæ fidei & vetuſtatis auctorem, eſſet ſane, quod illi communis patriæ, & præſertim hujus Vrbis nomine deberemus. Cum autem laudatus nemo ſit, merito de veritate illius ſententiæ dubitamus. Neque enim tanti nobis Marius, ut ipſi, ſine antiquitatis ſuffragio, in hoc negotio, quod abſtruſam adeo vetuſtatem ſpectat, habenda etiam ſit fides. Quid quod & ipſe vacillare viſus, dum inquit, *ut fertur*, quemadmodum Salluſtium in principio belli Catilinarii ſcribentem; *ſicut ego accepi*, de Romanorum à Trojanis origine dubitare notant eruditi. Quidquid horum ſit, Antoninum Pium, præter varia & præclara opera', paſſim ab illo vel inſtaurata, vel exſtructa, multas etiam civitates adjuviſſe pecunia, ut opera vel nova facerent, vel vetera reſtituerent, diſertim teſtatur in ejus vita Iulius Capitolinus. Facit huc etiam vetus lapis, eidem Imperatori à Batavis, ob ſingularia ejus in Rempublicam ſuam merita, inſcriptus: Legitur ille in auguſto opere Inſcriptionum Antiquarum pag. LXXIII,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1


DE MERWE
DE MAES
Swijndrecht
Papendrecht
Pedes Geometrici
240 480 720 960
DORDRECHT
a. de Kerck
b. Stadthuijs
c. Fran Kerck
d. Auguſtijnen.
e. Cruijs Cappel
f. de doelen
g. Vis marckt
h. de Kraen
i. Princenhoff
k. Latijnceſchool.
l. t Peſt huijs
m. t Wees huijs
n. t dol Huijs
o. Steever Sloot
p. de Riet dijck
q. t Groote hooft
r. Blauwe poort
S. Sagers poort
t. Vuijl poort
v. Spuij poort
w. Sint Ioris poort

FORTVNÆ AVG. SAC.
PRO. SALVTE. ITV. AC.
REDITV. D. D. N. N.
M. AVR. ANTONINI. PII.
AVG. ET. P. SEPTIMII
GETÆ. NOBILISS. CÆS.
CIV. BATAVI
FRATRES. ET. AMICI. P.R.
V. S. L. M.

Scire quoque intereſt, quod propius huc ſpectat, & obſervatum hactenus non eſt, popularis Hollandiæ Chronici Diviſ. 2. cap. XVIII, & XIX, mentionem fieri Vrbis *Anthoninæ*, vel *Antoniæ*, ut ibi manifeſte legitur, ab Antonio Columna tribuno & equite Romano, à Nerone Româ expulſo, & in hos terrarum tractus profugo, anno Æræ Chriſtianæ LXV, in Auſtrali Hollandia exſtructæ. Additur præterea Antonij illius poſteros imperium hoc in loco obtinuiſſe uſque in annum CLXXXVI, quo à Slavis & Wiltis Antonina expugnata eſt, atque funditus ſubverſa: non longe autem poſt ab iiſdem *Wiltis* denuo inſtauratam, & *Wiltaburgi* nomine nuncupatam fuiſſe. *Wiltæ* autem, ſeu *Wiltſlæ*, ad Moſæ oſtium, haud procul Andoverpia diſſitæ, & anno DCCCXXXV à Nortmannis incenſæ, meminerunt ſcriptores antiqui: *Anno* 8035, ut ſcribunt Annales Fuldenſes, *Nortmanni Antverpiam civitatem incendunt, ſimiliter & Wilſlam Emporium juxta oſtium Moſæ fluminis.* Quæ omnia, ſi vera ſunt, non niſi de Dordrechto intelligi aut poſſunt, aut debent: quamquam non ſim neſcius utrumq; & Antoninæ & Wiltaburgi nomen Trajecto ab omnibus hactenus adſcribi ſolere. Certe diligentiſſimus rerum & Epiſcoporum Trajectenſium ſcriptor Wilhelmus Heda, Hollandiam Auſtralem, *Wiltorum terram* paſſim appellat. Locum unicum è tam multis adducam; quo ad annum 1061; poſt hiſtoriam Theodorici IV, Dordraci à Leodienſibus cæſi, deſcriptam, ſic infit; *Florentius autem præmeditans ultionem fraternæ necis, concitavit in ſe rurſus Archiepiſcopum Colonienſem, Epiſcopum Leodienſem, & Marchionem Brandeburgenſem, Ducem Brabantiæ, & Comitem Gelriæ, qui omnes in pago Dordracenſi, ſive Zuyt-Hollandiæ (quæ terra Wiltorum dicitur) deſcenderunt*. Columnarum autem, ut hoc obiter ſuperaddam, gentis antiquiſſimæ ac nobiliſſimæ, frequens mentio eſt apud poſteriores Romanarum & Italicarum rerum ſcriptores, B. Platinam, Onuphrium Panuinum, alioſque. Nihil tamen ego adfirmo in denſis adeo tenebris profundæ vetuſtatis. Nobis hæc indicaſſe, atque in majorem notitiam protraxiſſe ſufficiet, in quibus eſt, quod exerat atque exerceat capitale aliorum acumen. Venio nunc ad ſententiam Ioannis Gerbrandi de prima Dordrechti appellatione atque origine: quam ex illius Scriptoris ſchedis ineditis humaniſſime nobis ſuppeditavit & ipſe vetuſtatis omnis atque antiquitatis, præſertim Batavicæ, ſummus adſertor, Petrus Scriverius. Si quis tanti facit, ut legere non dedignetur, neque nobis grave erit huc tranſcribere. Verba ita ſe habent: *Multi Slavenſium*

iverunt ultra Moſam: ubi poſtea civitas Dordracenſis cnm Suyt-Hollandia eſt ſituata. Et vocabantur Wilti iſti Suyt-Hollandenſes, & pecudibus, ovibus, vaccis, & equis ſe nutriverunt. Et in tantum poſtea multiplicati ſunt, ut exercitum fortem ad bellandum valerent producere. In terra vero illa (ex Chronographo populari, qui hæc ad verbum deſcripſit, lego; Inter vero illos) proceſſu temporis fuit quidam dives & potens valde, ſcilicet anno 805, Dorotheus nomine. Ab iſto namque Dorotheo nominatiſſimo opidum Dordracenſe ſuum exordium & vocabulum poſtmodum traxit. Sic ut diceretur in idiomate Germanornm Dorethesdrecht, quod Dordracum dicitur in Latino. Et iſtud opidum ſucceſſu temporis crevit in tanta ſolemnitate, ut miranda de eodem dicerentur. Vnde quidam noſtri ſæculi egregius poëta tale carmen edidit de Dordraco:

Salve ſumma plagæ Dordracum gloria noſtræ,
O caput Hollandiæ ſplendor honos & ave.
Me fugit attribuam tibi quæ præconia laudum
Ingenuis rebus, quæ tibi ſunt, variis.
Namque tuis opibus, formæque decore ſorores
Vincis, finitimos divitiiſque locos.
Muros ſat fortes, portas & habes ſpetioſas,
Undique te cingit pontus & unda maris.
Es formoſa magis, quam magna, duæque plateæ
Et latæ, & pulchræ ſunt tibi, & egregiæ.
Iudice me tamen eſt aliâ ſed pulchrior una;
Utpote quæ templum ducit aduſque ſacrum.
Ædibus es multum, domibuſque referta decoris,
Sydera quæ lambunt vertice fulva ſuo.
Eſtque tibi portus pelagi formoſus & altus,
Vis non parva lucri naſcitur unde tibi.
Congrua vendenti es varias res & ementi:
Non longe ſalſis namque jaces ab aquis.
Ad te mille rates veniunt, variis oneratæ
Mercibus, innumeris rebus, & ingenuis.
Plura quid enumero? cuivis quod convenit urbi
Conſpicor eſſe tibi magnificæque poli.
Inter cuncta queunt in te quæ mira notari,
Hæc magis arbitrio cenſeo vera meo.
Igne tuo lapſum fueris licet uſta per ævum,
Reddita quam fueras es modo pulchra magis.
Conſtruitur formæ templumque tibi modo miræ,
Igne quod ambuſtum ſæcla per acta fuit.
Exercere viris es Martia bella peritis,
Prædita, non ſolitis cedere aquave, ſolo.
Sunt hominesque tibi ſexus utriuſque venuſti,
Inſigni cultu, qui radiantque gradu.

Porro in eodem oppido dicitur ſucceſſu temporis jugulata quædam virgo, Sotheris nomine, ſed Zuwaerdt in Teutonico. Hæc Virgo fertur ædificaſſe eccleſiam Dordracenſem, tribus denariis emens neceſſaria, & ſemper eos reinveniens in burſa. Quam cum jugulaſſent tres operarii ſpe pecuniæ, quâ putabant virginem abundare, & inveniſſent tantum tres

tres Denarios; ecce fons de terra proſilivit, valens contra infirmita-
tes varioſque morbos. Hujus Virginis tempus ignoratur à populo,
ſed fons patet in Dordraco. Hactenus Gerbrandus. Quæ qui-
dem ejus omnia, quamvis ſtili inficeti, operæ prætium
putavimus heic deſcribenda, quod & vulgata non ſint (ne-
que enim in editione Suertiana comparent) & ad ſequentem
diſceptationem noſtram accuratius intelligendam plurimum
lucis ſint adlatura. Et ſi enim his omnibus carere potera-
mus, habent tamen, quod nos ſcire melius ſit, quam igno-
rare. De Dorotheo igitur illo, viro, ut ipſe vocat, nomina-
tiſſimo, nihil certi habēt noſtri annales. Metuo ne ſit à fabula
& illorum hæreſi, qui ubi Batonem Bataviæ, Zialandum Ze-
landiæ, Metellum Middelburgi, Vliſſem, Vliſſingæ, Syrin-
gum Siriczeæ, Rotterum Rotterodami conditores, ipſi ſi-
bi, peſſimo exemplo, peperere, cornicum oculos confixiſſe
ſe putant. Quæ peſtis ſuperioris ſæculi litteratos, ſi Dîs pla-
cet, ita invaſit, ut ex eorum cerebro, tamquam equo Tro-
jano, innumeri prodierint ejuſcemodi nunquam nati He-
roes. Hoc peſtilens ſydus & politiſſimum illum Hadrianum
Iunium quoque adflavit: qui Dordrechtum non Dorothei,
ſed Dureti cujuſdam, gentilitia nota inſignis olim viri, fo-
rum fuiſſe conjicit, cujus in Hiſtoriis noſtris, ſed obſcuram
& exilem, fieri mentionem tradit. *Drechti* autem vocabulum
apud majores noſtros idem ſonuiſſe existimat, quod apud
priſcos pureque loquentes Latinos, *forum*: non tam quod
jus ibi diceretur, uti vox ipſa ſpirat, quam quod eo merces
comportentur, ceu ad forum rerum venalium. Quaſi vero
Drecht deducendum ſit à *draegen*, quod noſtratibus eſt *ferre*,
portare. Sed vellem dixiſſet Iunius, qua auctoritate aut ratio-
ne ſubnixus *Drechto* hanc *fori* ſignificationem tribuat;
quam cum hactenus nec legere, nec invenire mihi datum ſit, vereor ne merum commentum, & figmentum ſit hujus viri. Philippus autem Cluverus cap. XVI, de Rheni Alveis, conſtanter aſſerit; vocem *Trajecti* à Romanis opido vel vico inditam nihil aliud, quam verum fluminis trajectum, ſeu tranſmiſſum indicare. *Drecht* autem, vel *Trecht*, ſive etiam *Tricht* voculam à Trajecto corruptam, pure puteque eſſe Latinam. Sed quid, vel quare Romanum nomen apud Belgas? nam quod idem de veterum Minturna, nunc *Trajecto* Italorum reſpondet, nullius plane eſt momenti. Quid enim, quod præter civitates innumeras, pagi atque vici plurimi *drechti* nomine longe demum poſt Romanorum tempora ſint inſigniti. Dordrechtum itaque ſic dictum exiſtimo à *door*, quod nobis *per*, aut *trans*, & *trecken* quod *trajicere* deſignat: à quo Latinorum verbo indubiè & noſtrum defluxit, & litteræ ac ſyllabæ fere eædem, niſi quod lingua noſtrati paullum contractæ, aperte ſatis teſtantur. A *Trecken* autem eſt *Trecht*, vel, euphoniæ cauſſa, priori littera leviter immutata, *Drecht*, Latinis *Trajectus*. Dordrechtum autem appoſite admodum hoc nomine inſignitum eſt, ob commodiſſimos hic, & facilimos trajectus, inde in ulteriorem Hollandiam, hinc in Brabantiam, Zelandiam, & vicinos omnes tractus. Parili modo & ratione *Trajectum* Latine (peſſime *Vltrajectum*. quis enim tam barbarus, qui dixerit *ultra traijcere? Tra* enim illud finale, contractum eſt à *Trans*, aut quod magis credo, *ultra*) *Vtrecht* autē vulgo vocamus; ab *Out*, quod *veterem* Germanis ſignificat, & *Trecht*, de quo ſupra; quaſi dicas *Outrecht*, & mollius *Vtrecht*. Adde quod in vetuſtiſſimis Diplomatis, & paſſim apud Hedam opidum hoc *Vetus Trajectum* dicatur; Ex ſententia autem noſtra ſcribendum fuerit *Dordrecht*, ut vulgo etiam fit, quamvis re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

vis reluctante admodum & exſibilante Iunio, qui exturbata veteri hac ſcriptura, contra Grammatiſtarum, ut loquitur, opinionem, *Durdrecht* cum ſene Pelia in cortina recoquendum atque reponendum eſſe pluribus contendit. Quod enim ex auguſto hujus civitatis ſigillo, cujus Epigraphen hanc ponit,

SIGILLVM OPPIDANORM
IN DVRDRECHT,

ſententiam ſuam adſtruere conatur, fruſtra eſt. Neque enim hæc exigenda ſunt ad indocti alicujus ſcribæ auctoritatem, & ſigilla pro captu idiotarum, ut vocant, & opificum inciſa nobis regulas ſcribendi non dabunt. Et mirari lubet cur non eadem de cauſſa *Dodrana*, *Dodana*, *Dodacum* repoſuerit, quo modo hujus urbis nomen non ſemel exaratum invenio in Epiſtolarum formulis Karoli Mennicken, ſeu Viruli, quæ rudioribus typis excuſæ ſunt anno ſalutis M CCCC LXXXVI. Dordrechtum etiam quaſi *Diderichſdrechtum*, quod à Diderico tertio, Arnulfi Gandenſis filio, conditum fuerit, videri poſſit appellatum. Sententia hæc, vel conjectura innititur teſtimonio Balderici Noviomenſis, Cameracenſis & Atrebatenſis Epiſcopi. Hic Chronici ſui lib. 3. cap. 19. ita ſcribit: *Erat locus quidam ſilvis ac paludibus inhabitabilis, qui ab incolis Mereweda nomen accepit, ubi videlicet Moſa & Wal fluvius de Rheno effluens pariter corrivantur. Nulluſque ibi preter venatores ac piſcatores habitare antea conſuerat, eratq; Epiſcoporum Trevirenſis videlicet ac Colonienſis, ſed & aliquot Abbatum in piſcatione & venatione communis poſſeſſio. Huc nimirum Theodericus Arnulfi Gandenſis filius, qui participium Monarchiæ Friſonum tenebat (quia Friſones pro morte patris, quem interfecerant, ſuſpectos habebat) ſeceſſerat, factoque quodam municipio alienus* (forte *alieni*) *invaſor ipſam terram præſumſerat poſſidere, ſed & negotiatores inibi navigantes graviſſimo cenſu conſtringere.* Certe ex loci deſcriptione ſatis manifeſtum eſt, municipium hoc prope Dordrechtum fuiſſe à Diderico excitatum. Sequatur tamen eam ſententiam, qui volet. Mihi ampliſſimi Iani Rutgerſij Dordraceni magis adridet: qui Variis oſtendit Dordrechtum ita dictum à *Dorta* flumine, atque hoc nomen diſertim legi in tabulis Chorographicis; quas vidiſſe ſe ſcribit. Veſtigium hujus nominis, imo nomen ipſum adhuc retinet pagus vicinus *Dortſmonde* dictus, id eſt, *Dortæ os*, ut Rupelmonda Rupelæ, Iſelmonda Iſalæ, & Ruremonda Ruræ ora à fluentis ſuis nominantur. Dortſmondæ autem meminit Regino ad annum 898, ſi ſtandum ſit conjecturæ ſagaciſſimi Scriverij, qui pro *Durſos*, ut vulgo legitur, emendat *Durtos*, vel potius *Durtæ os*. Audiamus Reginonem. *Zundibolchus*, inquit, *adjuncto ſibi Odocro Comite, & quibuſdam aliis cum mulieribus, parvulis, & omni ſupellectile in quemdam tutiſſimum locum, qui* Durſos *dicitur, intravit, ibique ſe communivit. Quod cum rex cognoviſſet, coadunato exercitu Caſtrum expugnare conatus eſt; ſed minime prævaluit propter paludes & multiplices refuſiones, quas in prædicto loco Moſa fluvius facit.* *Dorſos* diſertim legitur apud Hedam in Odilbaldo, ubi hanc Zundibolchi hiſtoriam ſic enarrat: *Zuendiboldus adjuncto Odacro Comite, & quibuſdam aliis cum mulieribus & parvulis, & omni ſuppellectile in locum tutiſſimum, qui Dorſos dicitur, intravit, ibique ſe communivit. Quod cum Rex cognoviſſet, caſtrum obſedit, nec prævalere potuit,* Quidquid horum ſit, illud conſtat opidum eſſe longe antiquiſſimum, cujus ut & pagorum circumiacentium mentionem invenire eſt ad annum ſalutis

ſalutis natæ M LXIV, in diplomate Henrici Imperatoris, quod Wilhelmo Trajectenſium Antiſtiti conceſſit, his verbis;

In Crimpen *eidem ſanctæ Eccleſiæ confirmamus quatuor Manſus, de flumine* Ablaes *uſque* Mervvede, *inde uſque* Menkeneſdrecht *dimidietatem totius terræ cum omni diſtrictu. Item de* Riede *juxta* Mervvede *uſque* Slidrecht. *Item in* Mervvede *juxta* Dordrecht, *inde in* Duble, *inde in* Duvelhaer, *inde in* Wael, *inde iterum in* Mervvede *uſque in* Dordrecht *cum cappella noviter constructa de* Dordrecht, *uſque* Cordekens Hofſtadt, &c.

Ex quibus haud obſcure mihi colligere poſſe videor, auctis tunc temporis ampliatiſque Vrbis pomæriis, haud exiguam Merewedani diſtrictus, ſive officij, ut tunc loquebantur, partem, conſentientibus ejus loci dynaſtis, intra mœnia fuiſſe perductam. Ea ſane Parochialis Merewedæ *eccleſia* fuit, quæ S. Nicolao dedicata, *Nova* vulgo appellatur. Ita tamen, ut privilegia nonnulla haud contemnenda Merewedani Dynaſtæ ſibi ſervarent: quæ ab eorum ſucceſſoribus magno ære redemta, in urbani Magiſtratus poteſtatem ſunt devoluta, ut paullo poſt, ſuo loco & tempore, pluribus dicemus. De nomine urbis & origine iſta ſufficiant. Nunc cætera omnia deducemus, annorum ſetiem per omnia ſecuti. Ad quæ perſequenda priuſquam me accingam, illud adjungam: falli Dominicum Marium, cujus verba jam adſcripſimus, dum Benefactæ nomen Dordrechto tribuit, quod Hoyo erat tribuendum: Hoyo, inquam, ſeu Huyo Leodienſi, opido olim amplo & potenti, quod Benefactæ nomine manifeſte indigetat Hanzæus, Abbas Lovienſis (vixit ac inclaruit anno 990) in Geſtis Pontificum Tungrenſium, Trajectenſium, & Leodienſium cap. 38. *Dum igitur talibus inſiſteret laboribus* (S. Ioannes Agnus, XXV. Leod. Epiſc.) *quidam de tranſmarinis partibus ſupervenit peregrinus, qui viſione Angelica fuerat admonitus, ut mare tranſiret, & civitatem Benefactam ab Antonino Auguſto constructam deveniret, & virum Dei ex nomine deſignatum ſuper magnalia Dei inſtitueret. Is itaque multas circumquaque terras luſtrando, Benefactam civitatem quæſierat; tandem Hoyum devenit, civitatem ex nomine demonſtrato invenit, &c.*

Circa annum MXL. Didericus ejus nominis quartus, Comes Hollandiæ quintus, ſingulari injuria à Colonienſibus & Leodienſibus affectus, Dordraci omnes eorum naves ac merces, quæ frequentes tunc erant, flammis exuſſit; mercatorum plurimis etiam in vincula conjectis. Quibus intellectis Antiſtites eorum ſtatim ac ſine mora, contractis undique caſtris, junctiſque viribus, Dordrechtum improviſo adorti, & obſcuro noctis uſi, civium quorundam ſcelere, ut creditum eſt, ſive neglectu, urbem occupavere. Didericus, qui non procul tunc aberat, ope atque ſolertia Gerardi Putteni Equitis cum expedita militum manu urbem etiam intravit. Edita ibi, medio foro, gravis utrinque pugna. Ad poſtremum fuſæ fugatæque Leodienſium copiæ. Trecentos nobiliſſimos Equites eo in prælio cecidiſſe notant Annales. Poſtero die dum in publicum procedit Comes, ad locum vulgo *des Stadts-boom* dictum, arctiorem impeditioremque plateam ingreſſus, ab hoſtibus, illic in inſidiis collocatis,

telo venenato impetitus, biduo poſt à vulnere exſpiravit. Platea hujus rei memoriam & nomen ſervat, *des Graven ſtraetjen* etiam nunc appellata.

Anno M LXII cum Alardus, Brabantiæ Ducis frater, Auſtralem Hollandiam ingreſſus, Florentium primum, & haud exiguam exercitus ejus partem oppreſſiſſet, Dordracenſes magno animo egreſſi, facta irruptione, ipſum & copias ejus pene omnes ad internecionem cæciderunt: magnamque eo facto ſibi famam & gloriam comparaverunt.

Anno MLXIV præclara Ædes conſtructa eſt; ut diſertim teſtatur indiculus Eccleſiarum, quæ in Dioceſi Trajectenſi fundatæ & dedicatæ ſunt.

Circa annum MCCX, imperante Guilhelmo, Gerardus ab Are, Diderici Trajectenſium Antiſtitis frater, Dordrechtum undique obſedit, & majorem ejus partem incendit. Connotatum apud nonnullos invenio totam civitatem expugnatam, inque bona & ædes civium cædibus, igne ac ferro tunc temporis fuiſſe ſævitum.

Anno demum MCCXXX vallo lapideo Dordrechtum circumductum, munitumque eſt: cum Duyckij, Suyſii & Oemij, veteres ac patritiæ ſtirpes, Vrbi præeſſent.

Circa annum MCCLXXIII, jus Stapulæ lanarum, quę ex Anglia magno numero devehebantur, ab Eduardo Anglorum Rege, haud leviter adlaborãte Florentio, Comite Hollandię ejus nominis quinto, Dordrechtenſibus conceſſum fuit. Sed paullo poſt, neſcio quam ob cauſſam, ijſdem ablatum, Anglis diſcedentibus, qui in Brabantiam profecti Machliniæ ſedes atque etiam merces ſuas fixerunt. Abſque unico ſcriptore eſſet, qui Rhythmicum **Hollandiæ Chronicon** contexuit, & ijſdem temporibus dicitur floruiſſe, hujus rei memoria nulla apud poſteros exſtaret. Verſiculi igitur ejus, quibus hiſtoriam iſtam, ab omnibus oſcitanter prætermiſſam, pro ævi ſui genio exſequitur, digniſſimi ſunt, qui hic legantur:

Te Dordrecht in die poort,
Alſmen wel hevet ghehoort,
Die Coninck dede haer toeſegghen,
Dat hy den Staepel wilde leggen
Vander wollen te Dordrecht binnen.
Daer mochte die Grave ane winnen
Vele goedts, ende ſine liede.
Dit ontboot hi, en dit geſchiede
Alſt vele lieden was wel kont.
Dit geduerde eene ſtont,
Mer niet lange, als ick verhoorde,
Want het was Ingelſche voorwoorde.
D'orloge was gevredet doe
Tuſſchen die Coningen, ic en weet niet hoe,
Soo dat d'Ingelſche met haer ſacken
Al tote Machelen tracken,
Ende voerden haere wolle daer.
Alſt die Graeve werdt gewaer,

Liet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Liet hi doen al haeren wille,
Beide lide ende ſtille.

Anno MCCLXXXIV, Florentius quintus à nonnullis vectigalibus, quæ vini & frumenti cauſſa perſolvebantur, immunitatem Dordrechtenſibus conceſſit, vel potius confirmavit his litteris;

Florentius, Comes Hollandiæ, fideli & dilecto noſtro Wilhelmo à Stryen Equiti ſalutem. Cum pro certo nobis innotuerit cives Dordrechtenſes, cum Telonium Striemondanum præternavigarent, inique vectigalia iſta perſolviſſe, quæ vulgo Wijngelt *&* Brootgeldt *appellantur, nunciamus tibi & mandamus præſentibus iſtis litteris, ut cives præfatos à vectigalibus iſtis patiaris eſſe immunes, nec illa vel à te, vel ab aliis, tuo nomine, à præternavigantibus exigantur. Si contrarium facere præſumſeris, indigniſſime id nos laturos præſentibus teſtamur. Datum anno Domini milleſimo ducenteſimo, octogeſimo quarto, ipſo Nativitatis Mariæ feſto.*

Nec longe poſt aliam ipſis immunitatem indulſit, his tabulis expreſſam:

Nos Florentius Comes Hollandiæ & Zelandiæ, dominus Friſiæ, notum facimus omnibus præſentes litteras viſuris, conceßiſſe nos dilectis noſtris oppidanis in Dordrecht generatim, ut ſi cujus oppidani bona oppignorentur vel per exſecutionem capiantur, aut ipſi ſiſtantur, in aliorum dominorum regionibus, extra Comitatum noſtrum, ut tunc abſque mora, oppignorari faciant à Balivo noſtro, ſeu judicibus noſtris, Scabinis in Dordrecht, ejus domini ſubditos, qui oppidanis noſtris, vel eorum bonis manus injecerunt, & cuſtodiri faciant ex conſilio Balivi, ſive judicum & Scabinorum in Dordrecht, &c. Datum Martis die poſt feſtum paſchatis, anno 1290, Middelburgi.

Anno CIↃCCXC immunitates omnes & privilegia, Dordrechtenſibus ob præclara merita ab Hollandiæ Comitibus, & præcipuè Wilhelmo II, Romanorum Rege, Patre ſuo, conceſſa, Florentius quintus confirmavit, & iterum paullo poſt, anno nimirum CIↃCCXXCIV.

Anno MCCXCIX Ioannes I. jus merces exoticas, quæ Lecca & Mereweda devehebantur, ſtabulandi ac ſiſtendi, ſingulari beneficio, irrogavit. Litterarum formula iſta eſt.

Nos Joannes, Comes Hollandiæ & Zelandiæ, ac Dominus Friſiæ, notum facimus univerſis. Cupientes dilectos & fideles noſtros opidanos in Dordrecht, propter grata ipſorum obſequia, quæ nobis & anteceſſoribus noſtris ſæpius præſtiterunt, & adhuc præſtare conabuntur, favore & gratia proſequi ſpeciali, ipſis tenore præſentium duxi-

muſ concedendum. Ut merces omnes vendibiles, quæ per Merewedam aut Leckam huc devehuntur, ſeu vinum, ſeu frumentum, ſeu lignum fuerit, ad forum Dordrechtenſe deportentur, ut vendantur ibi pariter & emantur. Mandamus propterea Telonariis noſtris de Geervliet & Striemonde, qui jam ſunt, aut poſtmodum erunt, ne præternavigare aliquos permittant, niſi prius ſyngrapha, è taberna nummularia, quæ Dordrechti eſt, petita teſtentur ſe illas merces ſuas Dordrechti emiſſe. Concedimus etiam mercatoribus omnibus, Germanis, Anglis, Brabantis, Flandris poteſtatem libere & tuto Dordrechtum veniendi, & ibi mercaturam exercendi: exceptis illis, qui adverſus nos aliquid commiſerunt, aut conſcij ſunt cædis Patris mei, cujus animam deus habeat, &c. Datum anno 1299.

Privilegium illud in hunc uſque diem conſervatum ſæpius poſtea Hollandiæ Comites confirmarunt: Ioannes II ab Aveſnes, Hannonius, anno CIↃ CCC, Wilhelmus IV anno CIↃ CCCXLIV. ampliarunt Margareta anno CIↃCCCXLVI, XXX Iulij, eadem anno CIↃ CCC L, VII Martij, Wilhelmus Bavarus anno CIↃ CCC LV, XV Maij, & Iunij XXVIII, Albertus, Tutor Hollandiæ, anno CIↃ CCC LXIX, & ejuſdem ſæculi anno LXXIII, ac poſt mortem fratris Comes anno CIↃ CCCXCIII, Guilhelmus ab Oſtervant anno proxime conſecuto, Martis die poſt S. Victoris, Karolus V. Romanorum Imperator anno CIↃ IↃXI, Octobris die XVIII.

Eſt autem Sapula jus, quo poteſtas conceditur aliunde invectis mercibus quaſi manum injiciendi, ab inſtituto curſu retrahendi, ac denique ita ſiſtendi, ut nō prius quam publico foro divenditæ ibi fuerinr, alio transferantur. Ita autem dicitur à *Stapelen*, quod in unum aliquid coacervare deſignat.

Anno inſequētis ſæculi primo, Iohanne II. Hannonio rerum potiente, Hollandiæ Auſtralis Balivus, Alandus nomine, in nonnullos cives, qui conjurationis in comitem rei ferebantur, exercere quæſtionem ſummo opere anniſus eſt; ſed diu fruſtra. Obſtabat enim privilegium, jam olim civitati irrogatum, quod ita ſe habebat. SI QVIS VRBIS CIVIS ALICVIVS SCELERIS, QVANTVMVIS ENORMIS, REVS SIT, DE ILLO NON ALIBI, QVAM DORDRECHTI, AB EIVS VRBIS PRÆTORE ET SCABINIS INQVIRATVR, POENÆVE SVMANTVR. Senatus tamen, quamquā invitus, publicæ tranquilitatis ergo conſenſit. Cęterum omnia repente turbavit Comitis adventus: qui, una cum Wolphardo Verienſi, illorū nomina tradi ſibi voluit, in quos crimen intendebatur. Quod cū contra fas collegij, & jus civitatis eſſe intelligeret, morē ſuo Principi non geſſit Senatus. Comes animi & irarum plenus Hagā contendit. Miſſi ad eum à Dordrechtenſibus legati petentes locū ac diem colloquio decerneret, velle ſe cauſſæ ſuæ æquitatem omnibus probare. Tandē Delphis, ſtato die, in unum partes convenere. Ibi publice Dordracenſes teſtabantur; ſe fide in Principem ſuum & obſequio nullis facile conceſſuros. Cæterum in hac cauſſa, reclamantibus privilegiis, ſe morem ei gerere non poſſe. Non ſua tantum, ſed cæterarum omnium civitatum intereſſe, ne conceſſa jam olim à majoribus ejus privilegia tam temere interrumpantur. Sed nihil ad reconciliandam pacem actum eſt. Co-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

eſt. Comes indicto Dordrechtenſibus bello, & evocato ingenti exercitu, Vito Haemſtedio arcem Puttenam inſedendam dedit. Nicolaus Catſius Ablaſſerdamum cum parte copiarum occupavit. Alandus Sliderſdrechti caſtra poſuit, & caſtellum ibi opere manuque validum exſtruxit, quo, inſeſſis omnibus viis, intercluſam urbem cômeatibus prohiberet. Sed Wolphardo in Hollandia cæſo, ſoluta obſidio, & Alandus Dordrechtũ deductus à multitudine oppreſſus eſt.

Ferunt anno M CCC S. Sotherim tribus tantum denariolis primariam Dordrechti ædem in honorem Deiparæ virginis exſtruxiſſe: quos in operas expenſos, rara felicitate, in loculis denuo repoſitos dicitur inveniſſe. Hiſtoriam, an potius fabellam, latius exſequitur Ioannes Leydenſis, cujus verba paullo ante adſcripſimus. Calidi fontes illi, niſi ego fallar, quos ætate ſua Dordrechti adhuc exſtare ſcribit Gerbrandus, huic rei occaſionem dedere. Cum enim viderent nonnulli aquas illas plurimis ad ſanitatem conferre, & auctâ, ut fieri ſolet, fama, hominum undique adfluentium frequentia celebrari, facile hiſtoriolam hanc, pro illorum temporum pietate, ſunt commenti, de facilitate credentium ſecuri. Sotheris & Zuwardæ inditum Virgini cognomentum. Sotheris *ſalvatricem* Græcis deſignat. Nomen hoc plurimis olim fæminis inditum fuiſſe colligere eſt ex inſcriptionibus antiquis. Talis illa:

D. M.
CRESCENTIÆ. FILIÆ. DVLCISSIMÆ
FECERVNT. CRESCENS. PATER. ET
SOTHERIS. MATER.

S. Sotheris meminit Baronius in Martyrologio Romano. 10 *Februarij*, inquit, *Romę, via Appia, S. Sotheris virginis & Martyris; quę, ut ſcribit S. Ambroſius, nobili genere nata, parentum conſulatum & præfecturas ob Chriſtum contemſit; juſſaque immolare, non acquieſcens graviter & diutiſſime alapis cæſa eſt; & cum cętera quoque pęnarum genera viciſſet, percuſſa gladio, lęta migravit ad ſponſum.* Plenius in rem noſtram & planius Ioannes Molanus Additionibus ad Vſuardum: *Eodem die* (nempe 10 Februarij) *Dordraci S. Surę Virginis & martyris commemoratio, ſed nomine Soteris, quod Latine interpretatur Salvatrix.* Quæ Baronij & Molani verba dubitare me non ſinunt totam pene Romanæ Sotheris hiſtoriam huic Dordrechtenſi eſſe adſcriptam. *Zuwarda* vel *Zura* dicta eſt à *Zuveren*, quod *mundare, purgare* nobis deſignat. Calidum fontem illum quod attinet, præter Gerbrandum Chronographus etiam popularis ſua ætate adhuc viſum fuiſſe teſtatur. Puteum S. Suræ, eccleſiæ contiguum, ſuo etiam tempore exiſtitiſſe refert Guilhelmus Lindanus, Dordracenus, & Ruremundæ Præſul. Nec mirum id adeo videri debet. Tepentes ejuſmodi aquas plurimas olim in Hollandia Friſiaque fuiſſe, ut Egmondæ, Heiloæ, Dockingæ & alibi, tradunt noſtri annales.

Anno M CCCII Franciſcanorum Monaſterium Dordrechti conditũ eſt: quo & Auguſtinianorum collegij fundamenta jaci cœpta ſunt: quod poſtmodum, anno ſcilicet M CCCXXV, à Guilhelmo bono conſummatum & dotatum, ac anno M DXII incendio abſumtum eſt.

Anno M CCCXXVI S. Agnetis Cœnobium excitatur. Suberat illud Capitulo Monaſterij Wijndeſheymſis in Tranſiſalania; virginibus primariæ nobilitatis, quæ illud olim incolue-

coluere, ſatis clarum. Ædes ejus anno MCCCCXLIII eſt inſtaurata.

Anno MCCCXXXII vetuit Wilhelmus Comes, ne quis cultrum vel Knyphonem gerat Dordrechti. A qua tamen lege immunes erant, Equites, nobiles, Balivus Suyt-Hollandiæ, Prætor urbis, eorumque apparitores.

Ad Annum MCCCXXXVIII gravi incendio urbs afflicta fuit. quo cum haud exiguum damnum illatum civibus eſſet, Wilhelmus Hannonius ipſis conceſſit, ut naves illæ omnes, quæ ab Ooſterlingis per Moſam devehebantur, non aliò, quam Dordrechtum appellerentur, ibique merces vænum exponerentur. Exaratæ in hanc rem ejuſmodi tabulæ.

Wilhelmus Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, & Dominus Friſiæ, notum omnibus facimus, nos bonis & dilectis noſtris oppidanis in Dordrecht, propter officia, quæ nobis ſæpius præſtiterunt, &c. & grave damnum, quod nuperum incendium illis inflixit, conceſſiſſe & concedere, volentes ut Coggæ atque naves adeo omnes, quæ in Moſam ex Auſtraſia deſcendunt, Dordrechtum, tanquam ad forum ſummum appellantur, ibique merces divendantur. Datum Montibus Hannoniæ, die XXII *Auguſti,* MCCCXXXVIII.

Vnde haud dubie factum eſt, ut paullo poſt, anno nempe MCCCLIV, Mercatores Orientales pene omnes, qui Brugis in Flandria ſedes jam ante fixerant, & ob deſſenſiones inter ipſos & Flandros exortas jam emigrabant, Dordrechtum ſe conferrent. Quamquam poſtea miſſi à Flandris ad Lubercenſes legati, ut mercatores illi, rebus omnibus utrimque compoſitis, Brugas denuo repeterent, dicantur impetraſſe.

Anno MCCCXXXIX, Ædes primaria Dordrechti exſtructa & dedicata eſt. In cujus rei memoriam verba hæc aureis litteris turri inſcripta leguntur. FVNDATA SVM ANNO HIESV MCCCXXXIX, IVNII XVI. INCENSA CVM ALIIS ANNO MCCCCI, IVNII XXVIII.

Idem Wilhelmus anno MCCCXLII Dordrechtenſibus Ius Stapulæ in vina, quæ ex ſuperiori Germania devehebantur, conceſſit hoc fere modo, ut vina ejuſmodi per totum octiduum maneant ac præſtolentur Dordrechti, niſi interea temporis divendantur, exceptis illis, quæ Coloniæ, aut alibi à liberis civitatibus ſuis emta eſſent, quæ unicuique domum & urbem ſuam deferre licebat, quamvis Dordrechti expoſita non fuiſſent. Poteſtatem etiam ſibi ſervabat immunitatem illam omnibus concedendi, quibus vellet, cavebatque præterea, ut cives Dordrechtenſes eodem jure, hac quidem parte, quo reliqui mercatores, tenerentur. Litteræ ſcriptæ ſunt Hagę Comitis, Feſto S. Catarinæ, anno proxime jam dicto. Biennio poſt iterum Dordrechtenſibus confirmavit, ut *Koggæ, Severę, Hulcę*, atque aliæ id genus naves, quæ è mari in Moſam delaberentur, Dordrechti ſtabularentur, exceptis illis, quæ Flandriam cogitarent: Teſtabaturque præterea ſe privilegium hoc Dordrechtenſibus in æternum pro ſe & ſucceſſoribus ſuis obtinendum concedere, dabatque Balivo, quæſtori, & reliquis judicibus Suyt-Hollandiæ in mandatis, ut hac quidem in parte, neceſſitate eorum operam flagitante, Dordrechtenſibus ad-

verſus

verſus delinquentes opitularentur. Litteræ iſtæ datæ ſunt Dordrechti, feria quinta poſt feſtum nativitatis Mariæ. Teſtes erant Iohannes Hannonius, dominus de Beaumont, Wilhelmus à Duvenvoorde, dominus de Ooſterhoudt, Henricus de Brederode, Daniel à Merewede, Iohannes ab Egmont, Iohannes à Polanen, dominus de Leck, Didericus à Brederode, Herbarnus à Riede, & Tielmannus de Meulenaer.

Non longe etiam poſt idem VVilhelmus publicis tabulis teſtatus eſt, velle ſe ut mercatores naves, quæcunque Moſam, Vahalim, Iſalam, Leckam, Merewedam adſcenderent, vel deſcenderent, Dordrechtum primum appellerent, ibique merces ſuas exponerent: ſalvo tamen jure & immunitatibus Middelburgo, ac Zyriczeæ, primariis Zelandiæ opidis, olim conceſſis. Quidquid autem à Dordrechtenſibus adverſus delinquentes perpetraretur, ratum ſe id omne ac gratum habiturum, & inſuper auxilio ſuo adfuturum promittebat. Scriptum hoc eſt Hagæ Comitis, anno 1355, die Maij XV.

Anno MCCCLXIII graviſſima lis dicam, an pugna, inter Arckelienſis dynaſtæ ſubditos, & Dordrechtenſes exorta eſt. Illis enim privilegium ab Alberto ſibi conceſſum objicienribus, quo ab omni Stapulę Dordrechtenſis jure immunes renunciabantur, proque eo acriter contendentibus, Dordrechtenſes aliquot eorum naves vi cepere. Indigne id admodum tulit Otto, Arckelienſium dynaſta; qui iracundiam tamen ad tempus repreſſit. Donec, arrepta occaſione, ad vindicandam injuriam, quam graviſſimam ſuis illatam credebat, plurimas Drodrechtenſium naves, quæ vino onuſtæ per Rhenum vehebantur, improviſo cepit: & vinum omne partim in Rhenum defluere paſſus eſt, partim diſtribuit inter ſuos. Atque ab eo tempore nunquam motus iſte amplius exarſit.

Anno eodem, adlaborante Alberto Bavaro, collegium Decani, & duodecim Canonicorum in majore Vrbis eccleſia, in qua aræ quadraginta duæ exſtructæ erant, inſtitutum eſt.

Anno MCCCLXXXII ædes illæ, quæ curiæ loco hodie ſunt, in uſum mercatorum, qui, Brugis relictis, magno numero Dordrechtum confluxerant, exſtruebantur.

Anno MCCCXCI gliſcente indies magis magiſque diſcordia inter nonnullas Hollandiæ civitates & Arckelienſis Dynaſtæ ſubditos, ac Dordrechtenſes ex altera parte, cum hi jure ſtapulæ omnes teneri contenderent, &, illis acriter obnitentibus, naves eorum ſiſterent, ac Dordrechtum deferrent. Comes Albertus Bavarus his motibus tempeſtive obviam eundum ratus, omnes Hagam ſtato die convenire juſſit, ut perſpectis litteris monumentiſque publicis, quibus ſinguli cauſſam ſuam tueri nitebantur, quid faciendum eſſet, recte & ex fide judicaret. Dordrechtenſes morem Comiti non gerentes, Hagam ea de cauſſa venire detrectarunt. Comes ſingulis accurate expenſis, ad tollendum omne incommodum, bene longum inſtrumentum fieri curavit, cujus, ne omnia adſcribam, precipuum argumentum hoc erat:

Harle-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Harlemum, Delfum, Leida, Alckmaria, Amſtelodamum, Rotterodamum, Schiedamum, S. Gertrudisberga, Oudewatera, Vlardinga, s'Graveſanda, Naerda, Medenblicum, Enckhuſa, Briela, dilectus cognatus noſter Otto, Dominus in Arckel, cum opidis ſuis, & opidanis de Gorichem, & pagi noſtri Ackerſloot, Wtgeeſt, & Wormer ab omni Stapulæ Dordrechtenſis jure liberi & immunes ſunto.

Litteras iſtas poſtmodum etiam confirmavit Wilhelmus Bavarus, Comes de Ooſtervant. Tabulæ ejus confectæ ſunt Hagæ Comitis, anno 1394. feria tertia poſt feſtum S. Victoris.

Anno autem MCCCCX, bello inter Iacobam Bavaram, & patruum ejus Ioannem Bavarum exorto, quo in duas partes diſceſſit Hollandia, Bavarum Dordrechtenſes ſequebantur; ad injurias vicinorum aſſiduis excurſionibus ſic ſatis promti. Ad hos coercendos Ioannes Brabantiæ Dux, cui tunc nubſerat Iacoba, valido exercitu Dordrechtum circumſedit. Nec cives, quidquid ad eludendam vim hoſtium excogitari poterat, ſegnitur exſequebanter. Ad poſtremum porta egreſſi, pleno gradu & inſtructa ad dimicandum acie Brabantos excivere. Primo ardore prælij ſigna & terga obvertunt, tamquam fugientes, relictis, qui propinqua mœnibus loca inſiderent. Brabanti quaſi omnium victores avidius inſequuntur: quos jam prætergreſſos atque incautos in inſidiis collocati à tergo oppreſſere. Illi tanta ſuorum clade perculſi, trepido agmine, ac magna impedimentorum parte relicta, in Brabantiam denuo conceſſere. Paullo poſt res utrinque compoſitæ ſunt; ſtrenue ad id laborante Philippo Charleſio, Ioannis Burgundi filio, convenitque ut Ioannes Bavarus Dordrechtum cum Suyt-Hollandia univerſa, atque etiam Rotterodamum, quod jam occupaverat, in feudum teneret. Vnde à Ioanne Brabantiæ duce, & uxore ejus Iacoba ejuſmodi litteræ ad Dordrechtenſes tranſmiſſæ ſunt:

Nos Ioannes Brabantiæ, &c. ac Iacoba Bavariæ Duces, ſignificamus vobis, qui Dordrechtum, Roterodamum, ac Balivatum pagoſque Suyt-Hollandiæ incolitis, nos præſentibus litteris vos abſolviſſe pro nobis & ſucceſſoribus noſtris, ab inauguratione & juramento, quod nobis ex debito veſtro præſtitiſtis, volentes ut dilectum patruum noſtrum, Ioannem Bavariæ ducem, & heredes ejus, pro legitimo domino veſtro, ex officio veſtro, recipiatis & agnoſcatis, juxta reconciliationis formulam, quæ inter nos convenit. Et ut hæc noſtræ confirmationis auctoritas rata & inconvulſa permaneat præſentes litteras ſigilli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus. Actum Worichemi, anno Dominicæ incarnationis MCCCCXVIII, I *Aprilis.*

Vnde Ioannes Bavarus XXIII Iulij, ejuſdem anni, ſolemniter Dordrechti inauguratus eſt. qui ipſe Dordrechtenſibus, quod durantibus his motibus ſtrenue ipſi eſſent opitulati, varia privilegia & immunitates conceſſit. Omnia recenſere ſupervacuum putavi; articulos potiores ſubſcribam.

I. *Balivi,*

I.

Balivi, Dijck-gravij, Quæſtoris, Prætoris, & Telonarij munus nemo obtinebit, niſi Dordrechti habitet, ibidem legitime, ſeu ex juſto toro prognatus.

II.

Tribunal, ſeu forum judiciarum Baliuvatus Suyt-Hollandiæ, & Dijck-graviatus Waerdæ majoris (vulgo de Groote Waerdt) *non alibi celebretur, quam Dordrechti. Præterea Balivi & Dijck-gravij præfati, captivos ſuos non alibi incarcerent, quam Dordrechti. Quia jam à longo retro tempore ſic conſtitutum & uſitatum fuit.*

III.

De Moneta noſtra Suyt-Hollandiæ nihil à nobis conſtituetur, niſi ex conſilio & ordinatione concilij noſtri: Nec alibi illa uſurpabitur, quam Dordrechti.

IV.

Nemo ad Vrbis Magiſtratum admovebitur, niſi Dordrechti natus; & toto decennio jure civium, quod vulgo *Poortrecht dicitur, ibidem uſus, vel legitimo connubio conſecutus ſit.*

V.

Iura Suyt-Hollandiæ à prædeceſſoribus noſtris irrogata, non innovabimus aut mutabimus niſi ex conſenſu & voluntate civitatis de Dordrecht.

VI.

Si prætorem Urbanum vel peregre proficiſci, vel vita defungi contingat, & judicium ferendum ſit, alium pro tempore creabit Magiſtratus, donec alius à nobis fuerit conſtitutus.

VII.

Licebit ipſi facinoroſos omnes, terra & aqua, per univerſam Suyt-Hollandiam captivare, & Dordrechtum incarcerandos deferre.

VIII.

Caſtellanum nullum urbi & arci Gertrudiſbergenſi præficiemus, niſi legitimis parentibus prognatum, & nobis præſentibus in manibus Magiſtratus Dordracenſis juramentum præſtet, nihil ſe facturum unquam adverſus jura, privilegia & immunitates Dordrechto ac toti Suyt-Hollandiæ à prædeceſſoribus noſtris olim conceſſa.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Acta hæc & tranſacta ſunt Dordrechti XXII Iunij, anno MCCCCXVIII. Balivatus Suyt-Hollandiæ quantæ dignitatis jam olim fuerit alibi diximus, cum de partibus, in quas Hollandia vulgo findi ſolet, ageremus. Munus illud à nobiliſſimis quibuſque ſemper adminiſtratum fuit. Vnde eorum indiculum, partim ex actis tabuliſque publicis, partim ex hiſtoria collectum his putavi attexendum:

- Ægidus de *Voorſchoten*, anno 1252.
- Iohannes de *Renes*, dominus de Goude & Haemſtede anno 1285.
- Alandus N. à Dordrechtenſibus cæſus anno 1300.
- Drieſo à *Meye*, anno 1303.
- Ioannes à *Zÿle*, anno 1310.
- Ioannes à *Zaſſenheim*, nunc *Zaſſen*, anno 1330.
- Wilhelmus à *Zierickzee*, anno 1331.
- N. *Queeckel*, ut nonnulli putant, ob vaccam ruſtico ſuffuratam capite multatus anno 1336.
- Herbarnus à *Riede*, Eques, anno 1348.
- Ioannes à *Drongelen*, Eques, anno 1355.
- Titelmannus *Oem*, anno 1358.
- Ioannes à *Leyenburch*, anno 1365.
- Didericus ab *Houweningen*, Eques, anno 1368.
- Herbarnus à *Lieſvelt*, Eques, anno eodem.
- Paulus ab *Haeſtrecht*, Eques, anno 1384.
- Arnoldus à *Duſſen*, Eques, anno 1394.
- Philippus nothus de *Culenborch*, anno 1405.
- Philippus nothus de *Leck*, anno 1407.
- Ioannes *Venedeau*, anno 1408.
- Claudius de *Toel*, anno 1412.
- Didericus de *Merewede*, Eques, anno 1414.
- Didericus à *Lieſvelt* anno 1439.
- Didericus à *Does*, anno 1445.
- Florentius à *Duſſen*, anno 1450.
- Georgius ab *Eemkercke*, anno 1456.
- Petrus de *Anocque*, anno jam dicto.
- Iacobus *Tot*, anno 1459.
- Wilhelmus de *Pricker*, anno 1465.
- Ægidius Adriani anno 1468. cæſus anno 1481.
- Adrianus Iohannis, anno 1470.
- Daniel de *Praet* & *Moerkercken*, dominus de *Merewede*, Eques, anno 1475.
- Witmannus à *Swindrecht*, anno 1477.
- Iacobus *Oem*, dominus de *Wÿngaerden*, Eques, anno 1483. & frater ejus
- Didericus *Oem* à *Wÿngaerden*, anno 1490.
- Petrus *Schoock*, anno 1510.
- Florentius de *Coulſter*, anno 1512.
- Iohannes de *Minnebeecke*, anno 1517.
- Iſbrandus de *Coulſter*, anno 1521.
- Iacobus *Queeckel*, anno 1537.
- Georgius de *Lindt*, alias *Mol*, anno 1559.
- VVilhelmus à *Nieuvelt*, &c. anno 1580.
- Ioannes *Wenſſen*, moritur anno 1588.
- Iacobus *Muys* ab *Holy* anno 1589. & filius ejus
- Arnoldus *Muys* ab *Holy* anno 1593.
- Pompeius de *Roevre*, dominus de *Hardincxvelt*, anno 1626.

Monetam autem quod attinet, cujus mentio in proxime ricitato Ioannis Bavari diplomate, ea jam olim Dordrechti conſtituta fuit. In litteris veterrimis moneta

Dordra-

Dordracenſis paſſim memoratur, & præ cæteris

Grotæ, groſsi, ſinguli valent ortgenis duobus, & aſsi Romanorum reſpondent, ut volunt quidam.

Floreni,

Placcæ, ſtufero videntur valuiſſe: & ejuſdem nominis valoriſque monetam hodieque agnoſcunt Luſitani.

Wilhelmi Scutati, ita dicti, quod à Wilhelmo Bavaro, qui Hollandiæ præfuit anno 1351, cuſi ſint.

De his alijſque æreis, argenteis, aureiſque nummis, ab Hollandiæ Comitibus Dordrechti olim cuſis, ſingularem libellum ſcripſiſſe dicitur Eraſmus ab Houwelingen, ipſe Dordracenus: In quo ſingulorum formas, figuras, & circumſcriptiones accurate expreſſit. ſed quæſitum diu invenire non licuit. Habet autem Dordrechtum, præter alia variaque ornamenta, huic rei dicatas ædes ſplendidiſſimas; à Carolo V. Cæſare, uti ex inſcriptione conjicio vel inſtauratas, vel exſtructas, quod ipſum tamen pro certo adfirmare vix auſim. Epigraphe officinæ Monetariæ eſt iſta:

MONETA
DIVO. CAROLO. V. CÆS.
DIT. IS. DE. MVNTE. DES. ROOMS.
KEISERS, &C. ENDE. GRAEFELICHEITS
VAN. HOLLANDT.

Sed longius progreſſus illud ſilentio tranſivi, quod neutiquam erat prætermittendum. Anno Domini MCCCIV Dordrechtenſium præcipuè illuxit fortuna & virtus, cum perculſis reliquis aut captis civitatibus, hinc Flandrorum, inde Brabantorum irruptionibus, illis ad populationem agrorum, his ad urbium excidia converſis, tota Hollandia intremuit, omnique genere diſcriminum, civilibus, terreſtribus ac navalibus bellis omne imperij corpus eſſet agitatum. Atq; hæc eſt illa ætas, qua immota adverſus vim omnem atque invicta, nobile illud VIRGINIS meruit cognomentum. Equidem inter medios hoſtium furores, inter tot aliarum ſororum ſuarum ſtupra & neces, quę ludibria corporum jam deflebant, illibatum conſervavit intemeratæ ſuæ florem virginitatis. Imo potius dicenda eſt mater, quod tamquam fæcunda parens, imprægnante Fortuna, tot præclaros illa tempeſtate enixa ſit, & digniſſimos æternitate ſæculorum triumphos. Ioannes enim Brabantię Dux totius Auſtralis Hollandiæ jam potitus, in Dordrechtum, auctis admodum copiis, omnem belli molem convertit. igni fere graſſabatur, haud exigua Vrbis partę incenſa. Dies erat à prima oppug-

natione decimus, quo cives, Duce Nicolao Putteno, viro non animi ſolum vigore, ſed etiam corporis viribus excellente, inopinato Brabantos aggreſſi ſunt: quos exutos caſtris diſſipatoſque, fines hoſtium ingreſſi, expedita manu Sylvam Ducis uſque ſequebantur. in quam, agrorum atque vicorum populationibus non contenti, faces, glandes ac miſſilem ignem jaculabantur. Reverſi, prædâ hoſtium graves, Gertrudoberga pari animo & impetu Brabantos exturbant. Mox etiam in Flandros arma vertunt; quos elatos animis ingentibus, & per diverſa palantes, eadem virtute & felicitate prope Iſſelmondam invadunt. Ad duo Flandrorum millia illo prælio cecidere. Alij fugam per diverſa petierunt. Parum etiam abſuit, quin dux ipſe caperetur. Ita eodem tempore à potentiſſimis ac bellicaciſſimis hoſtibus bis victoriam poſteris memorabilem Dordrechtenſes reportarunt.

Anno MCCCCXXI, die, qui S. Eliſabethæ ſacer tunc erat, fæda clades non Dordrechtum modo à continente avulſit, ſed totam pene Suyt-Hollandiam inundavit. Cauſſam ejus rei alij aliam adducunt. Nonnulli ruſtici cujuſdam ſcelere procuratum id fuiſſe tradiderunt. quidam atrociſſimam tempeſtatem narrant, aggere, qui inter Gertrudiſbergam & Dordrechtum medius erat, ventorum & aquarum violentia perrupto. Verum ego omnium iſtorum malorum non aliam cauſſam eſſe exiſtimo, quam diploma Wilhelmi Bavari, quo, anno 1414, XX Februarij, Zevenbergæ Domino, & officiario in Wielſdrecht, conceſſit, ut aquæductus, *Zijla* vulgo dictus, præcludi antea ſolitus, poſthac recluderetur, quoties Wieldrechtenſes opus eſſe judicarent, Heemradiis, aut Dijckgraviis non conſultis. Vnde factum eſt, ut cum aquæductus iſte negligentius haberetur, accedente tanta tempeſtate, quantam jam dixi, objicibus disjectis, omnia facile potuerint inundari. Atque in memorati jam diplomatis memoriam & exſecrationem hi verſiculi vulgo circumferuntur:

Perdidit hoc diploma homines, armenta, gregeſque,
Septuaginta duos pagos, & florida rura.

Chronoſtichon autem hoc;

VVIeLdreCht MaCh VVater beCLagen.

Vernaculum alterum notatum invenio:

TVVee en tſeVentICh dorpen ſynderMet ſneLder ſpoet
Ontrent DordreCht onder ghegaen door de hooChte
des VLoet:

Vt item illud Cl. Iunij.

DVrdreChto InCVbVIt VIs atroX InCIta
VentIs,
Vrbs qVa dIſſILVIt protInVs haVſta MarI.

Præter arces & ædes nobilium complures, plus quam centum hominum millia, cum pagis ſeptuaginta duobus, inundatione perierunt. Pagorum nomina, quæ oblivionem vitarunt, ſunt iſta:

Werckendam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Werckendam,
Duſſen Munſterkerck,
Duſſen Muylkerck,
Beſoyen,
Sprangh,
Cappel,
Zydewijn,
Nederveen,
Groot Waſpick,
Kleyn Waſpick,
s'Gravenmoer,
Raemſdonck,
Driemijlen,
Stanthaſen,
Hooghe Swaluwe,
Leege Swaluwe,
Nieuwervaert,
Meruwede,
Crayeſteyn,
Lang Ambacht,
Cort Ambacht,
Houweningen,
Dubbeldam,
Mijl,
Leyder ambacht, nunc *Schravendeel*
Poelvvijck,
Putterſhoeck,
Mijn s'Heeren-lant van Moerkercken
Heynkens oort,
God-ſchalcx-oort,
Weede,
VVeedenbroeck,
Strien,
S. Antonij Polder,
De VValen, nunc *Heynen-oort,*
Riede,
Nieukerck,
Ooſtbarendrecht,
VVeſtbarendrecht,
Carniſſe,
Pendrecht.

Hi omnes ſenſim, partim ſponte, cedentibus aquis, partim induſtria incolarum, emerſerunt, & florent. Reliqui ſepulti adhuc jacent: quales ſunt:

VVollebrantſkerck,
Cruyſkercken,
De Neſſe,
Aloeyſen,
Almſvoet,
Eem, Eemkerck,
Vyt-alm,
Aertſbergen,
Op-alm,
Houckeniſſe,
Almonde,
Dubbelmonde,
Tvvintich Hoeven,
VVieldrecht,
Geraert-Monnen-Strijen,
Strienmonde,
VVieleſtein,
VVielnes,
Telloyſen,
Achthoven,
Sloter-oort, aut *Clooſter-oort.*

Mona-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Monaſteria autem duo abſumta ſunt:

Heiſtebacchenſe N.

Emeſteynenſe ordinis S. Auguſtini, ſeu fratrum de Eremo.

Ac ſtatim quidem, ſedente tempeſtate, & aggere, qua parte lacer erat, denuo inſtaurato, pagi ſexdecim emerſerunt. *Verum avaritia* (ut notat & loquitur Reynerus Snoyus Goudanus) *quæſtorum, aggerantes mercede fraudantium, ulterius deſijt opus ſe porrigere: quamquam feratur, Moſæ æſtum congeſtos recens ceſpites penetraſſe, ſpemque conficiundi operis reliquam navantibus accidiſſe. Jta violentia fluvij, noſtrorumque ſocordia pulcherrimus quondam ager, nec ſeritur, nec metitur, cum tamen opis haud magnæ fuerit, his præſertim æſtatibus, quæ ſolito nobis ferventiores contingunt, arte quavis eum ſanum ac ſiccum reddere.*

Anno MCCCCXXXVI Zwederus, Trajectenſium antiſtes, à Rodolpho expulſus, Epiſcopalem ſedem ſuam Dordrechti fixit, atque ibidem ab Hollandis, Friſiis, & Gelris pro legitimo & vero Epiſcopo agnoſcebatur.

Anno MCCCCXLVI controverſia inter Dordrechtenſes, & alias borealis Hollandiæ, ac occidentalis Friſiæ civitates de jure Stapulæ repullulaſcente, Philippus Burgundus, boni publici ergo, conditiones iſtas adjecit.

I.

Quotquot per Merevvedam aut Leckam deſcendent, eademque flumina adſcendent, merces vehentes, quæ juri Stapulæ ſubjiciuntur, quales ſunt frumentum, piſa, fabæ, vinum, ſal, lignum, carbones, calx, molendina, ſcandulæ, lupus ſalictarius, uſtrina, aliaque id genus, Dordrechti abſque ulla exceptione ſtabulabuntur.

II.

Ligna tamen, quæ ad ædes ſacras ſpectant, libera cenſentur.

III.

Quotquot Hollandiam vel Zelandiam inhabitantes Iſalam vel adſcendent, vel deſcendent, Dordrechti cum mercibus ſuis ſtabulari non tenebuntur: ita tamen ut nullum ſal extra regionis limites evehatur, niſi Dordrechti primum expoſitum fuerit.

IV.

Quotquot Hollandorum vel Zelandorum naves per Moſam ingredientur, Dordrechti ſtabulari non tenebuntur. Si autem in iſtis navibus bona nonnulla vehantur, quæ ad Hollandos vel Zelandos non pertinent, Dordrechtum plenis velis devehentur.

V.

Nemo bona iſta, quæ per Sluſam Gildenburgenſem invehen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

vehentur, & Stapulæ juri ſubjecta ſint, in Hollandia Zelandiave emet vel divendet, niſi Dordrechti primum expoſita fuerint.

VI.

Cives Dordrechtenſes iiſdem legibus, & conditionibus, quibus cæteri, tenebuntur.

Qui ſecus faxit triennij exilio, & ſexaginta aureorum Philippicorum Equitum ſumma mulctabitur. Datum Hagæ Comitis XV *Octobris, anno* 1446, *Secretario Ioanne de Swieten.*

Circa annum Domini MCCCCLVI gravi & fortuito incendio duo millia ædium cum Halla (ita vocantur ædes publicæ, ad quas convenire mercatores ſolent) Noſocomio & præcipua S. Mariæ eccleſia, ſunt abſumta. Meminit hujus Verſificator ille, quem laudat Gerbrandus:

Igne tuo lapſum fueris licet uſta per ævum,
Reddita quam fueras es modo pulchra magis.
Conſtruitur formæ templumque tibi modo miræ,
Igne quod ambuſtum ſæcla per acta fuit.

Obſervandum hic eſt Vrbem & Ædem ſacram hujus verſificatoris tempore, ut ipſe non obſcure innuit, fuiſſe inſtauratam. id eſt circa annum 1490. Vocat enim illum Gerbrandus egregium, ſi Muſis placet, ſui ſæculi Poëtam. Floruit autem Gerbrandus anno illo, quem proxime jam dixi, quo qui incendium hoc contigiſſe volunt, longius aberrant. Meminit enim ejus Æneas Sylvius, poſtea Pius Secundus dictus; quem anno 1464 objiſſe conſtat. *Hollandrinorum*, inquit cap. XXXVI de Europa, *præcipui Dodracenſes* (male ita legitur pro *Dordracenſes*) *habentur. Ea civitas eſt egregie munita, dives opum, negotiationique maxime accommoda: cujus haud parvam partem anno ſuperiore incendium abſumſiſſe relatum eſt. Incuria civium id eveniſſe conſtat: quamquam pleraque miracula referantur, quæ prętereo, quia non ſatis digno teſtimonio comprobantur.*

Anno MCCCCLXXVII, Goudani, relictis reliquis Borealis Hollandiæ civitatibus, & prætermiſſo privilegio, quo, anno MCCCLXCI, Albertus Bavarus à Stapula Dordrechtenſi immunitatem ipſis conceſſerat, cum Dordrechtenſibus ad decennium convenere hac formula:

Nos Conſules, Schabini & Senatores de Dordrecht ex unâ, Et nos Conſules, Schabini & Senatores Reipublicæ Goudanæ, ex altera parte, notum omnibus facimus, ad fugiendum incommodum omne, quod ex Stapulæ prærogativa facilime poſſit exoriri, ſequētia omnia inter nos conveniſſe. Ut nimirum cives Goudani bona ſua omnia, quæ juri Stapulæ ſubjecta ſunt, & per Iſalam, Leckam, aut Merewedam deſcendunt, aut Leckam vel Merewedam adſcendunt, Dordrechtum ad forum devehant, excepto tamen ligno, quod in uſum Monaſteriorum & ædium ſacrarum deportatur. Bona autem illa, ut frumentum aliaque, quæ Iſalam ex inferioribus his partibus adſcendent

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

ſcendent, ea ad præſtitutum locum ſuum devehentur; quamvis Dordrechti expoſita non fuerint. Eaque ſuis ipſi navibus vehere tenebuntur. Quaſi non habeant, Dordrechtenſibus ſignificabunt, qui æquo pretio naves ſuas utendas concedere tenebuntur. Si autem Dordrechti illæ haberi non poſſint, eaſdem ex aliis opidis & regionibus petere licebit. Quibus acceptis telonario ſignificare tenebuntur, bona, quæ in navibus iſtis reconduntur, ad ſolos cives Goudanos pertinere. Si autem bona inveniantur, quæ ad alios ſpectant, & jus Stapulæ ſubire nata ſunt, non tantum hæc, quamvis minimi pretij, ſed & illa, quæ ad Goudanos pertinebant, Dordrechti ſtabulabuntur. Præterea cives Goudani vinum Rhenanum non alibi ement, quam Dordrechti. Si vero adverſum hæc à Goudanis quidquam committatur, ſexaginta aureorum Equitum mulctam ſolvere tenebitur. Quod ſi autem reus ſolvendo non ſit, jus civitatis ipſi adiment Goudani, nec reſtituent prius, quam mulctam iſtam pecuniariam perſolverit. Quod ſi eo modo non puniverint eum Goudani, licebit Dordrechtenſibus tamdiu eorũ naves in Suyt-hollandia poſitas ſiſtere, quamdiu à reo ſatisfactum ipſis non fuerit. Atque his ita inter nos conſtitutis, integrum Goudanis non erit, ſe reliquis Borealis Hollandiæ civitatibus, quoad jus Stapulæ, unire, aut contrarium aliquid agere huic pacto. Pactum autem hoc durabit toto decennio proximo, abſque ullo præjudicio privilegiorum, dolo omni utrimque ſemoto. Et nos præfatorum opidorum rectores, qui prædictis omnibus aſſenſum præbuimus, etiam aſſentimus, quoniam ea volumus rite ac firmiter à nobis obſervari, eadem grata habemus, recipimus, ac promittimus exſecuturos. Igitur ad majorem eorum, quæ inter nos ſtipulati ſumus, firmitatem, his litteris ſigillum noſtrum appendi fecimus Anno 1477. 8 Maij.

Hoexiorum & Cabeliaviorum factio, quæ velut flamma Hollandiam longe lateque olim corripuit, etiam heic exarſit. Varius tunc & multiplex motus civitatis fuit. Quoſdam enim è Magiſtratu nomine non ex æquo adminiſtratæ Reipublicæ ſuſpectos atque inviſos cives habuere. Hoexij interceptis vectigalibus fraudaſſe ſuo jure civitatem videbantur. Cabeliavij itaque Magiſtratus & publicas dignitates adepti ſunt, cæteris expulſis; quorum vindicta dilata magis eſt, quam oppreſſa. Extorres enim ad Ioannem Egmondanum, ſuarum partium patronum, atque arcis Gorichemienſis præfectum transfugere. Male de hoc Egmondano loquebatur Dordrechtenſium Prætor. Qua contumelia ille laceſſitus conſilium de invadenda Vrbe ad Cabeliavios retulit, monuitque, ſi viri eſſent, patriam & priſtinam dignitatem ſuam armis repoſcerent. Et facile invenit, qui ſua ſive imperia, ſive conſilia ſequerentur. Itaque in naves omnibus impoſitis, Dordrechtum tranſmiſit. Stabat tunc forte, cum appellerent, in promontorio Vrbis Prætor; qui naucle-

nauclerum rogat, *Ecquid ferret*; *Varias merces*, reſpondit ille, *quas mox exponam*. Statim, cum abjiſſet Prætor, confirmatis animis in terram omnes deſiluere: quibus longius progreſſis, media Vrbe ac foro, furor omnis erupit, trucidatis aut fugatis, qui tunc aderant, è Magiſtratu præcipuis. Venere Egmondano interea Rotterodamo evocata militum auxilia: quibus ſubnixus, Hoexios ducentos una cum Prætore in vincula duci jubet, Cabeliaviis denuo in priſtinos honores atque dignitates ſuas reſtitutis.

Anno MDCVII Senatus Dordrechtenſis à Weſſelo de Boetſelaer, Aſperæ domino, privilegia nonnulla, quæ ipſi, tamquam Merewedano dynaſtæ, competebant, ſuo ſibi ære redemit. Inter alia poteſtatem octiduani, ut vocant, prætoris, cui, tamquam Merewedanos dynaſtas referenti, quotannis, quinto Iunij, virgo juſtitiæ, ut vocant, ſollenniter ab Vrbis Dordrechtenſis prætore offerebatur, qui ipſe, octiduo exacto, denuo prætori urbano reſtituebat. Durante hoc octiduo mulctæ omne quadruplicabantur, juxta formulam, in quam anno 1307 Dordrechtenſes cum Daniele Merewadano dynaſta conſenſerunt.

Noſtra ætate haud parum huic Vrbi celebritatis acceſſit, à celebrata Synodo Nationali: qua neque illuſtriorem, neque frequentiorem Eccleſiæ Reformatæ umquam videre. Ad quam viri dignitate ampliſſimi, doctrina præſtantiſſimi, fama clariſſimi, ad diſcutiendas explicandaſque illas controverſias, quæ infelicem Patriam tunc agitabant, & in vulgus notæ jam ſunt, ſub auſpiciis potentiſſimorum Fœderati BelgI Ordinum undique fuerunt exciti. Cœpit illa anno, qui Chriſtianis eſt milleſimus ſexcenteſimus & decimus octavus, ipſis Idibus Novembris. Deſijt eſſe ſeptimo Idus Maij, anni proxime conſecuti.

Dordrechtum patriam ſuam agnoſcunt

Matthæus Wentſen Ord. Minorum, Theologus pro ſæculo ſuo non adſpernabilis. Vixit, docuit & ſcripſit anno Chriſti 1540.

Cornelius Adriani, vulgo *Broer Cornelis*, Franciſcanus & Guardianus, trium linguarum peritiſſimus. Brugis Flandrorum annos triginta publice docuit. In concionibus diſertus & perfacundus habebatur. Ingenio tamen ſupra modum ridiculo & feſtivo; quod ſatis elucet in concionibus iſtis, quæ in omnium manibus verſantes non ſine effuſiſſimo riſu vulgo leguntur. Quamquam politiſſimus Ianus Lernutius, (teſtante Franciſco Sweertio in Athenis Belgicis) viderit conciones doctiſſimas ineditas, quæ proculdubio turbulentiſſimo hoc tempore perierunt, aut alibi adhuc latent. Nuſquam metu auditorum tangebatur. Cujuſcunque generis eſſent aut dignitatis, eos liberrime corripiebat. Antiſtites ac Principes eodē ipſi loco erant, quo plebëi. in quæ peccaſſe illos judicabat, ea palam & ex profeſſo perſtringebat. Vivere deſijt anno ſuperioris ſæculi 81. Ætatis ſuæ 60. Sepultus Brugis in Xenodochio S. Ioannis cum hoc Epicedio:

Ecquis in obſcuro latitans (dic parva tabella)
Tumulo hoc repoſtus conditur?
Quis fugiens adeo eſt & famæ & lucis & auræ
Vmbris ut hic velit obrui.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Tune pater celebri condigno ex marmore crypta
Hic Dordracene recubas?
Quem tam ſacundæ decoravit gratia linguæ,
Monita ſalutis cum dares.
Ut tua fama volet totum vulgata per orbem,
Stridente quamvis Zoilo.
Sed quia Seraphici placuit pia ſemita patris,
Placuit Sepulcrum ignobile.
Nam tituli & patrio exciſæ de marmore tumbæ
Ætate longa intercidunt.
Virtus ſola viget, vivitque æterna, nec ævo
Labente longo extinguitur.
Hæc jam te æquavit Superis, cæloque beavit
Sertis decorum fulgidis.
Quid juvat ingrato hunc igitur requieſcere buſto,
Qui mente cœlo vixerit.

Jacobus Bogardus (male *Adamum* appellat Gouthovius in ſuo Hollandiæ Zelandiæque ſcriptorum indiculo) primò Antverpienſium Medicus, & deinde Lovanij Medicinæ Profeſſor. quam annos ſex & triginta ibidē cum magna celebritate docuit. Scripſit *Commentaria in Avicennę practicam*, diſtinxitque quinque voluminibus. Legere illud eſt manu deſcriptum in publica Antverpienſium Bibliotheca: cum hac inſcriptione, *Collectorium M. Iacobi Bogaert.* Obijt anno 1537. ſepultus in Æde D. Petri, in ſacello S. Lucæ, cum hoc honoris titulo;

Abſtulit è vivis Bogardum ſera Iacobum
Mors, ſed ab annoſo ſæpe vocata ſene.
Corpore quandoquidem jam fractus, pectore toto
Spirabat Chriſtum, cælicolumque choros.
Sancta maritalis ſervavit fœdera lecti,
Clarus ſeptenæ prolis honore pater.
Conjuge defuncta, thalamum thedaſque peroſus,
Sacra ſacerdotis munia caſtus obit.
Annis triginta, nec non ſex, dogmate certo
Hic docuit medicas Gymnaſiarcha ſcholas.
Denique tam exacte virtutem perculit omnem,
Momus ut errati poſtulet ipſe nihil.

OBIIT AN. DOMINI MDXXXVII. MENS. IV.

Cornelius Coninck à Bloys, I. C. ampliſſimis in patria dignitatibus functus. Ex Delfenſium conſule, ordinum Hollandiæ Weſtfriſiæque delegatus tractatui de pace Gandavenſi una cum Guilhelmo Arauſionenſium principe interfuit. Mox curiæ Hollandicæ Senator, & Leydenſis Academiæ Curator factus eſt. Vitam & dignitates finivit Hagæ Comitis anno 1582.

Guilhelmus Lindanus, Damaſi filius, ex illuſtri apud Dordrechtenſes Lindanorum familia ortus, jam puer magnos in ſtudiis progreſſus fecit, præcipuis præceptoribus uſus Ioanne Bevero, Rutgero Reſcio, Theodorico Langio, Petro Nannio, Andrea Baleno, Ioanne Mercero, Hadriano

driano Turnebo, aliiſque. Ac primo quidem ad Dilinganam Suevorum Academiam, recens tunc inſtitutam, evocatus fuit. In patriam denuo reverſus primum Decanus Hagæ Comitatenſis, deinde conſiliarius Regius, & Trajectenſium antiſtitis vicarius, ad poſtremum Ruremundanæ ſedis primus Epiſcopus creatus eſt. Plurima ſcripſit partim edita, partim inedita; quorum bene longum catalogum videre eſt apud Andream Valerium & Franciſcum Sweertium in Athenis Belgicis. Lindanus ſede ſua expulſus moritur Gandavi, anno 1588.

Jobus Nauclerus vir eruditus, & S. circumciſionis Sacelli Antverpienſis Plebanus; ibidem conditus anno 1591 hoc epicedio ornatus:

Lovanij doctus, Dordraci natus Iobus
Hoc eſt Nauclerus *conditus in tumulo.*
Quem virtus, pietas, & doctæ gratia linguæ,
Hujus Plebanum fecerat eſſe domus.
Illum, heu! Parca ferox, noſtro nimis invida clero,
Vix paſſa eſt vitæ luſtra videre decem.
Sed febre confectum dedit hoc ſub marmore corpus,
Hac cineres atros oſſaque texit humo.
Diſce hoſpes, nulli crudelia parcere fata,
Atque ſilenti umbræ vota benigna face.

ANNO CIↃ IↃ XCI. X. FEBR.

Adrianus Mylius I. C., præſes Hollandiæ, poëta & orator inſignis, cujus litteræ nonnullæ in vulgus editæ leguntur. Vivere deſijt anno 1591.

Adrianus Bleyenburgius; patritia familia prognatus, elegans & compoſitus poëta. Mortuus eſt anno 1599.

N. Drenckwairtus, vir primariæ in Belgio dignitatis vitam exuit anno 1606. Sepultus Bruxellis in D. Gudulæ templo cum hoc epitaphio:

CHRISTO REDEMTORI

SACR.

Dordracum Batavûm, Bruxella, Brabantia, caſtra
Regia, &, ut paucis, Belgica tota dole.
Conſilio, annona, quæſtura, faſcibus, unus
Omnibus illuſtris, publicus Atlas obit.
Ecquis Atlas? Drenckvvairtus, *onus patriæ omne,*
& honorum
Pondera tot ſolus qui tulit, ille jacet.
Hoſpes abi. dictum ſatis hoc tibi. plura legendo
Unum ne plures forte fuiße putes.

VIVERE DESIIT AN. CIↃ.IↃCVI.

Paulus G. F. P. N. Merula juris, hiſtoriæ, antiquitatum, variarum linguarum callentiſſimus, & in iſtis omnibus cum paucis cõparabilis. Loquuntur id tot præclara ingenij ejus monumenta, quæ cum auctore ſuo relata jam ſunt in album

æternitatis. Pluria apud hæredes adhuc latent, inter quæ *Faſti Dordraceni*. Poſt varias peregrinationes Hiſtoriarum Profeſſor in Academia patria creatus eſt. Roſtochium ſalutandorum amicorum cauſſa profectus, & ibi ardentiſſima febri correptus è ſtatione hac emigravit anno currentis ſæculi ſeptimo, ætatis quadrageſimo & nono. Sepulto hoc extremi honoris monumentum inſcriptum eſt:

TIBI

PAVLE. MERVLA

QVI

DVM. DEVS. TE. NOBIS. SVPERSTITEM. VOLEBAT
OB. SINGVLAREM. TVAM. ERVDITIONEM
MAGNAQVE. ET. MVLTA. IN. OMNES BENEFICIA
DOCTISSIMORVM. AVDIISTI. HVMANISSIMVS
HVMANISSIMORVM. DOCTISSIMVS.
HOC. QVALECVNQVE. MONV-
MENTVM
MOERENS. BENE. MERITO
F. P. Q.
P. D. I. F. EX. A. A. D. VIII. KAL. AVG.
CIↃ IↃC XIII.
AVE. ET. SALVE. VIR. PAVCIS. COMPARANDE
S. T. T. L.

Valerius Gouthovius, vir de hiſtoria patria optime meritus, Trajecti primum, deinde Coloniæ, poſtmodum Lovanij, & deinde Dolæ humaniores litteras diligenter tractavit. Chronicon vulgatum Hollandiæ, plurimis locis, præſertim diplomatis tabuliſque publicis, auxit, & cum Cl. Scriverij notis excudi curavit. Adjecit præterea illuſtriũ, qui in Hollandia, Zelandia, & Trajectina ditione floruerunt, ſcriptorum ſyllabum, quo in Athenis ſuis Belgicis adornandis plurimum profeciſſe ſe teſtatur Franciſcus Sweertius. Vrbis etiam Dordrechtenſis deſcriptionem, nondum luce donatam, abſolvit. Quæ ſi in manus noſtras veniſſit, magnam indubie facem hiſtoriæ huic noſtræ prætuliſſet.

Ianus Rutgerſius patrem habuit Vinandum Rutgerſium, matrem Corneliam Muſiam ab Holy, è familia vetere & quæ illuſtres Dordrechtenſi Reipubl. viros dedit. Inter quos avi materni, Iacobi Muſij ab Holy, recens memoria eſt; qui plurimis ac ampliſſimis honoribus perfunctus, poſtremum ex ſummo Hollandiæ Quæſtore Prætor Dordrechtanus, ſimulque Balivus Suyt-Hollandiæ, creatus eſt. Hujus filius Hugo Muſius ab Holy Eques, Kettelæ ac Spalantæ dominus, & geſtis militiæ rebus, domi honoribus clariſſimus. Ianus Rutgerſius anno 1589 natus, confirmatâ jam ætate, in diſciplinam traditur optimo & eruditiſſimo viro Gerardo Ioanni Voſſio, ſub cujus diſciplina ad omnia promtiſſimum ingenium ejus illuxit. Mox Lugdunum Batavorum miſſus ſummis ſęculi viris acceptiſſimus vixit, & imprimis Ioſepho Scaligero, ſcopo illi eruditorum, ſcopulo invidorũ, ac duobus Gratiarum pullis, Danieli Heinſio, Equiti, cui unicam poſtea ſororem Ermingardin Rutgerſiam elocari curavit, & Dominico Baudio. Leida relicta Lutetiam conceſſit, ibique in celeberrimi viri Frederici Morellij contubernio aliquamdiu vixit. In patriam denuo reverſus cum ampliſſimo

Sueco-

Suecorum Regis legato Iacobō Duyckio, iter in Sueciam ſuſcepit. Vbi Regi gratiſſimus, varias ejus nomine legationes ſuſcepit, & pro exſpectatione Regis confecit. Qui & ea de cauſſa Rutgerſium ſolemniter cöoptavit, maximaque regni procerum frequentia, in nobilium ordinem, adjecta non exigui ponderis torque, adlegit. Mox quintum ad fæderatos Ordines miſſus, dum patriæ, regis, & litterarum negotia ſedulo tractat, morbi violentia oppreſſus ſpiritum cum ſummo procerum & doctorum omnium luctu Hagæ Comitis anno 1623 efflavit. Vir erat animi maximi, virtutis & eruditionis eximiæ. Magnus præterea ingeniorum æſtimator, ipſe ingenioſiſſimus. Teſtari id poſſunt *Variarum Lectionum libri* V I, quibus nihil elegantius habent litteræ humaniores. In Martialem etiam nonnulla notavit. Venuſinas lectiones ejus, bona fruge refertiſſimas, brevi publico donabit florentiſſimi ingenij affinis ejus, Daniel Heinſius, vir ob præclara ſua in Rempublicam & litteras merita, merito hoc loco nominandus.

Igitur Dordrechtum hunc in modum principum liberalitatibus excultum, & tot rebus domi militiæque geſtis clarũ, inter ſex primarias urbs prima cenſetur. Quidquid enim de quorumdã locorum antiquitate prodatur, id ſaltem omnino certum eſt, primam adſcribi Dordrechto dignitatem, ut merito mater Hollandicarum Vrbium haberi queat. Id multa oſtendunt. Primum enim quotiens Vrbium mentionem injiciunt vel diplomata, vel monumenta, vel acta publica, Dordrechtum ſemper cæteris præponunt. In Ordinum Comitiis primi ſedent Dordrechtenſes: primi loquuntur. Hanc Vrbem inaugurandus Hollandiæ Comes primum ingrediebatur: hic jurejurando ſeſe primum Ordinibus obſtringebat, eoſque ſacramento ſibi reddebat obligatos. Hinc Prætor hujus Vrbis & Conſules, non niſi ſatellitibus haſtatis ſtipati, ex more & inſtituto Principum, in publicum procedunt. Moſa & Mereweda partim circumeunt Dordrechtum, partim interluunt; commodi omnes, & idonei ferendis navibus, quæ ex ſuperiori Germania, Leodienſi agro, Brabantia, Zelandia, viciniſque regionibus frequentiſſimæ huc appelluntur, amnes, ideoque ad fertilitatem & opulentiam vario meatu & exportatione mercium opportuni. Vrbs ipſa inſulari ſpecie, poſt famigeratam illam anni 1421 inundationem, cernitur, olim continenti annexa. Verſiculi iſti vulgo circumferuntur:

Me Moſa, me Vahalis, cum Merva, Lingaque cingunt:
Æternam Batavæ Virginis ecce fidem.

Portus commodiſſimi ſunt. E fluminibus circumfluis incredibilis piſcium captura & copia eſt. Ferunt anno 1620, à 15 Aprilis, uſque ad ultimum Februarij anni proxime conſecuti, 8921 ſalmones, & 81 ſturiones, præter alios quorum infinitus numerus erat, publice Dordrechti divenditos fuiſſe. Ædes publicæ, qua ſacræ, qua profanæ, ampliſſimæ ſunt. Templum primarium elegans, & arcuato opere admodum excultum. Ædes privatæ ad 3084 numero hodie habentur. Cælum ſatis molle. Solum circumjectum fertiliſſimum eſt. Non poſſum clariſſimi Scriverij noſtri Elegiam, quâ Dordrechtum & nos nuperrime cohoneſtavit, hoc tam opportuno loco, præterire. Ita igitur ſe habet:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

P. SCRIVERII

DORDRECHTA.

ACcedat, Dordrechta, tuæ, generoſa, coronæ,
    Lemniſcus, ſi non vana Thalia, meus.
Non Antonini labor es; quis credere poſſet?
    Dorthſtadum credo te tamen eße vetus.
[a] Illud ab hoſtili Normannâ claſſe petitum:
    Vaſtatos credo te doluiſſe lares.
Cum flevere ſuum Moſæ loca proxima caſum,
    Cum flevit cineres diruta [b] Vlieta ſuos:
Cum grave compulſi Friſones numerare tributum;
    Aſper in Antverpos cum quoque Danus erat.
Et ſimul in Valachris atrocia prælia campis
    Vidimus, Eggardum [c] pro patriaque mori.
An Neſcis? [d] Veterum meminere volumina Dortæ:
    Reinerus Dortæ ſe quoque cinxit aquis.
Providus & media munivit caſtra palude,
    Sic ut Rex fruſtra Suentelebolchus erat.
Quidquid id eſt, certe Duretus, fabula vulgi,
    Sordet, & [e] Hornano diſplicuiße velim.

[a] Anno 835, ex fide Annalium Francicorum P. Pithœi. Sigebertus biennio ſerius. Ægidius Roya conjecturæ huic favens, diſerte *Dordracum*, ubi alij *Doreſtadum*, ſcribit.

[b] *Vilta* corrupte in Annalibus, & tranſpoſitis litteris *Vlieta* malim, pro *Geervlieta*.

[c] Ejus loci Comitē, fide eorumdem ſcriptorum; & cujus in annalibus noſtris, ſed obſcura & exilis, fit mentio.

[d] Regino ad annum 898.

[e] Had. Iunio.

Adde

Adde quod à [f] Tuſiis tibi nata vocabula priſcis
Suſpicer, à Thuriis, ô [g] Thuredrechta, tuis.
Quid? quod non veriti Bleyburgus Douſaque major
Carminibus Thuridas concelebrare ſuis.
Atque aliquis forſan volet heic ſediſſe Turingos,
[h] Egberti regio cum ditionis erat.
Hæc vetera: & ſpiſſâ circumdata nocte fatemur:
Non indigna meis attamen illa modis.
Nunc tibi ſi cupias mage nota propinquaque dici,
Accipe: cum Stapulæ jure, Moneta tua eſt.
Cum legit Hollandus communia vota Senatus,
Et lædi adverſis publica cura cavet:
A te poſt Equites ſuffragia prima petuntur,
Conſiliiſque favet cætera turba tuis.
Tu Batavas inter princeps Dordrechta ſorores,
In campum gladij jure ſuperba venis.
Pontificum haud armis, hand conceſſura Brabanto,
Corda geris [i] ſaxis aſperiora tuis:
Quæ tibi Eburonum mittuntur cæſa cavernis,
Nec fruſtra Tungros mittere ferra, doces.
Quot numeras civeis, numeras tot fulmina belli,
Omnia ſunt Thracio pectora ſacra Deo.
Et cum Rhenanum mittat Germania Bacchum,
Extinguis vino vividiore ſitim.

f Quorum Plinius meminit li. 4. ca. 15. teſte MS. Vulgo eſt *Sturiorum*, ita ut *Turiorum* fuiſſe videatur.

g *Thuredrecht* perſcriptum in Diplomate Henrici IIII Imp, anno 1064 & ſic fere in aliis membranis antiquis.

h Egberti Saxonis, Marchionis Thuringiæ circa annum 1086.

i Alluſio ad Leodienſes, aliaſque exoticas merces, & virtutem domeſticam.

Miſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Miſcetur Vahali, miſcetur Merveda Moſæ:
Cum cingaris aquis, non bibit ullus aquam.
Terraque, quæ portis vi quondam diſſita Ponti eſt,
Succedit muris, Virgo beata, tuis.
Quidquid edax hauſit pelagus, Thetys ipſa reponit,
Et dudum amiſſos unda reducit agros.
Tempore libatum tibi quis modo reddet honorem?
*Cum jam Gouthov*I *preßerit ora ſopor;*
Et collecta ſibi cum differat Eickius acta:
Fallimur, an vindex Zuerius acer erit?

PAGI CIRCA DORDRECHTVM,
qui præ cæteris nomen habent.

WERCKENDAM pagus à fluviolo præterlabente ita dictus, Burchgraviatu inſignis. Arcem ſeu Burgum habet antiquiſſimum, Burchgraviorum ſedem, nuperrime ab Henrico Eckio, ejus loci dynaſta, inſtauratam.

BEYERLANDIA ita dicta à Lamoralio ab Egmont, cui cum anno 1557 primùm tractus hic cum mero in eum mixtoque imperio addictus fuiſſet, ab uxoris nomine, quę Sabina Bavara vocabatur, Bavarolandiam appellari voluit. Atque iſta quidem *vetus Beyerlandia* eſt: Altera, quæ poſtmodum accrevit, & anno 1581 ab eadem Sabina exaggerata eſt, *nova* vulgo appellatur.

CRIMPENDER-WAERDA, & in ea pagus re ac nomine antiquiſſimus OVDERKERCK vulgo dictus. Antiquitatem ejus oſtendit diploma ipſi à Florentio Pingui indultum, quod ob vetuſtatem ſuam in hoc noſtro antiquitatum Hollandicarum penu reponi meretur.

Nos Florentius Comes Hollandiæ, Notum facimus omnibus præſentes litteras inſpecturis, quod ex conſilio prudentium hominum terræ noſtræ, & ad inſtantiam dilecti fidelis noſtri, Domini Henrici de Lecka, Militis, Hominibus ſive incolis in officio de Ouderkerck manentibus, hujuſmodi juris contulimus libertatem, quæ videlicet talis exiſtit, quod dicti homines, ſive incolæ, in dicto officio nunc manentes, vel manſuri, nullas taleas, tributa, ſive exactiones nobis conferent, vel noſtro nomine alicui, niſi

forte

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

forte ſi ad curiam Imperatoris contingeret citari nos, vel illuc ultro accedere, nobis decem libras ſolvere tenebuntur. Præterea cum gladio militiæ accincti fuerimus, vel uxorem duxerimus,, decem libras Hollandiæ dabunt. Inſuper cum frater noster, aut filius accingi decreverunt gladio militari, aut ſoror noſtra, aut filia, aut filius matrimonium contraxerint conjugale, unicuique eorum ſex libras Hollandiæ miniſtrabunt. Et dicti homines, ſive incolæ dicti officij, debent ad inſtar aliorum noſtrorum hominum ad noſtras expeditiones & ad prælia hoſtialiter proficiſci tenebuntur. Præterea ſi cæteri ſubditi noſtri, in aliis manentes officiis, pecora ad mactandum nobis dederint, à nuntiis noſtris requiſiti, prædicti homines noſtri nobis duas libras, vel duo pecora miniſtrabunt. Præfati vero homines, dicto jure potiti, omnes aggeres, ad nos ſpectantes, vel qui nobis ſupervenire ex formaturis in poſterum poterunt, quoquo modo reficient, & integrum, ubi divulſi fuerint, ſolidabunt. Et occaſione hujus, omniū, quæ nobis ſupervenire poterunt, ac dicto officio, hæreditariam recipient portionem. Præterea ſi alicui homini, extra dominium Domini de Lecka, manantium, (lego *manẽti*) *aliqua bona in officio de Ouderkerck hæreditario jure contingat ſuccedere, nullam inde percipiat portionem, niſi onus recipiat cum profectu, in opere aggerandi. Si vero dicto modo hæreditatem ſuam adire ſpreverit, dicta hæreditas Parochianis & incolis dicti officij debet ſuccedere, modo debito aggeranda, & nullus agger extra Dominium Domini de Lecka poteſt ſupervenire caſu aliquo hominibus ante dictis, & dictus Dominus de Lecka, qui pro tempore fuerit, præmunitiones aggerum, quæ* ſchouvve *dicuntur, caute & utiliter procurabit. Si vero aliquis prædictorum hominum de Ouderkerck aggerem ſuum non aggeraverit, ut vel à Sculteto Domini de Lecka convictus fuerit aut confeſſus, tribus ſolidis emendabit. Inſuper homines prædicti in dicto officio commorantes, tam nobiles, quam ignobiles, deſuper veniente eis hæreditate, æqualem percipient portionem. Vt autem prædicta omnia perpetuo rata ſint, ea impreſſione ſigilli noſtri ſecimus communiri. Datum in Haga, quinto decimo menſis Iunij, anno Domini milleſimo nonageſimo ſeptimo.*

Illud de diplomate hoc aſſeverare auſim, nullum antiquius, certe pauca, quæ cum hujus vetuſtate contendant, in Hollandia reperiri. Ioannem autem illum, cujus mentio hic exſtat, Leckanæ familiæ primum auctorem fuiſſe opinamur, fratrem Diderici Brederodiorum domini, oſcitanter à Valerio Gouthovio in Leckanorum genealogia prætermiſſum.

ALBLAS, & ALBLASSERWAERT. Hunc putant eſſe locum *Tabali* dictum in celebratiſſimis iſtis tabulis Peu-

tingerianis, in quibus ſub infima Bataviæ videmus collocari.

Dortsmonda à Dorta fluvio olim, ut videtur, ampliſſimo, ita dicta. Ejus videri poſſit meminiſſe Regino, Abbas Prumienſis, ad annum natæ Redemtionis 898.

Niemantsvrienth. In hoc pago telonium olim graviſſimum conſtitutum fuit. Mentio ejus eſt in litteris Aleidis Hannoniæ, Tutricis Hollandiæ, quibus immunitates nonnullas Rensburgenſi Monaſterio indulſit, in hæc verba:

Volentes inſuper eiſdem gratiam facere ſpecialem, ipſis concedimus & donamus, ut ante Theloneum de Niemantſvrient *cum vino, frumento, & aliis rebus quibuſcunque, ad ipſum Monaſterium pertinentibus, ſine omni exactione libere tranſeant & quiete.*

Ita autem dictum videtur, quod præternavigantibus, à quibus tam grave vectigal exigebatur, parum gratum eſſet.

ARCES CIRCA DORDRECHTUM,

quæ præcipui nominis.

Mereweda, arx olim ampliſſima fuit. Fuit dixi, anni 1421 inundatione tantum non disjecta. Tam prope Dordrechto aſſita erat, ut pomarium ejus mænia Urbis contingeret. Nonnulla turris rudera miſerum ſui ſpectaculum hodie præbent. A Merovæo, Francorum rege, & conditam & ita dictam fuiſſe, illi aſſerunt, qui omnia in majus extollunt. Familiam Merewedanam vetuſtiſſimam eſſe non negamus.

Liesvelt, arcium omnium Hollandicarum præſtantiſſima habetur, ab Erico Brunſvicenſium Duce delapſa eſt hodie in poteſtatem fratris Philippi Comitis de Hohenloo.

Herlaer etiam fuit.

Cappella itidem ruinam minitabatur, ſed nuperrime eleganti ſtructura denuo inſtaurata eſt.

Rye fuit.

Ysselmonda exſtructa ad annum 1483 à Florentio Oem, Equite. Nunc ad nobiliſsimam Merodiorum familiam pervenit.

Langherack ad Leckam ſita, Boetſelariorum eſt. Felix hic & copioſa ſalmonum captura eſt.

Geyssenburgh arx itidem non infimæ vetuſtatis, particula eſt dominij Brederodiorum.

Besoyen cognominis & veteris familiæ ſedes etiam fuit.

Puttestiin juxta Heyne-oort olim poſita, nunc plane disjecta eſt.

Wov-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

WOVDA inter Riederkerck & Slickerveer olim ſita, nunc plane deperijt.

ALMSTEIN itidem perijt.

VALKESTEIN inter Roon & Poortegael à Puttenæ Domino exſtructa. Ab hac Valckeſteinij denominantur.

ROON, cui vetuſtas haud leviter nocuerat, longe elegantiore facie loci dynaſta refici curavit.

SOVBVRCH Coebeliorum eſt.

DEVELSTEIN Zwindrechti poſita ad Beveros ſpectat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

HARLEMVM.

HArlemum à quo conditum. Lemi fabula exploſa. Iunius notatus. Harlemææ ſtirpis genealogia. Harlemum Colonia Nortmannorum. Lemus beſtiola. quando Harlemenſes civica privilegia adepti. Varia urbis fortuna, caſus, privilegia, immunitates, ædificia publica, ſacra & profana, eorumque origines. Ars Typographica à quo, quando, & quo modo inventa. Viri illuſtres. Vrbis dignitas, ſitus, & forma. Pagi & arces circa Harlemum celebriores.

HARLEMVM, opidum & dignitate & claritate proximum, jam conſequitur: quod à nobiliſſimo Principe, quem *Lemum* vocant, Dibbaldi Friſiorum Regis filio, circa annum Chriſti 300 conditum, atque *Heerlem*, nunc *Harlem*, quaſi dicas *Domini Lemi* Vrbem aut ſedem, fuiſſe nuncupatum, vulgata opinio eſt eorum; qui civitatum nomina ad conditores ejuſdem nominis, quos ipſi effingunt atque aliis non minore impudentia obtrudunt, magna ex parte ſolent referre. Anguſtæ nimis animæ, quæ intra arctos adeo fines omne capitale ſuum acumen circumſcribunt. Ita prius *Wilhelmum*, Belgis *Willem*, mox, decurtatis prioribus ſyllabis, *Lemum* nugones iſti nobis ſunt commenti, ut ſpeciem aliquam veri præ ſe ferret, & cum civitatis nomine ad amuſſim quadraret. Verum non attendebant belli mortales illud ſuum *Iem* neſcio quid tritum ſonare, & tanto principe, quantum ipſi perhibent, non ſatis dignum. Solebant olim ſervis nomina ſua præcidi; ut compendio appellationis admoniti, compendiarium herilem eſſe ſermonem, adeſſent promtius, neque longam ſeriem verborum exſpectarent. Servulus ille Epicuri apud Athenæum vere μονοσύλλαβος fuit, & breviſſima abjectiſſimaque vocula Μῦς nuncupatus. Et hodieque in Belgarum idiotiſmo idem locum adhuc habet. Abjectorum enim hominum nomina decurtatis ſyllabis pronuntiari ſolent, ut *Cop* pro *Jacop*, *Bram* pro *Abraham*, aliaque id genus plura. Certe Lemus noſter ſi reviviſceret, indignaretur haud dubiè, prioreſque ſyllabas ſuas à peculatoribus iſtis, una cum Luciani Simone, repoſceret. Is hæreditate inſperato auctus, cum opibus etiam creſcere nomen ſuum voluit. Itaque ſalutatus à vicino *Simon*, tulit indigne, edixitque per ſervos, non *Simonem* ſe amplius, ſed *Simonidem* appellari. Magnis viris magna & ſeſquipedalia nomina conveniunt. Quod ſi cogitaſſent, non tam facile nobis *Lemum* ſuum dediſſent, hujus fabellæ architecti. Hallucinatur autem in exſibilando hoc commento Iunius noſter, dum contendit perſonæ nomen ipſi ſtru-

ſturæ & fabricæ non debere imponi. Primus enim ille & Vrbis & imperij conditor Romulus, urbem à ſe non Romulopolim, ut Nero poſtea Neropolim, ſed Romulam, vel potius Romam, quod Mavortium magis ſonat, appellauit. Ita Coloniæ Agrippinæ, celeberrimo Vbiorum opido, nomen inditum ex vocabulo Agrippinæ Auguſtæ; ut diſerte teſtatur Hiſtoriæ Romanæ, atque civilis omnis prudentiæ certiſſimus author Cornelius Tacitus lib. Annal. XII. Hodie circa Lilloam caſtellum eſt, quod à Principe noſtro *Frederici Henrici* nomen habet. Naves etiam bellicæ majores *Guilhelmi, Mauritij* & aliorum vocabulis indigetantur. Quæ quantula ſint, reticenda tamen non putavi. Vt nec iſta, quæ Ioannes Gerbrandi Leidenſis, de Lemi hujus origine perſcripſit, cum coætanei ejus poetaſtri elegia, qua Vrbem hanc cohoneſtavit. Verba Gerbrandi ita ſe habent:

Igitur Caſtellanus, ſeu Burchgravius Leydenſis proles multas habuit, & inter cæteras prolem unam maſculam, ſive unum filium Lem nomine, qui adeo ſtrenuus erat, quod Wilti in Wiltenborch eum in regem elegerunt. Hic autem genuit filium Dibbaldum nomine, qui poſtea factus eſt Rex Friſiæ inclytus: uxor quoque ejus gigantiſſa erat & generavit ex ea plures filios. Habuit etiam ex ea Rex quemdam filium Lem, qui ſucceſſu temporis miles effectus, Harlem fundavit, nomen quoque proprium eidem imponens Harlemſtadt nominavit, crevitque opidum illud poſt multorum annorum curricula, atque credo ſolenne factum eſſe, ut etiam ſupra fatus poëta honoratis laudum titulis ipſum extulerit dicens.

Harlem lux patriæ Metropolis inclyta noſtræ,
O caput Hollandiæ gloria flos & ave.
Tractus lux noſtri, tu jucundiſſima terris
Maxima divitiis, ſplendida es atque opibus.
Relligioſorum numeroſa caterva virorum
Eſt tibi de ſanctis ordinibuſque bonis:
Nocte dieque tuos qui curant ducere alumnos
Exemplo ad ſuperos eloquioque polos.
Non in Theutonia comperta parochia tota
Eſt Harlem major, quod mihi crede, fuit.
Eſt ubi quippe forum quod arena [a] datur ſpecioſa.
Quo vidi paucis pulchrius in patriis.
Quin [b] te conſilij miræ domus & ſpeciei
De quo jam dixi [c] fune locata fori.
Stemmata nobilium ſunt & tam multa virorum,
Quæ clarent opibus, rebus, & ingeniis.
Exercere tui Mavortia bella periti
Sunt cives hoſti [d] credere non ſoliti.
Sunt tibi proceræ mortales nempe ſtaturæ,
Ornati pannis veſtibus atque bonis
Maturæ, [e] pulchræ tibi ſunt pariterque puellæ
Cultu habituque graves & gradiendo leves
Suntque domus pulchræ, ſtratæ quoque ſatis amænæ
Nil tibi deeſt claris, quod tuor eſſe, locis.
Corpora paſcuntur quibus & mortalia, rerum
Copia cunctarum dicitur eſſe tibi.

[a] Scribi velim *vocatur.*
[b] Malim *tibi.*
[c] Emendo *fine.*
[d] Lego *cedere.*
[e] Scriver. legit *Matronæ.*

Præſer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Præſertim ſortes piſcis fluvij & maris omnes
Venales æquo ſunt tibi pro pretio
Panni lanarum fiunt in teque bonarum,
Unde tibi lucrum non venit exiguum.
Quin & cerviſiæ varium braxas genus aptè;
Quæ ſolet ad multas utribus ire plagas.
Sylva propinqua tuis exſtat pulcherrima muris,
Pulchrior eſt paucis quam mihi viſa locis.
Delicias generis in ea cujuſque videbis:
Littore non longe diſtat ab æquoreo.
Sectarique feras illis datur ampla facultas,
Cervos & lepores curſu agitare leves.

Atque ita quidem hactenus ille, qui quamvis quot verba & verſus, tot fere ſoloeciſmos nobis fundat, tamen ſtatum Vrbis & faciem, ut ſuo quidem tempore ſe habuit, & civium ſtudia nude atque aperte exponit. Et perſuadeant ſibi velim eruditæ ac delicatæ aures in hoc ſtercore etiam gemmas latere, quæ illuſtriſſimam facem nobis præferunt in iſtis indagandis, quibus illa ætate civitates floruerunt. Quod nunc ſemel dixiſſe atque monuiſſe ſufficiet. Nihili etiam eſt, quod tradit Iunius, Harlemæam ſtirpem è regio Friſiorum ſtemmate oriundam tam opido, quam arci à ſe exſtructis primum nomen, circiter annum à ſalutifero partu quingenteſimum & ſextum, indidiſſe. Nam præter id, quod in controverſia ſit, unde Harlemæa ſtirps, cujus frequentiſſime meminerunt Annales, fuerit nuncupata, de tempore quod aſſerit, nec ratione, nec alicujus fide digni ſcriptoris auctoritate confirmat: & qua via nobis perſuadere poſſit vir diſertiſſimus, equidē nullus video. Harlemæam ſtirpem longe antiquiſſimam & honoratiſſimam fuiſſe nullus ambigo. In Principum litteris, quas plurimas vidi, poſt Brederodios & Waſſenarios, primo fere loco ſunt Harlemæi; quorum genealogiam, qualis quidem in tanto noſtratis hiſtoriæ deliquio haberi potuit, hic ſubjungam.

Wemboldus ab Haerlem,
Wilhelmus ab Haerlem,
Folbertus ab Haerlem, } memorantur anno MCXXIV.

Everwaccherus ab Haerlem,
Wilhelmus ab Haerlem,
Everhardus ab Haerlem, } memorantur anno MCLXI.

Balduinus ab Haerlem, Eques, fortiter pugnans juxta Scagam à Weſtfriſiis cæſus anno MCLXVIII.

Iſbrandus ab Haerlem, & frater ejus

Gerardus ab Haerlem, anno MCLXIV.

Simon ab Haerlem, Eques
Ioannes ab Haerlem,
Iſbrandus ab Haerlem, Eques } memorantur anno MCCIII.

Walterus ab Haerlem,
Iſbrandus ab Haerlem,
Bartholomæus ab Haerlem, } memorantur anno MCCXXX.

Nicolaus ab Haerlem, dictus Perſijn, Eques, anno MCCLV.

Gerar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Gerardus ab Haerlem à Weſtfriſijs juxta Veronam cæſus anno MCCLXXI.

Didericus ab Haerlem, Eques, filius Symonis, anno MCCLXXVIII. Poſtmodum arcis Mudanæ præfectus anno MCCXCVI. à Flandris cæſus anno MCCCIV.

Wilhelmus ab Haerlem, frater Symonis, anno MCCXCI.

Symon ab Haerlem, Eques, anno MCCXCV.

Didericus ab Haerlem, frater Wilhelmi, anno MCCCV.

Florentius ab Haerlem, Walteri filius, anno MCCCXXVI.

Simon ab Haerlem, Henrici à Diepenheim filius, feudo domus de Bloot cohoneſtatur anno MCCCXXIX.

Hugo ab Haerlem, Abbas Egmondanus, anno MCCCXLV.

Petrus ab Haerlem, Eques, } memorantur anno MCCC-
Henricus ab Haerlem, } LXXV.

N. ab Haerlem nubſit Gerardo ab Aſſendelf, anno MCCCC.

Harlemum igitur appellatum fuiſſe vel ab Herulorum (populi ſunt Germaniæ, quos ex Scandinavia progreſſos tradit Iornandes) coloniis, quaſi *Heruleim*, vel ab *Eer* & *Lemmer* quaſi *Eerlem*, quod gladij inſigne virtute & gloria partum ſit, acumen eſt Cl. Petri Scriverij Harlemenſis. Mihi ſic videtur. Harlemum cum aliis aliquot Hollandiæ civitatibus, uti ſuo loco docebimus, Coloniam eſſe Nortmannorum. Nam & ibi civitatem *Ierlem* nomine invenire eſt, ut cuivis tabulas harum Regionum inſpicienti ſatis patet. *Ierlemij* autem iſti ita dicti videntur à beſtiola, quæ ibi frequens eſt, & quam accolæ *Lemum* vulgo appellant. Quadrupes eſt, ſoricis magnitudine, pelle varia. Hæc locuſtarum more omnia virentia depaſcit, ſtato tempore moritur, tanto cum fætore, ut aër infeſtus varios accolis morbos creet, vertiginem imprimis & icterum, ut narrat Petrus Bertius in ſua Sueciæ Norwegiæque Topographia. Facile jam colligere eſt, quando Harlemum conditum ſit, & in nomen ac coloniam Danorum tranſierit. Nemper circa annum octingenteſimum à nato Chriſto, cum Nortmanni vicinæque gentes colonias ſuas in has regiones noſtras tranſmiſere. In catalogo bonorum Eccleſiæ Trajectinæ ſub Odilbaldo ad annum 800 Haralemi mentio eſt. *Haerlem*, *Herlem*, *Hęrelem*, *Haralem* fere ſcribitur in membranis antiquis, quibus non inſiſtam. Pergo ad tempora propiora.

Anno DCCCCLXXII Harlemum cum Alckmaria & monaſterio Egmondano dicitur fuiſſe incenſum.

Anno MXCI Florentius cognomento Pinguis aulam & ſedem ſuam Harlemi fixit, defunctamque ibi Hadewigim, ex Petronella, Lotharij Imperatoris ſorore, filiam, in majore Vrbis eccleſia terræ mandavit.

Anno MCXC Harlemo expugnata admirabili & nova belli arte Damiata in partem gloriæ atque virtutis dicitur veniſſe. Hoc certe in confeſſo eſt: Harlemenſes, qui una cum legionibus Chriſtianorum, ſub aſpiciis Frederici Barbaroſſæ Imperatoris Romani, in terram ſanctam ad ſubigendum Peluſium tranſmiſerant, catenas illas ferreas, quæ circum aquas ductæ invictam arcem fecerant, navibus, quæ ſingulari induſtria ſerris ferreis acutiſsimis ſubtus erant adſtructæ, vento admodum impellente, feliciter perrupiſſe atque penetraſſe. De hiſtoriæ ipſius veritate nullus ambigo. De tempore autem merito addubitem. Damiatam eo anno aut tempore captā nulli auctores fide digni tradunt, Acconem, ſive

ſive Ptolemaidem vero plurimi anno MCXCI, die Barnabæ ſacro. *Acca autem*, ut eſt in Geographia Nubienſi, quæ Relaxatio animi curioſi inſcribitur, *urbs eſt magna, terminis ampla, frequens pagis, habetque portum optimum ac fidum, civeſque convenas.* Hunc noſtratium Chronologorum inſignem errorem vidit Reinerus Snoyus, qui, ubi ad hæc tempora pervenit, ſic ſcribit: *Annales noſtri expugnatam Damiatam ferunt, ego non Damiatam, ſed aliam quamdam urbem maritimam* (nempe Acconem) *ob temporum rationem intelligi maluerim.* Capta autem Damiata eſt anno MCCXIX, ut fide digniſſimi ſcriptores longe plurimi tradunt; & ex iis cum cura obſervat clariſſimus Scriverius in Animadverſionibus ad Veterem Bataviam. In annum tamen MCCXXII rejicit Conradus à Liechtenau, Abbas Vrſpergenſis; qui *in his conflictibus & operibus Colonienſes & Friſones, & aliis de inferioribus partibus ſe ſtrenuiſſimos & laudabiles exhibuiſſe* diſertim teſtatur. Matthæi autem Pariſienſis verba ad anni MCCXVII menſem Majum hæc ſunt: *Circa dies iſtos facta eſt motio maxima ex Colonienſium & Friſonum provinciis virorum & bellatorum, qui à principio prædicationis crucis poſt generale concilium trecentas naves magno ſtudio ingreſſi ſunt, ut vota ſuæ peregrinationis exſolverent crucifixo.* & paullo poſt: *Claſſe diviſa pars apud Cajetam & Tornetum hyemavit, & pars altera, duos habens Capitaneos, Wilhelmum ſcilicet Hollandiæ Ducem, & Comitem de Wies Georgium, Alchariam obſedit.* Concilium illud, cujus meminit, eſt Oecumenicum duodecimum, & Lateranenſe II circa annum Domini 1215 celebratum, omnium, quæ unquam fuerunt in univerſa Europa, celeberrimum. Nam præter Romanum Pontificem Innocentiũ III, in univerſum patres 1285 fuerunt, vel 1300, ut placet Antonino, Archiepiſcopo Florentino, qui mille & trecentos Epiſcopos huic Synodo interfuiſſe ait. Græci item & Romani Imperij legati, Regumque Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Hieroſolumæ, & Cypri oratores interfuere. Hic de bello ſacro ſuſcipiendo communibus omnium ſuffragiis decretum fuit, docente Inſcriptione, quæ Romæ in Bibliotheca Vaticana talis legitur:

INNOCENTIO III. PONT.

FREDERICO II IMP.

BELLVM SACRVM DE

HIEROSOLYMA RECVPERANDA

DECERNITVR.

CRVCE SIGNATI

INSTITVVNTVR.

Gervaſius tamen Ricoboldus Ferrarienſis Damiatam expugnatam refert in annum 1299. *Eodem anno*, inquit, *Ludovicus Rex Francorum cum cruce ſignatis* (*Cruyſvaerders* noſtrates ſcriptores appellant) *trans mare ducto exercitu Damiatam Vrbem in deditionem accepit, quam anno ſequente ipſe captus pro redemtione ſui & ceterorum Sarracenis reſtituit, & domum reverſus eſt fœdere adjuratus.* Id factum ex decreto primi Concilij Lugdunenſis, & generalis XIII. quod anno 1245, præſide Innocentio IIII, celebratum fuit. In quo etiam de recuperanda terra ſancta ſancitum fuit; Ludovico Francorum Rege Duce creato. Facit huc inſcriptio iſta:

INNOCENTIO IIII PONT. MAX.

IMP. FREDERICVS II.

HOSTIS ECCLESIÆ IMPERIO

PRIVATVR.

DE

TERRÆ SANCTÆ RECVPERATIONE

CONSTITVITVR.

HIEROSOLYMITANÆ EXPEDITIONIS

DVX

LVDOVICVS FRANCORVM REX

DESIGNATVR.

Catenæ autem flumini impoſitæ, nulli exterorum ſcriptorum, quos quidem videre mihi licuit, meminerunt, ſi anonymum auctorem Auguſtenſis Chronici excipias, qui catenam quinquaginta & quinque pedum longam fuiſſe commemorat. *Hujus memoriæ ſempiternæ inſtitutum etiam reor* (verba ſunt Iunij) *moremque per manus in hunc uſque diem* (de tempore ſuo loquitur) *traditum obſervat Harlemæa pubes, ut Calend. Januariis, (quæ an hujuſce ſtratagematis teſtis fuerit clamme eſt) naviculas ſerratis proris inſtructas imagineſque, Victoriæ argumenta, bacillis ſuffixas, in publicis ſupplicationibus circumferat.* Diem, quo obtenta Victoria eſt, ignorare ſe, candide fatetur Iunius. Nonas Novembris dicunt Annales. Calendis Ianuariis crediderim reverſos; atque hanc cauſſam eſſe cur feſtas illas exinde habuerint. Naviculas autem & imagines has *Trauwen* vulgo appellabant. Vox Arabica eſt, & flumen nobiliſſimum, Euphratem, quem tranſmiſerant, deſignat. De Harlemæa autem pube idem, quod Iunius, commemorat Reinerus Snoyus in hæc verba: *Herlemij Kalendis Ianuariis ſingulis annis hanc circa Damiatam victoriam referunt, pueris palmam, ſeu quid ſimile, manu geſtantibus. Seu quod eo die victoriam ſint adepti, ſeu quod tum reduces atque incolumes Santvoorde applicuerint.* Nihil autem notius eſt, quam palma vel Orientem, quia ibi frequens eſt, vel victoriam, quia ejus frondibus ornari triumphatores ſolebant, deſignari. Imperator autem & Patriarcha Hieroſolymitanus, in ſempiternam rei geſtæ memoriam, nova virtutis & glorię inſignia Harlemenſibus dicuntur conceſſiſſe, gladium nempe, & crucem cum ſtellis quatuor, adjecta hac inſcriptione, VICIT VIM VIRTVS. De his Harlemenſium inſigniis exſtant verſiculi iſti Symonis Sovij Harlemenſis.

Quatuor excellis Harlemum nobile ſtellis,
Et cruce ſignaris, erectoque enſe notaris,
Sanguinea in parma, VICIT VIM VIRTVS,
& arma,
Cum rate ſerrata patuerunt oſtia lata
Nili, ſeptenis fuerant quæ clauſa catenis.
Invia virtuti nulla eſt via: ſuntque ſaluti
Fortibus, haud fraudi, ſed victa pericula laudi.

Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Quod autem nonnulli ſtellis quatuor totiens Orientem vel viſitatum vel ſubactum deſignari velint, certum non eſt: niſi idem de Edamenſibus & Enchuſanis dicamus, in quorum clypeis ſtellæ totidem videntur. Adſervantur autem adhuc Harlemi bina cymbala ex præſtantiſſimo & lectiſſimo ære Corinthio confecta, quæ leviter percuſſa ſuaviſſimum tinnitum longe lateque diffundunt, partæ tam illuſtris Victoriæ certiſſima monumenta. De quibus non inconcinni poëtæ Sconæi verſiculos adſcribam:

Hic depicta vides clari monumenta trophæi,
Prolata in lucem, atque annalibus eruta priſcis:
Ut conſtet cunctis invicto robore virtus
Quid valeat munita. Vides en candide lector
Armatam miris ſerrato dente carinam
Instructamque modis: cui nec nodoſa reſiſtunt
Vincula, nec ſolidæ dura adſtrigmenta catenæ.
Invia virtuti nulla eſt via: quodlibet illa
Intrepidè perrumpit iter, ſecura pericli,
Contemnenſque graves aditus, ſubienſque moleſtos,
Horibileſque aliis infractâ mole labores.
Quos Harlemenſis pubes ſibi vindicat auſus,
Æternum meditata decus, facinuſque perenne,
Dum Peluſiacas claße eſt invecta per undas.
Ut nobis veterum teſtantur ſcripta virorum,
Egregioque docent inſignia parta triumpho.

Anno MCCXLV Wilhelmus ejus nominis ſecundus Hollandiæ Comes, & Romanorum Imperator Auguſtus, jura, immunitates, & privilegia municipalia nono Kalend. Decembris Harlemenſibus indulſit. Cauſſa ejus rei hæc adducitur, quod Wilhelmus Harlemi natus, atque ibidem à prima infantia educatus fuerit, atque locum venationi & aucupio, quibus impenſę delectabatur, admodum opportunum invenerit. Verum enim vero Wilhelmum hunc non Harlemi, ſed Leidæ natum eſſe dubitari neutiquam debet. Et potiora, hac quidem parte, Leydenſium eſſe argumenta, pluribus in ejus urbe deſcriptione dicemus. Wilhelmus tamen Harlemenſis eadem ratione dici poſſit, qua Balduinus Pius, Flandriæ Comes, Inſulenſis appellatur, non quod Inſulis natus ſit, ſed quod plurima in ipſas contulerit decora.

Anno natæ ſalutis MCCXLX Fratres ordinis B. Mariæ Virginis, Carmelitæ etiam à Carmelo Ægypti monte, è quo progreſſi ſunt, dicti, per Europam, ac præcipuè Belgicam, ſe diffudere. Harlemi ipſis Cœnobium aſſignavit atque bonis plurimis dotavit Simon ab Haerlem: qui poſtmodum, anno nimirum milleſimo, ducenteſimo, octuageſimo, in eodem monaſterio ante ſummum altare in tumba dicitur ſepultus. Eodem tempore etiam Lutetiam Pariſiorum, Coloniam Vbiorum, Bruxellam atque alias Franciæ Germaniæque urbes ijdem Fratres inſedere. De prima eorum origine, ordine, & inſtitutione notabilia, neque ab hoc loco aliena ſunt verba Alberti Leandri Bononienſis, ordinis fratrum Prædicatorum, lib. 3. de viris illuſtribus ordinis Dominici, in vita Guilielmi Antacantacavenſis Antiſtitis: *Fuerunt*, inquit, *in Hieroſolimitanis partibus, ſeu in Paleſtina, & præcipuè in monte Carmelo nonnulli viri ſolivagi, ſeu (ut eorum utar vo-*

 cabulo)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

cabulo) Heremitæ, prout fuſius in Cronicis & in compluribus ſanctorum geſtis & actibus videri poteſt. Circa vero annum Domini MCCXXVI, *horum integram vitam moreſque ſanctiſſimos cernens Aymericus Malaſayda Antiochenus Patriarcha, vir inſignis, eorum conſuetudine plurimum delectatus, ſpiritualibus eos fovere cœpit auxiliis, ſed cum nullum in ſcriptis vivendi modum haberent, unum, quo vivere deberent, conſcripſit; deinde alium ab alio ſegregans, cryptam, ſeu tugurium per Carmeli montem cuilibet proprium tribuit. Poſtremo repoſuit omnes ſub cujuſdam viri probi cura, & profeſſionis nodo ad illum modum ſervandum colligavit, curavitque legem per ſe latam à ſancta ſede Apoſtolica approbari. Sicque hujuſmodi viros divagantes per Carmeli montem in unum collegit. Poſt multos vero annos ad Innocentium* IIII. *Pont. Max. Lugdunum venientes (pro eo, quod canon dictus nimis gravis videbatur, nec in urbibus vel vicis habitare licebat) obtinuere, quod committeretur totum eorum negotium Hugoni Cardinali & Guilhelmo antiſtiti Antacanenſi, ordinis Prædicatorum, ceu viris egregiis & ingenti prudentia præditis, ac diſcretione præcipuis. Ji vero juſſu Pont. ſpecialem canonem ſcripſere, atque illis tradidere, quo ex tunc profitentur & vivunt anno* MCCXLVII. *Hæc ex Cronica noſtri ordinis.*

Anno MCCLXXXVII Florentius quintus, Guilhelmi Imperatoris filius, fratribus ordinis Prędicatorum, fundum & ædem, adjecto annuo cenſu ampliſſimo, Harlemi adſignavit.

Circa annum MCCXCX Ioannes primus, Florentij quinti filius, honorum & imperii pertæſus, tradito Comitatu Ioanni ſecundo, Harlemi reliquum vitæ in otio & quiete tranſegit uſque in annum MCCC, quo ibidem defunctus eſt.

Circa annum MCCLXVIII tumultuantes Kenemarij, Duce Giſberto Amſtelio, Harlemum acriter oppugnabant. Præfectus urbi tunc erat Iohannes Perſinus, Eques, vir bellandi vetus, qui cum aliquot civium cohortibus ſtrenuè extra urbem progreſſus, plurima Kenemariorum vehicula, quibus commeatus, aliaque vitæ vel bello neceſſaria deferebantur, intercepit. Pagos etiam nonnullos, injecto igne, abſumſit. Inter quæ Kenemarij, conſpecta flamma, relicta oppugnatione, trepido agmine confeſtim abiere. quos quam celerrime Harlemenſes à tergo inſecuti, magnam eorum partem cæcidere, &, accepta ingenti præda, ad Vrbem denuo reverſi ſunt.

Anno MCCCXX Wilhelmus quartus, re & cognomento bonus, celeberrima Comitia Harlemi indici juſſit. Ad quę ingens nobilium & procerum concurſus factus eſt. Comites viginti numero, Barones centum, & mille Equites interfuiſſe illis dicuntur. Durabant autem diebus ſeptem.

Anno MCCCX, vigilia Mariæ Magdalenæ, Domini Hoſpitalarij Harlemum ingreſſi ſunt. Adſignatæ ipſis ædes ampliſſimæ Iacobi de Denemarcken, Commendatoris domus S. Catharinæ Trajecti, & Epiſcopi Zudenſis, ac ſuffraganei Trajectenſis. Exſtructæ autem erant à Gerardo de Tetroede, Canonico S. Mariæ Trajectenſi in honorem Virginis Mariæ, & S. Ioannis Babtiſtæ. Fratres autem Templarij, qui in ſuburbio ſedes ſuas fixerant, in urbem ad S. Iohannis ædem cum bonis ſuis omnibus ſe contulere, favente ipſis inprimis Wilhelmo Egmondano.

Anno MCCCXVI idem Iacobus de Denemarcken, Epiſcopus

piſcopus Zudenſis, regiam plane aulam Harlemi magnis ſuis ſumtibus exſtruxit. quam anno proxime ſecuto longe nitidiorem reddidit, adſtructis ipſi ædibus ſacris longe ampliſſimis.

Anno MCCCXXVIII pax inter VVilhelmum Bonum, & Orientales Friſios, poſt grave bellum, Harlemi ſtabilita fuit.

Non longe poſt, anno nempe MCCCXXXIX, bello inter Eduardum Angliæ, & Philippum Valeſium Franciæ Reges exorto, Ludovicus Imperator, evocatis undique auxiliis, atque VVilhelmi, Comitis Hollandiæ, copiis ab Harlemenſibus quoque opem petiit, litteris ad ipſos ſingulatim ſcriptis; quas, quia ad Vrbis Majeſtatem & dignitatem plurimum faciunt, integras hic deſcribam:

LVDOVICVS,

DEI GRATIA, IMPERATOR

SEMPER AVGVSTVS.

Prudentibus Viris, Magiſtris civium, Scabinis & Conſulibus HARLEMENSIS OPIDI gratiam ſuam & omne bonum.

Noſtræ Majeſtatis litteris ſpectabilem Wilhelmum Comitem Hollandiæ requiſivimus ex affectu, ut ad recuperanda imperij jura nobiſcum contra Philippum, qui ſe pro rege Franciæ gerit, cum armatorum decenti potentia jam finaliter ſe diſponat: Unde veſtram fidelitatem, nobis & imperio debitam, ſynceris affectibus nunc requirimus, & hortamur, quatenus cum armatis (ita lege, non *ornatis*, ut excuditur vulgo in Gerbrando) *ita curetis eſſe muniti, quod vos cum dicto Guilhelmo ſub exercitus ſui ſodalitio videre valeamus: ſcientes firmiter, quod veſtram in præmiſſis promotionem præ oculis habere volumus pro termino noſtræ vitæ. Datum Francfordiæ.*

Atque hac in expeditione haud dubie Harlemenſium virtus præ cæteris illuxit. VVilhelmi enim Comitis, ſub quo militabant, auſpiciis Tornacum, Cameracum & plura alia opida, longe munitiſſima, expugnata ſunt.

Quanti autem nominis jam nunc anno MCCCXI. Harlemenſes fuerint, clare ſatis dilucet ex litteris Wilhelmi Hannonij, quas, anno jam dicto, Amſtelodamenſibus indulſit. In his enim, ſi quid controverſi juris apud Amſtelodamenſes fuerit, ut ipſi conſilium ſuper hac re & ſententiam Harlemenſium expoſcant, ſollenniibus his verbis inter alia perſcribitur.

Quacunque de re Scabini Amſtelodamenſes judicabunt, quam ipſi non capiunt, Harlemum, vel alio, ubi conſultiſſimum videbitur, ſe conferent; hac tamen cautione

adhibita, ne ultra ſex hebdomadas ſententia vel judicium differatur. –

Anno MCCCXLVII, die S. Olfeno ſacro, tota pene civitas incendio abſumta eſt. Homines quatuor & decem eadem clade perierunt. Inſtaurato autem jam paullum opido, anno MCCCLI eadem clades, quamvis non ita gravis, inflicta eſt; quæ mediàm civitatem ruina ſua involvit.

Circa annum MCCCC aucta & dilatata Vrbis pomæria trans Sparnam flumen videntur. Ex monumentis enim & litteris antiquis anno MCCCXC. datis, Sparna non intra, ut hodie, ſed juxta urbem fluxiſſe, certo conſtat.

Circa annum MCCCCXX primi nobiliſſimæ artis Typographicæ fundamenta à Laurentio Coſtero Harlemi poni cœpta ſunt. Quod in annum hujus ſæculi vigeſimum, non triceſimum, aut quadrageſimum, ut fit vulgo, artem hanc periclitatã velim, ſuadet Rabbi Ioſephus, qui in Chronico ſuo exemplar omnium vetuſtiſſimum Venetijs excuſum refert, anno Iudaico 5188, Chriſtiano MCCCCXXVIII. Ioſephum ipſum, quæſitum diu, videre non licuit. Chronicon haud dubie illud eſt, quod שלחן ארוך, id eſt, *menſa inſtructa* inſcribitur. Liber eſt ex Arba Turim excerptus, per R. Ioſeph Karro, & in formam theſium & concluſionum redactus. Adjectæ ſunt novellæ, gloſſæ & obſervationes de jure, ritibus & conſuetudine horum temporum, per Moſem Iſerles. Tertium impreſſus Cracoviæ anno Chriſti 1594. indicante in Bibliotheca Rabbinica rerum & ſcriptorum orientalium peritiſſimo Iohanne Buxtorfio. Locum certe hunc velim accuratius deſpiciant, qui habent. Ego ad Laurentium Coſterum noſtrum venio, de quo non habeo, quæ dicam elegantiora, præter verba diſertiſſimi & fide digniſſimi Iunij: quæ omnia adſcribi merentur.

Redeo, *inquit*, ad urbem noſtram, cui primam inventæ artis typographicæ gloriam deberi, & ſummo jure aſſerendam ajo, utpote propriam & nativam: ſed luminibus noſtris ſola officit inveterata illa & quæ encauſti modo inſcripta eſt animis opinio, tam altis innixa radicibus, quas nulli ligones, nulla rutra revellere aut eruere valeant, quâ pertinaciter credunt, & perſuaſiſſimum habent apud Magontiacum claram & vetuſtam Germaniæ urbem primò repertas literarum formulas, quibus excuderentur libri. Vtinam hîc incredibilem illam dicendi vim, quæ in Carneade fuiſſe perhibetur, voto exoptare poſſem, qui nihil defendiſſe unquã, quod non probarit, nihil oppugnaſſe, quod non everterit, dicitur; ut ſaltem refugam illam laudem poſtliminio revocare, & hoc quaſi trophæum erigere poſſem, veri interpolator: quod ego non alio optarim, quàm ut veritas, rectè à Poëta vetere Temporis filia nuncupata, aut (ut ego ſoleo) χρόνου ἔλεγχος, tandem detegatur, quæque juxta Democritum, altiſſimo in puteo demerſa hactenus delituit, in apertum proferatur. Si glorioſum certamen ſuſcipere nõ piguit Ægyptios & Phœnicas de literarum inventione, his Deo duce earum inventum ad ſe trahentibus, quando tabulas θεοχαράκτους, hoc eſt, à Deo exaratas jactant: illis à ſe repertas Græciæ intuliſſe gloriantibus, quando Cadmus Phœnicum claſſe vectus, rudibus Græcorum populis artis illius auctor, eas commonſtravit. Rurſus ſi Athenienſes Cecropi ſuo, Thebani Lino, eandem laudem vindicant. Palamedi Argivo excogitatorum characterum gloriam Tacitus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

tus & Philoſtratus deferunt : ut Hyginius Latinorum Carmentæ Evandri matri. Si itaque controverſam dubiamque gloriam cunctæ gentes ad ſe ceu propriam rapere non erubuerunt, quid vetat quo minus indubitandæ laudis poſſeſſionem, de qua per ſocordiam avitā exturbati ſumus, quaſi poſtliminij jure repetamus? Equidem non invidia, aut malevolentiæ ſtudio tranſverſus agor, ut huic aſſeram, quod alteri derogem ac detraham. Craſſi impudentiam nō imitabor, hinc Scævolæ ſanctimoniam & gravitatem affectando, illinc prehenſationibus favorem hominum eblandiendo: haud is ſum, corruptis arbitriis planum agere non decrevi, veritatem illam unam perſpicuam, quam uti cæleſte Solis jubar, nulla nox, nulla caligo quantumvis alta obtenebrare poteſt, exhibiturus, quantum in me eſt, idque ſimplici ac minimè fucato orationis filo, quod illa amat. Quod ſi optimus ille teſtis eſt, auctore Plutarcho, qui nullo obſtrictus beneficio, neque alterius addictus ſtudio, liberè quod ſentit loquitur & intrepidè, meum teſtimonium merito locum habeat, qui nec mortuū aut hæredes poſteroſve cognatione attingam, neq; gratiam aut beneficium inde exſpectem, qui quicquid hujus feci, id totum ſepultis Manibus pietatis ergo impendi. Dicam igitur quod accepi à ſenibus & auctoritate gravibus, & Reipub. adminiſtratione claris, quique à majoribus ſuis ita accepiſſe graviſſimo teſtimonio confirmarunt, quorum auctoritas jure pondus habere debeat ad faciendam fidem. Habitavit ante annos centum duodetriginta Harlemi in ædibus ſatis ſplendidis (ut documento eſſe poteſt fabrica, quę in hunc uſque diem perſtat integra) foro imminentibus è regione Palatij Regalis, LAVRENTIUS Ioannes, cognomento Æditnus Cuſtoſve, (quod tunc opimum & honorificum munus familia eo nomine clara hæreditario jure poſſidebat) is ipſe qui nunc laudem inventæ artis Typographicæ recidivā juſtis vindiciis ac ſacramentis repetit, ab aliis nefariè poſſeſſam & occupatam, ſummo jure omnium triumphorum laurea majore donandús. Is forte in ſuburbano nemore ſpatiatus (ut ſolent ſumto cibo aut feſtis diebus cives, qui otio abundant) cœpit faginos cortices principio in literarum typos conformare, quibus inverſa ratione ſigillatim chartæ impreſſis verſiculum unum atque alterum animi gratia ducebat, nepotibus generi ſui liberis exemplum futurum. Quod ubi feliciter ſucceſſerat; cœpit animo altiora (ut erat ingenio magno & ſubacto) agitare, primumque omnium atramenti ſcriptorij genus glutinoſius tenaciuſque, quod vulgare lituras trahere experiretur, cum genero ſuo Thoma Petro, qui quaternos liberos reliquit omnes fermè conſulari dignitate functos (quod eo dico ut artem in familia honeſta & ingenua, haud ſervili, natam intelligant omnes) excogitavit, inde etiam pinaces totas figuratas additis characteribus expreſſit. quo in genere vidi ab ipſo excuſa Adverſaria, operarum rudimentum, paginis ſolùm adverſis, haud opiſtographis. is liber erat vernaculo ſermone ab auctore conſcriptus anonymo, titulū præferens, Speculum noſtræ ſalutis. in quibus id obſervatum fuerat inter prima artis incunabula (ut nunquam ulla ſimul & reperta & abſoluta eſt) uti paginæ averſæ glutine commiſſæ cohæreſcerent, ne illæ ipſæ vacuæ deformitatem adferrent. Poſtea faginas formas plumbeis mutavit, has deinceps ſtanneas fecit, quo ſolidior minuſque flexilis eſſet materia, durabiliorque: è quorum typorum reliquiis, quæ ſuperfuerant, conflata œnophora vetuſtiora adhuc hodie vi-

ſuntur

ſuntur in Laurentianis illis, quas dixi, ædibus in forum proſpectantibus, habitatis poſtea à ſuo pronepote Gerardo Thoma, quem honoris cauſſa nomino, cive claro, ante paucos hos annos vita defuncto ſene. Faventibus, ut fit, inuento novo ſtudiis hominum, quum nova merx, nunquam antea viſa, emtores undique exciret, cum uberrimo quæſtu crevit ſimul artis amor, crevit miniſterium, additi familiæ operarum miniſtri, prima mali labes, quos inter Ioannes quidam, ſive is (ut fert ſuſpicio) Fauſtus fuerit ominoſo cognomine, hero ſuo infidus & infauſtus, ſive alius eo nomine, non magnopere laboro, quòd ſilentum umbras inquietare nolim, contagione conſcientiæ quondam dum viverent tactas. Is ad operas excuſorias ſacramento dictus, poſtquam artem jungendorum characterum, fuſilium typorum peritiam, quæque alia eam ad rem ſpectant, percalluiſſe ſibi viſus eſt, captato opportuno tempore, quo non potuit magis idoneum inveniri, ipſa nocte, quæ CHRISTI natalitiis ſolennis eſt, qua cuncti promiſcuè luſtralibus ſacris operari ſolent, choragium omne typorum involat, inſtrumentorum herilium ei artificio comparatorum ſuppellectilem convaſat, deinde cum fure domo ſe proripit, Amſtelodamum principiò adit, inde Coloniam Agrippinã, donec Magontiacum peruentum eſt, ceu ad aſyli aram, ubi quaſi extra telorum jactum (quod dicitur) poſitus tutò degeret, ſuorumque furtorum, aperta officina, fructum uberem meteret. Nimirum ex ea, intra vertentis anni ſpacium, ad annum à nato Chriſto 1442 ijs ipſis typis, quibus Harlemi Laurentius fuerat uſus, prodiſſe in lucem certũ eſt Alexandri Galli doctrinale, quæ Grammatica celeberrimo tunc in uſu erat, cum Petri Hiſpani tractatibus, prima fœtura. Iſta ſunt fermè, quæ à ſenibus annoſis fide dignis, & qui tradita de manu in manum quaſi ardentem tædam in decurſu acceperant, olim intellexi, & alios eadem referentes atteſtanteſque comperi. Memini narraſſe mihi Nicolaum Galium, pueritiæ meæ formatorem, hominem ferrea memoria & longa canitie venerabilem, quod puer non ſemel audierit Cornelium quendam bibliopegum ac ſenio gravem, nec octogenario minorem (qui in eadem officina ſubminiſtrum egerat) tanta animi contentione ac fervore commemorantem rei geſtæ ſeriem, inventi (ut ab hero acceperat) rationem, rudis artis polituram & incrementum, aliaque id genus, ut invito quoque præ rei indignitate lachrymæ erumperent, quoties de plagio inciderat mentio: tum verò ob ereptam furto gloriam ſic ita exardeſcere ſolere ſenem, ut etiam lictoris exemplum eum fuiſſe editurum in plagiarium appareret, ſi vita illi ſuperfuiſſet: tum devovere conſueviſſe diris ultricibus ſacrilegum caput, nocteſque illas damnare atque execrari, quas una cum ſcelere illo, communi in cubili per aliquot menſes exegiſſet. Quæ non diſſonant à verbis Quirini Taleſij Coſ. eadem ferè ex ore librarij ejuſdem ſe olim accepiſſe mihi confeſſi. Iſta dictare me compulit cupiditas & ſtudium defendendæ veritatis, quamvis illa odium ſui plerunque parere ſoleat: in qua tuenda potius, quàm ut deſerere vadimonium velim, ad ſuſcipiendum odium paratior ſim ac promptior.]

Ædes Laurentij in meditullio urbis etiamnum exſtant. Atque in perennem ejus rei & viri memoriam Senatus populuſque Harlemenſis earum frontiſpicio verba iſta inſcripſit.

MEMO-

Memoriæ Sacrvm.

TYPOGRAPHIA

Ars artivm omnivm

CONSERVATRIX

Hic primvm inventa

circa annvm CIↄCCCCXL.

Laudabile Magiſtratus exemplum ſecutus eſt civium nonnemo, qui publicam Laurentio Coſtero ſtatuam cum honorifica hac inſcriptione erexit.

M. S.

VIRO CONSVLARI,
LAVRENTIO COSTERO,
HARLEMENSI:
ALTERI CADMO ET ARTIS TYPOGRAPHICÆ
CIRCA ANNVM DOMINI MCCCCXXX.
INVENTORI PRIMO
BENE DE LITTERIS AC TOTO ORBE MERITO
HANC
Q. L. C. Q.
STATVAM, QVIA ÆREAM NON HABVIT,
PRO MONVMENTO POSVIT
CIVIS GRATISSIMVS.

Sunt tamen in Germania non pauci, & inter eos præſertim Moguntini, qui excogitatæ nobiliſſimæ artis Typographicæ gloriam ſummo opere ſibi conantur adrogare. Sed non difficile eſt hanc tam gravem atque nobilem controverſiam, & quæ clariſſima ęvi noſtri ingenia exercuit, componere: nempe ſi vel id, quod res eſt, concedamus; typos quidem ligneos à Laurentio Harlemenſi primum fuiſſe inventos, typos veo ſtanneos, æreos & plumbeos ad horum exemplar efformatos eſſe à Iohanne Fauſto, cive Moguntino. Teſtatur hoc diſertim Donatus ille Grammaticus ex membranis confectus & impreſſus: ad quem Mariangelus Accurſius, ſollers & eruditus proavorum memoria Criticus, imprimendi artem typis æreis primum à Ioanne Fauſto Moguntino fuiſſe excogitatã, ſed facem ipſi & exemplar prætuliſſe Donatum Hollandiæ impreſſum in tabula inciſa, notavit; ut narrat Angelus Roccha à Camerino, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, & Theologiæ Doctor, cujus ut & Mariangeli verba in adverſariorum gratiam paullo altius repetam, ne in tanta luce veritatis diutius cæcutiant. *Ars Typographica*, inquit Roccha, *in Europa anno ſalutis noſtræ* 1442 *inventa fuit, ut Polydoro placet, à Joanne Guthembergio, natione Theutonico, equeſtri dignitate viro; ſicut ab ejus civibus ſe audiiſſe ait, in opido Germaniæ, quam Moguntiam Latine dicunt, vulgari vero ſermone Maints. Decimo ſexto deinde anno, qui fuit ſalutis humanæ* 1458, *quidam nomine Conradus, eodem Polydoro teſte, homo itidem Germanus, Romam primo in Italiam attulit, quam deinde Nicolaus Jenſon Gallus mirum in modum illuſtravit. Hæc Polydorus. Volatteranus autem duos fratres Alemannos in Italiam advexiſſe artem impreſſoriam, & anno ab orbe redemto* 1465 *Romæ inſtituiſſe, & libros ſancti Patris Auguſtini de civitate Dei, & Lactantij Firmiani inſtitutiones primùm*

impreſſiſſe affirmat. Alij ejuſdem Auguſtini confeſſiones primùm impreſſas fuiſſe ajunt. Sunt qui velint hujus artis inventores fuiſſe Joannem Fauſtum & Juonem Schoefferum anno Dominicę incarnationis 1440. *deinde à Ioanne Guthembergio eam illuſtratam fuiſſe in Germania: anno vero* 1460 *à Conrado, item Germano Romam, à Sixto autem Ruſſinger Argentinate Neapolim advectam, & in Italia ab Aldo ſeniore illuſtriorem fuiſſe redditam, & à Nicolao Jenſone Gallo in Galliam aſportatam. Sed in tot ſcriptorum controverſia apponere libet, quod manu Mariangeli Accurſij exaratum in prima Donati Grammatici pagina inveni. Aldus enim junior, vir quidem eruditus, & in antiquorum monumentis indagandis accuratiſſimus, oſtendit mihi librum Donati ex membranis confectum, & impreſſum, in cujus priori pagina hæc ſcripta leguntur.*

Ioannes Fauſt, Civis Moguntinus, avus maternus Ioannis Schæffer, primus excogitavit inprimēdi artem typis æreis: quos deinde plumbeos invenit multaque ad artem poliendam addidit ejus filius Petrus Schæffer. Impreſſus autem eſt hic Donatus & Confeſſionalia primum omnium anno 1450. Admonitus certe fuit ex Donato HOLLANDIÆ prius impreſſo in tabula inciſa.

Hæc ibi, ubi etiam à latere eadem manu ſcripta leguntur:

Hæc ſcripſit Mariangelus Accurſius.

Hic liber eſt Grammatica Donati: non parum autem, quantum ad ordinem pertinet, ab ea diſtans, qua in Italia uti ſolemus: immo principium eſt adſimile Grammaticæ inſtitutioni Guarini, qui ab eo multa accepiſſe judicatur. Hujus codicis typi & imminutus imprimendi modus rudem illam inventionem præ ſe ferunt. Hactenus Roccham audivimus. Verba Mariangeli paullo accuratius jam excutiamus. Tabulam inciſam appellat, cui litteræ incidebantur. Fuit illud primum & rude, ſed valde ſumtuoſum, Laurentij Coſteri inventum. Litteræ enim iſtæ ita efformatæ extra librum, cui deſtinabantur, uſum alium non habebant. Longe aliter atque fit hodie. Litteræ enim iſtæ fuſiles, quibus nunc utuntur, formis, ut loquuntur, deſtructis, aliis quibuſvis ſcriptis excudendis adhibentur. Tabellis ejuſmodi inciſis Chinenſes in ſcriptis ſuis procudendis utuntur; apud quos longe prius, quam apud Europæos, ars hæc Typographica dicitur fuiſſe exculta. Rude igitur Laurentij inventum primitus fuit, & litteræ non ita probe omnifariam complanatæ leviter, (loquor verbis Apuleij) aut ad unguem coaptatæ, ſed vel inæqualitate aſperę, vel angulis eminulæ, vel rotunditate volubiles, ſine regulæ correctione, & menſuræ parilitate, & perpendiculi ſolertia. Nulla enim ars poteſt eſſe eadem excogitata ſimul & examinata: nec eſſe quidquam omnium, quod habeat & laudem diligentiæ ſimul, & gratiam novitatis. Harlemum itaque Typographiæ matrem, Moguntiam autem nutricem ejus & elimatricem præcipuam, recte appellabimus. Huic enim typi ſtannei vel ærei debentur, quod & librorum frontiſpiciis inſcribi cœptum eſt. Operibus Ioannis Boccacij in folio rudi ſatis littera primum excuſis hoc præfigitur.

GENEA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

GENEALOGIÆ IOANNIS BOCCACII LIBRI SECTATORIBVS OPIDO QVAM NECESSARII NVNQVAM ANTEA CITRA ALPES NOTVLIS STANNEIS DIVULGATI, &c.

Longe igitur faceſſant inanes Moguntinorum & aliorum fabulæ, quibus, præter luculentum Mariangeli Accurſij teſtimonium, alterum non minoris ponderis opponimus, ex Chronico Colonienſi deſumtum: cujus auctor, qui iſtis temporibus floruit, ſic ſcribit:

Deſe Hoichvvyrdige Kunſt *is vonden aller eyrſt in Duytſchlant tzo* Mentz *am* Rijne, *by den jairen ons Heren* MCCCCXL. *Ind van der zijt an bis men ſchreve* L. *wart onderſoicht die* Kunſt *ind wat dair zo behoirt. Ind in den jairen ons Heren do men ſchreyff* MCCCCL. *Do was eyn Gulden jair, do begon men tzo* Drucken *ind was dat eyrſte boich dat men druckde die* Bybel zo Latijn *ind wart gedruckt mit eynre* grover ſchrifft, *as is die ſchrifft dae men nu Myßeboicher mit druckt. Item wiewail die* Kunſt *is vonden tzo* Mentz, *als vurſz. op die wyſe als dan nu gemeynlich gebruycht wirt,* ſo is doch, die eyrſte vurbyldung vonden in Hollant uyſſden Donaten, die dae ſelffſt vurder zijt gedruckt ſijn. *Ind van ind vyſſden is genommen dat begynne der vurß.* Kunſt. *Ind is vill meyſterlicher ind ſubtilicher vonden, dan die ſelve manier was, und ye lenger ye mere kunſtlicher wurden, &c.*

Interpretationem non ſubjungo. Ea enim eſt in verbis Accurſij. Ita hi duo ſcriptores, exteri ambo, alter etiam Germanus, conſpirant, qui ſoli ſufficiunt convellendis tot plauſtris mendaciorum.

Sed vero objiciet mihi aliquis tot & tam varias veterrimorum librorum inſcriptiones, quæ artis Typographicæ inventionem Moguntiæ, nulla Harlemi facta mentione, diſertim adſcribunt. Ad iſtas priuſquam reſpondeam, operæ pretium putavi tres potiores ſubjungere. Ac primo quidem in Breviario Hiſtoriarum Ioannis Trithemij Abbatis ſic legere eſt:

Impreſſum & completum eſt præſens Chronicarum opus anno Domini M. D. XV in vigilia Margaretæ Virginis, in nobili famoſaque Vrbe Moguntina, hujus artis impreſſoriæ inventrice prima, per Ioannem Schæffer, nepotem quondam honeſti viri Ioannis Fuſth civis Moguntini, memoratæ artis primarij auctoris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Qui tandem imprimendi artem proprio ingenio excogitare ſpeculariq; cœpit anno Dominicæ nativitatis MCCCCL. indictione XIII. regnante illuſtriſſ. Romanor. Imperatore Friderico III, præſidente ſanctæ Moguntinæ ſedi reverendiſſ. in Chriſto patre D. Theodorico, Pincerna de Erbach, Principe electore. Anno autem MCCCCLII perfecit deduxitque eam (divina favente gratia) in opus imprimendi: opera tamen ac multis neceſſariis adinventionibus Petri Schœffer de Gernsheim miniſtri, ſuique filij adoptivi: cui etiam filiam ſuam Chriſtianam Fuſthin, pro digna laborum multarumque adinventionum remuneratione, nuptui dedit. Retinuerunt autem hi duo jam prænominati Iohannes Fuſth & Petrus Schœffer hanc artem in ſecreto (omnibus miniſtris ac familiaribus eorum, ne illam quoquomodo manifeſtarent, jurejurando adſtrictis) quoad tandem anno Domini MCCCCLXII. per eoſdem familiares in diverſas terrarum Provincias divulgata, haud parvum ſumſit incrementum.

Inſtitutionibus Iuſtiniani Imperatoris in membrana, regia plane forma, excuſis ita ſcriptum invenias.

Præſens Inſtitutionum præclarum opus in alma urbe Moguntina inclytæ nationis Germanicæ, quam Dei clementia tam alti ingenij lumine donoque cæteris terrarum nationibus præferre illuſtrareque dignatus eſt, non atramento communi, non plumali canna, neque ærea, ſed artificioſa quadam adinventione imprimendi ſeu Characteriſandi ſic effigiatum, & ad Euſebiam Dei induſtriè conſummatum per Petrum Schoyffer de Gernsheim, anno Dominicæ incarnationis milleſimo CCCCLXVIII., viceſima quarta die menſis Maij.

Inſcriptio Speculi aurei Fr. Henrici Herp talis eſt.

Fr. Henrici Herp Speculum aureum decem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

cem præceptorum Dei, opus præclarum, in nobili Vrbe Moguncíaca, quam imprimendi arte ingenioſa gratuitoque dono glorioſus Deus plus cæteris terrarum nationibus præferens illuſtrare dignatus eſt, non atramento plumali æreave penna, cannave, ſed adinventione quadam perpulchra, per honorabilem virum Petrum Schoyffer de Gernsheym feliciter eſt conſummatum, anno Dominicæ incarnationis MCCCC LXXIIII. menſis Septembris Idus quarto.

Ad iſta, & iis ſimilia facile eſt reſpondere, ſi id, quod veritas ipſa eſt, concedamus; primam nempe Typographiam non aliud quam imposturam fuiſſe: dum typis excuſos libros, pro manu deſcriptis librarii divendunt, ſolius lucri cauſſa. Manu enim exarata maximo tunc in pretio fuiſſe dubitari non debet. Quam ob rem artem iſtam tam facile tot voluminum millia procudendi celare voluerunt, ut idem iis, quod manu deſcriptis, pretium conſtaret. Quam ob cauſſam etiam litteras & contractiones omnes, quæ ſcribentibus in uſu ſunt, adhibebant. Membranis etiam utebantur, ut per omnia manu deſcriptis ſimilia viderentur. Donatū Hollandiæ in membranis excuſum narrat Mariangelus Accurſius. Ac ne quo modo fucus iſte innoteſceret, operas & familiares omnes ſollenni juramento adſtringebant, nulli ſe tantæ artis arcana propalaturos. Laurentium autem Coſterum ijſdem etiam artibus uſum fuiſſe libet ſuſpicari. Atque ita dum aliis excuſa pro manu deſcriptis obtruſit, magnam ſibi & gloriæ ſuæ injuriam fecit. Donec infauſtus ille famulus, qui inſtrumentis omnibus hero ſuo ablatis, Moguntiam conceſſerat, magnæ artis arcana univerſo orbi patefecit. Vnde factum eſt, ut Typographiam primo omnium Moguntiæ excogitatam & excultam fuiſſe ab impoſturæ ignaris creditum tunc fuerit. Sed de his alibi erit dicendi locus. Plura in hanc rem qui volet, adeat eruditiſſimi Scriverij librum inſignem, quem de Arte Typographica inventa conſcripſit. In hoc patriæ ſuæ gloriã tam ſtrenuè vendicavit, ut nemo, qui veritatem amat, jam amplius audeat contra hiſcere. Quamquam ipſi nuper obſtrepere auſus ſit Gallus, Gabriel Naudæus, non niſi inanibus, & quæ ſe ipſa ſubvertunt, commentis ſubnixus. Exere, clariſſime Scriveri, illam ingenij tui vim, & inſaniam ejus, qui patriæ tuæ gloriæ tam petulanter eludit, jam ſemel contunde. Poſſe enim te ſcio. Fac ergo tandem ſuſpenſus orbis agnoſcat non niſi Harlemo tuo hanc artem inventam referri debere acceptam. Nos interea Lauream hanc Laurentio Coſtero ſuſpendimus.

AD MOGVNTIAM.

Vana quid Harlemiis indicis prælia prælis?
Iſta parant jugulo vimque necemque tuo.
Siſte precor. Batavûm felicia præla typoſque,
Nî taceas, acreis experiere magis.

PARODIA

Ex Nuptialibus Feſcenninis Claudiani in laudem
LAURENTII COSTERI Harlemenſis.

SEnex coruſco ſydere pulchrior,
Et litteratas *tendere* formulas
Typoſque ligno incidere *certior,*
Quæ digna mentis laus erit arduæ?
Quæ digna formæ laus erit igneæ?
Te Leda mallet, quam dare Caſtorem,
Præfert Achilli te proprio Thetys,
Victum fatetur Delos Apollinem:
Tunc cum per altas impiger ilices
Conatus es exſcindere literas.
Beata, quæ te jam genuit virum,
Primiſque ſeſe junxit amoribus.

AGe cuncta Laureato
Redimita vere tellus
Celebra typos heriles:
Omne nemus cum fluviis,
Omne canat profundum.
Friſij *favete campi,*
Batavi *favete montes,*
Subitiſque ſe roſetis
Veſtiat Hemſtæus *apex,*
Et rubeant pruinæ.
Batavus *ſtrepat choreis,*
Calamiſque flexuoſis
Lene Sparna *jam ſuſurret,*
Berckrodus *electriferis*
Admoduletur alnis
Decorent vireta Kinnam.
Mare *contumeſcat auro,*
Batavique procreator
Sub vitreis Oceanus
Luxurietur undis.
Orienſque Battavorum
Simul Occidenſque plaudat,
Patriæ lætentur urbes
Quæque novo, quæque nitent
Deficiente Phœbo.
Serrarij libelli,
Streperi tacete Galli:
Taceat ſonorus auctor
Solus ovantem Batavus
Emeditatus artem.
Hæc vox æthereis inſonet axibus
Hæc vox per populos, per mare tranſeat.
Harlemus *Typicam prodidit* artifex.

QVEM

QVEM

FLOS. VRBIVM

HARLEMVM

PATRITIA. FAMILIA. EDIDIT

LAVRENTIO COSTERO

QVI. INCREDIBILI. ET. PROPE. INHVMANA
INGENII. FELICITATE

MOGVNTINIS. NEQVIDQVAM. NEGANTIBVS

ET

GALLIS. FRVSTRA. OBSTREPENTIBVS

ARTEM. TYPOGRAPHICAM

PRIMVS. INVENIT

MONVMENTVM

HOC

L. M. P. Q.

TYPIS

POSVIMVS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Anno MCCCCXXVI Iacoba Bavara excitis undique, ac præſertim Gouda, Schoonhovia & Oudewatera copiis, Harlemum obſidione cinxit. Inter quæ Philippus Burgundus è Picardia, Flandria & circumjectis regionibus validiſſimum exercitum collegit; & caſtra, Lichtenveldio ſupremo militiæ præfecto creato, juxta Leidam poſuit, jam hoſtiles copias oppugnaturus. Præmiſerat fæminam, quæ lepræ contagione infectam ſe ſimulans, in Vrbem penetraret, obſeſſiſque, ut poſtridie adverſum hoſtes egrederentur, indicaret. Sed fraude ab excubatoribus animadverſa, capta eſt, & conſilium omne Philippi Iacobæ patefecit. Quæ, relicta ſtatim urbe, Goudam, unde venerat, denuo ſe convertit. Sed cataracta, quæ circa Alphenum pagum eſt, à Philippi copiis præcluſa & inſeſſa, gravis utrinque pugna, ſed Philippo adverſa, editur. Picardorum quingenti cæſi ſunt. Otto etiam Rhenolandiæ præfectus, cum octoginta primariis Leydenſium civibus, eo in prælio occubuit. Factum id pridie Kalendas Maij, cum tertio Non. Aprilis Harlemum eſſet circumſeſſum. Iacoba rebus tam feliciter geſtis haud mediocriter elata, Iohannem Waſſenarium, Henricum Cronenburgium, Everardum Hoochtvvoudanum, Ioannem Langeraccium, Dominum Aſperæ, Didericum Merewedanum, Gerardum Poelgeeſtium, & Arnoldum Ghentium, quorum præcipua virtus illuxerat, in Equeſtrem ordinem ſolenniter coöptavit. Guilhelmus Nagelius Kenemariorum, qui Iacobæ favebant, præfectus Heemskerckianam arcem ſolo æquavit; quod non ita diu Brederodam, Heemſteam, & Aſſendelfum ipſi Harlemenſes excidiſſent.

Anno MCCCCXXXVIII, Simone de Lalein in locum Philippi de Sanctis Hollandiæ præfecto, Hoexiorum & Cabeliaviorum motus Harlemum haud leviter concuſſit. Biduo toto, medio foro, acriter inter ſe decertabant. Donec inferiores Hoexij in ædes Nicolai Adrichomij ſe recepere. Vbi ab Cabeliaviis obſeſſi, poſt multa ultro citroque ad reconciliandos animos acta, urbe expulſi Amſtelodamum petierunt. Sed non longe poſt, Philippo Burgundo in Hollandiam reverſo, ſedatæ paullum turbæ, & expulſi in urbem denuo reverſi ſunt.

Anno MCCCCLXXI hæc compoſitionis formula inter Harlemenſes & Goudanos interceſſit.

Nos Prætor, Conſules, Schabini & Senatores opidi Harlemenſis notum omnibus facimus; Quandoquidem jam à longo retro tempore multæ ac graves cõtroverſiæ inter nos ex una, & cives Goudanos ex altera parte fuerint, partim ob vectigalia, quæ Pontgelde *appellantur, ſolvenda ex hereditariis bonis, quæ Harlemenſibus quidem Goudæ, Goudanis autem Harlemi obtingunt, partim ob taleas & exactiones quæ ex noſtra in Goudanã, aut ex Goudana in noſtram civitatem commigrantibus imponuntur, convenit inter nos, ad removendas diſſenſiones, conſervandamque pacem ac tranquillitatem, ut ſi quando civi alicui Goudano hereditas* Harlemi *obtingat, illum libere ac tuto hereditatem ſuam hic aditurum, omniaque facturum pro lubitu, præfato vectigali, quod* Pontgelt *appella-*

pellatur, non ſoluto, Deinde cives adeo omnes Goudanos, quotquot in hanc urbem noſtram deinceps commigrare volent, facturos id pro libitu, ingreſſuros ac denuo exituros pecunia, quæ Pontgelt *vocatur, aut taleis aliis non ſolutis. Ita tamen ut cives Harlemenſes idem jus eamdemque libertatem itidem obtineant, fruanturque Goudæ. Et cum immotum nobis ſit præfata omnia fixa & certa ſervare, ſigillum noſtrum litteris iſtis appendi juſſimus anno Domini* MCCCCLXXI. XX *Februarij.*

Anno MCCCCLXXII, ope Alberti Bavari, Ædes D. Bavoni ſacra exſtruitur, à Bonifacio IX Papa ſollenniter conſacrata. Foro imminet, eleganti ſtructura, ſi architectos audimus, longe præſtantiſſima.

Anno MCCCCXCII per domeſticas factiones immutata paullum eſt Harlemenſium fortuna. Kenemarij enim, gliſcente paſſim penuria, & annonæ caritate in deſperationem acti, novos & graves motus excitavere. *Kaſenbrotij* à victus tenuitate vulgo dicebantur. Hi Alcmariam in unum convenere, pro libertate, quam in panis & caſei copia ipſi collocabant, ſtrenue depugnaturi. Harlemum primò adorti ſunt: ubi acerrimo Magiſtratus edicto intra urbem recipi vetabantur. Erant tamen, ut fere fieri ſolet, nonnulli rerum novarum avidi, qui, proculcata Magiſtratus auctoritate, effractis portis, furenti huic & inſanæ multitudini aditum præbuere. Ibi civium primarij, ſibi metuentes, in curiam aufugere. Bona interea & ſupellex eorum direpta. Curiam etiam dedere cogebantur, vitæ incolumitatem pacti. Nicolaus Ruvius tamen cum Scabinis duobus cæſus eſt. Effractum ærarium publicum. Archiva civitatis & privilegia vel dirupta, vel projecta. Triduo poſt duces tres à civium optimis, qui paſſim latebant, creabantur: quorum unicuique milites triginta tantum adſcribebantur. Promulgatum etiam edictum, ut direpta civium bona in curiam Kaſenbrotij deferrent, niſi capitalem pænam ſubire vellent. Crux etiam publice ſuffixa, ut furentibus metum incuteret. Ita ſedata paullum hæc turba. Magna tumultuantium pars Leidam oppugnatura abjerat; Harlemenſium præcipuis ſecum in arma compulſis. Sed facile à Leidenſibus repulſi ſunt, omnis bellicæ artis & diſciplinæ ignari. Multi eorum ab equite intercepti. Plures cæſi. Inter hæc Albertus, Saxoniæ Dux, cum copiis ſupervenit. Hic, purgata paſſim ab hac vulgi fæce regione, Harlemum aggreſſus eſt. Cives cum duce paciſcuntur, Albertus mox crucem ſtatuit, pænam de facinoroſis ſumturus. Sed qui præcipuorum ſcelerum conſcij erant, jam aufugerant. Arma civibus ablata ſunt; Privilegia inſuper omnia irrita Albertus fecit, mulctamque XXVII mil. aureorum irrogavit. Cui ſolvendæ aurea argenteaque cimelia cives vendidere. Caſtellum etiam in ſcutariorum hortis, pomariis exciſis, munitiſſimum erexit, ad conſervandam in obſequio civitatem; reliquis Hollandiæ civitatibus Ducem ad id præcipue incitantibus, quæ Harlemo invidere videbâtur. Sed haud ita longe poſt urbs in priſtinum ſplendorem eſt reſtituta. Teſtantur hæc patriæ Annales, & vitrea feneſtra, quæ in majore Vrbis Eccleſia conſpicitur cum vernacula hac inſcriptione:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Als men negentich twee duyſent vierhondert telt,
Den derden Meij oock me, ſijn haeſtich met ghewelt
De poorten van Haerlem oproerich opgeſlagen
Van t'Kaeſenbroots volck ſtout,
Dat uyt Noort-Hollant quam
T'welck Claes van Ruyven Schout
Haeſt met ſijn doot vernam:
Waer af van outs dit glas ons ſeker deed gewagen.

Anno autem MCCCCCLIX Harlemum Epiſcopali ſede & dignitate ornatum eſt à Paulo IV. Pontifice Romano. *S. Bavonis ædem erexit Paullus Papa* IV, *& in Epiſcopatum evexit. Eique aſſignavit Territorium duodecim oppidorum præter pagos interiacentes longitudine nonaginta,* al. *ſexaginta, latitudine triginta millium paſſuum ſimilium.* Verba ſunt Bullæ ſive diplomatis Pauli IV, dati anno Chriſti 1559, quod integrum exſtat apud clariſſimum & amiciſſimum Aubertum Myręum pag. 324 Donationum piarum. Primus Epiſcopus renunciatus eſt Nicolaus à Nova Terra ſeu Nieulant, qui Traję́ctenſis Antiſtitis Vicarius, & deinde 38 Abbas Egmondanus fuerat. Homo liberioris vitæ; qui poſtmodum, Papa adſentiente, Godefrido Mirloo Epiſcopatum ſponte tradidit. Hic Monachus Ordinis Dominici, & Prior Trajectenſis fuerat, facundia admodum inſignis. Sed anno 1578, Vrbe ab Auriacis iterum inſeſſa, ſolum vertere eſt coactus. Vivere deſijt Daventriæ anno 1587. Secundus hic fuit & poſtremus Harlemenſium Epiſcoporum.

Secuta deinde Hiſpanorum obſidio graviſſima, gloriæ laborisne majoris incertum eſt. Proinde operæ pretium duxi cauſſam & originem ejus paullo altius repetere: qua acerbiorē alia Civitas nunquā vidit; tum atrocitate prœliorum, cum nutatione victoriæ, Hiſpanis hinc pro imperio, illinc civibus pro libertate non minore animo concurrentibus. Anno igitur milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Harlemenſes Hiſpanæ tyrannidis pertæſi, inſtigantibus ad id Gerardo Berckenrodio & Ioanne Koltermanno, cum aliis aliquot Hollandiæ civitatibus Auriaci partes amplexi ſunt. Quæ res Albani animum ita commovit, ut ſtatim ac ſine mora Fredericum filium cum immani exercitu in Hollandiam tranſmitteret; quo novos animorum motus, & præcipue Harlemenſes rebelles jam, ut ipſe loquebatur, ad Regis ſui obſequium armis coërceret. Redditæ interea à Maximiliano Boſſuo Gubernatore & Amſtelodamenſ. litteræ, quibus Magiſtratus & cives monebātur: Fredericum cum copiis Amſtelodamum jam ſupervenisſe. Tandem ſaniora conſilia paterentur. Per deputatos ſuos delicti veniā expoſcerent, dum ad Principis clementiæ aditus etiamnū pateret. his lectis varius civitatis motus fuit. Alij obſidionē, aut ſi quid aliud ſors obtuliſſet, ferre decreverunt: perfidiam & ſævitiam Hiſpanorum recenti Nardenſium exemplo edocti. Alij, & quidem Proceres, infirmas vires ſuas cauſſabantur, nec ſuſtinendo huic bello etjam pares. Horum ſententia prævaluit. Miſſi, inconſultis civibus, ad Fredericum deputati, qui verbis ad pœnitentiam compoſitis, nefarium crimen deprecarentur. Non tenuit ad hæc iram Wilhelmus Ripperda; vir antiquus & gravis, ſanctitate morum & dignitate excellens. Qui convocatis

vocatis in unum civibus, quid nonnlli è Magiſtratu machinarentur, & quo in loco res civitatis eſſent facunde diſſeruit; monuitque ne ſe Hiſpano permitterent, ſed conatibus ejus vitam & omnes fortunas ſuas intrepidi opponerent. Ibi aliorum ſtudium, aliorum indignatio exarſit; omnes vero fauſtis promtiſque acclamationibus in verba dicentis ivere. Reverſi mox Amſtelodamo deputati, in vincula traditi & Delphos ad ſupplicium avecti ſunt. Vnus tamen eorum plenius reſponſum Albani patris, de obtinenda venia, Amſtelodami adhuc operiebatur. Proviſum interea ab Harlemenſibus, ne qua militum præſidia deeſſent, & ut è civium primoribus alij Hornę, alij Enchuſæ curarent ut quę bello, quæ Vrbi neceſſaria ſubveherentur. Nec mora. Fredericus cum Boſſuo & omnibus copiis ſupervenit. Ac primò quidem Sparendamum ab Harlemenſibus inſeſſum expugnavit; deinde S. Laſari hoſpitalem domum, quæ in Harlemi ſuburbiis erat, occupavit; mox propius ad Vrbem caſtra movit. Caſtella & opera quantum potuit celeravit. Nec in Vrbe minore belli apparatu omnia ſtrepebant: & quæ tutandis urbibus, propellendiſq; hoſtibus excogitata, parabantur. Inter hæc perductis foſſis & munitionibus ere-ctis, Hiſpani quatuordecim majora tormenta admoverunt, quibus mœnia urbis tanta vi atque impetu concuſſa ſunt, ut breviſſimo ſpatio, clades longe maxima iis fuerit infli-cta. Oppugnatio ſtatim ab ijſdem inſtituta. Sed cum magna & turpi ſuorum clade ab oppidanis repulſi ſunt, tanto irri-tæ ſpei dolore omnes affecti, ut per duorum menſium ſpa-tium, nihil in urbis mœnia fuerint moliti. Fuit cum Vr-bem pene cepiſſent, vigilum diligentiam elapſi, niſi miles animadvertiſſet, qui excitato tumult u ad arma cives evocavit. Hi tanto animo Hiſpanum ſunt adorti, ut cum inſigni ſuorum clade & ignominia retrocedere ſit coactus. Illuxit in hoc prælio etiam fœminarum virtus, & inter eas præcipuè Kennavæ Simonis, virilis animi viduæ, annos natæ quadraginta ſex; quæ cæterarum dux, robore & conſtantia animi in propulſandis hoſtibus, non ſexum ſuum modò, ſed viros etiam vicit. Memoriæ proditum invenio, Fredericum hac ſuorum clade ita fuiſſe perculſum, ut de relinquenda Vrbe ſerio eogitaret: ac reliquiſſet indubie, niſi verbis aſperrimis pater monuiſſet, Reipublicæ ſalutem, & Regis ſimulque ſuam famam ab hoc obſidio totam pendere. Inter hæc civibus etiam crevit animus. Attentæ paſſim excubiæ. Præfecturæ militares in promtiſſimos quoſque diſtributæ. Sæpius erupere, hanc maxime ob cauſſam, ut obverſis hoſtium in pugnam oculis, aliquis ex opido ad Auriacum, aut ab Auriaco ad opidum nuntius cum litteris perlaberetur. Germanorum caſtra quoque aggreſſi, octingentos eorum cæcidere, trecentiſque tentoriis flamma abſumtis, ſigna hoſtium & ingentem prædæ vim conſecuti ſunt. At Auriacus interea claſſe undique contracta, & cum hoſtibus navali prælio congreſſus, amiſſis duodecim navibus, fortunam adverſam invenit. Fruſtra etiam fuit Didericus Sonoyus, qui Dimerico occupato, ut Hiſpanos commeatibus, qui Amſtelodamo ſubvehebantur, prohiberet, non longe poſt ab ipſis Amſtelodamenſibus eſt expulſus. Cæteri conatus etiam eluſi, adeo ut proterve miſeris civibus illudi videretur. Triſtis in hoc rerum ſtatu Vrbis facies fuit: poſtquam primas ſpes fortuna deſtituiſſet. Fames urgere, gladio hoſtium longe potior, ac proin milites tumultuari, officinas civium invadere, cædibus etiam graſſari. Hoſtes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

quoque plurimarum rerum inopia atterebat, & quæ conſequi illam fere ſolet, peſtis. Inter hæc Auriacus Harlemenſes continuo per litteras monebat; bono animo eſſent; nihil eorum, quæ ad liberandam Vrbem facerent, ſe prætermiſſurum. Ad poſtremum igitur Wilhelmus Batenburgius in aciem ingentes copias eduxit. Aderant Delfenſium, Leidenſium, & Roterodamenſium cives plurimi, quos miſeratio vicinæ Vrbis in arma traxerat. Verum conſiliis eorum hoſtibus jam perſpectis, longius progreſſi ad unum omnes cum ipſo Duce circumventi ſunt & oppreſſi. Paucos admodum obſcura nox ſervavit. Tunc, deſperato omni auxilio, neceſſitate compulſi, de tradenda Vrbe cum Hiſpano cives egere: ſed ut armati exirent, impetrare non potuerunt. Quamobrem relinquere Vrbem inter ſe decreverant caſtra hoſtium, qua minus firma erant, perrupturi: niſi Auriaci litteræ ſupervenſſent, quibus hortabatur; reliqua belli obfirmato animo paterentur, brevi auxilia ventura. Sed nihil effectum. Itaque ad priora conſilia revertuntur, relicturi tam uxores quam liberos, quod virorum curſum æquare non poſſent. Sed horum eiulatus hoc ipſum interrupit. Tandem Vrbem Frederico tradunt, 200 40000 florenos ad bona ſua redimenda dare juſſi. Ingreſſus Fredericus ſtatim armis cives deſpoliavit. Hiſpani ædes aliquot & officinas invadunt. In nonnullorũ civium & militum capita etiam ſævitum. Cauſſa illis necis, ſicut pleriſque, Religio erat. Plures optimatium proſcripti: qui optime meriti de Republ. conſervatæ patriæ pretium calamitate exſilij tulere. Atque hic exitus aſperrimæ illius obſidionis fuit: quâ Albani vis adeò eſt contuſa, ut tantum non fuerit oppreſſa. Magno enim illi ad cætera impedimento fuit. Militum ejus duodecim millia fame vel gladio abſumta, numerant Annales. Harlemenſes vero non niſi cum immortali gloria hujus poſſunt recordari. Neque enim illos virtus ſua deſtituit, ſed Fortuna. Tam diligentes & induſtrij adverſus invadentium hoſtium conatus fuere, ut Hiſpani nunquam cuniculos egerint, nec munitiones in vallo erexerint, nec aſtus aut dolos excogitarint, in quibus non fuerint ab illis præventi atque eluſi, neque ſolum in depellendis hoſtibus ſolliciti & promtiſſimi fuere, ſed etiam in adoriendis audaces atque acerrimi.

Anno autem MCCCCCLXXVII, diutina Hiſpanorum inſolentia compulſi, iterum Auriaco ſe permiſere.

Harlemo oriundi ſunt

Hugo ab Haerlem Abbatum Egmondanorum vigeſimus & ſecundus creatur anno 1326. Vir fuit diſciplinæ eccleſiaſticæ convenientiſſimæ. Vivere deſiit anno 1345. 16. Kal. Septembris. Mortuo poſitum eſt honorificum hoc epicedium;

Laurent. Octa. Ieſu ſemel M. ter C. novies V
Eſt populus mæſtus, moritur quia largus, honeſtus,
Hugo Menſonis, *exemplum dapſilitatis,*
Mitis valde bonis, ultor durus ſceleratis,
Nobilibus charus, rerum fuit ordine gnarus,
Hic vitam duxit, quod dormitoria ſtruxit,
Et terras emit, violatos jure redemit,
Flent verecundantes inopes, victumque rogantes,

Tali

Tali privati, qui pronus erat pietati,
Vivendi norma fuit, at que gregi bona forma,
Nam fuit Abba pater, claudatur ei locus ater
Et ſit pro meritis conjunctus in æthere choris.

Iohannes Oloutius celeberrimus Decretorum Doctor, dum in Vrbe urbium vivit in locum Wilhelmi Rollandi, qui eodem tempore Romam venerat, & privatæ quietis appetens ſacro muneri ſe abdicaverat, anno 1351, Antiſtitum Egmondanorum vigeſimus & quintus factus eſt. Sed biennio poſt vita defungitur, omnibus, dum vixit, ob morum ſuavitatem acceptus. Prælectiones & Epiſtolas ad familiares ſcriptas poſteritati reliquiſſe dicitur. Silentio ipſum tranſivit Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica.

Symon Hermannus, ex Carmelitarum ordine vixit, ac *Copulata Sermonum* cum aliis nonnullis ſcripto conſignavit circa annum Chriſtianum 1460. Fugit & iſte diligentiam ejuſdem Valerij.

Andreas Noorth, ex ordine fratrum prædicatorum in Cœnobio Harlemenſi magna cum modeſtiæ & pietatis laude vixit circa annum 1460. Mentionem ejus invenio apud Albertum Leandrum libro quinto de illuſtribus ordinis Dominici viris. Vbi verba legere eſt iſta: *Andreas Noorth in Coenobio Hærlemenſi Hollandiæ vir bonus & devotus vita functus eſt anno Domini* MCCCCLXXVII. *Is ingenti captus ægritudine aſſeruit fratribus ſe in feſto Aſſumtionis B. Mariæ ex vita iſta labili egreſſurum. Interrogantibus fratribus quam libenter vita defungeretur, reſpondit; Fratres, hanc horam ſemper gaudens animoq; læto exoptavi ac præſtolatus ſum, &, ut in ea me recte haberem, mundi præcalcavi illecebras, & hanc ſanctæ converſationis togam indui. Cur igitur equanimiter mortem ferre non debeam? His dictis paullo poſt obdormivit in Domino.*

Nicolaus Hollandinus, ejuſdem ordinis in eodem cœnobio pietatis laude inclaruit, teſte eodem Leandro, qui ſub ſinem libri ſexti hoc ipſi encomium adſcribit: *Nicolaus Hollandinus Cœnobij Hærlemenſis, vir devotus, & cum vacaret meditationi atque lachrymis deditus mira præfulſit obedientia, ut & ſtuperent omnes, atque in exemplum ſibi proponerent. Vita functus eſt vir Dei Nicolaus anno à partu Virginis* MCCCCLXXXXVIII.

Albertus Iohannis Carmelita Theologiam in Lovanienſium Academia docuit. In Magiſtrum Sententiarum & Eccleſiaſticum lecturas, ut tunc loquebantur, cum aliis nonnullis, quæ adhuc latent, conſcripſit. Diem & vitam clauſit Machliniæ anno 1496.

Nicolaus Symonis itidem Carmelita, ordinis ſui provincialis ſcriptis Theologicis, quæ pluria ſunt, ſatis clarus, provectæ jam ætatis Harlemi obijt, ad annum 1511.

Theodorus Harlemius Licentiæ gradum in Theologia emeruit & adeptus eſt Pariſiis, circa annum 1508. Carthuſiæ Colonienſis alumnus. Manu ejus nonnulla exarata leguntur Coloniæ. De his conſule Theodorum Petreium Campenſem in Bibliotheca Carthuſiana, ſive illuſtrium Ord. Carthuſiani Scriptorum Catalogo, ſuperioribus annis Coloniæ edita.

Florentius Harlemius Carthuſiæ Lovanienſis Prior, vir fuit non tralatitiæ eruditionis. Edidit vernaculo idiomate de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Chriſtianæ vitæ inſtitutione libros V. primùm à Tacito Nicolao Zegero, deinde à Laurentio Surio Latinitati transſcriptos. Floruit Carolo V. regnante. Fratres binos habuit Vincentium & Rodolphum, utrumque ordinis Minorum per Belgium Provincialem.

Vincentius de Haerlem inclaruit & ſcripſit circa annum 1514.

Petrus à Montfoort Poëta, carmine ad Cornelium à Bergen, præſulem Leodienſem ſcripto & edito inſignis.

Iohannes Wilhelmi, vir variarum linguarum, & præſertim Sanctæ, callentiſſimus, ejuſdemque Profeſſor Lovanij in Collegio Buſlidiano. Cujus, quod haud prætereundum eſt, in celeberrimis illis bibliis, quæ à Philippo Hiſpaniarum Rege, cujus auſpiciis in publicum prodierunt, Regia vulgo appellantur, adornandis haud contemnenda opera fuit; teſtante B. Aria Montano, præcipuo eorum architecto, qui in altera ad lectorem ſuum præfatione luculentum hoc de Iohanne VVilhelmi Harlemio teſtimonium orbi dedit: *Adhibitus eſt*, inquit, *ad eam rem Johannes Harlemius, S. Theologiæ Licentiatus, in omni linguarum genere exercitatiſſimus, S. Scripturæ & Hebraicæ Linguæ apud Lovanienſes in Societate Jeſu Profeſſor*. Nec gravabitur lector, ſi ejuſdem encomium à Gisberto Schoock, Vniverſitatis Lovanienſis Rectore, perſcriptum ſuperiori axtetam. *Atque ut munus*, inquit, *ſive commiſſum melius & perfectius explerent*, (nempe Arias Montanus, Hunnæus, Cornelius Reineri Goudanus, aliique) *celeriuſque & expeditius abſolverent, honorabilem virum Dominum & Magiſtrum Iohannem Wilhelmi Harlemum, S. Theologiæ Licentiatum ac Societatis Jeſu in dicto opido Lovanienſi S. Scripturæ & Hebraicæ linguæ Profeſſorem publicum, nec non quinque linguarum ad eam Dictionariorum, Grammaticarum, & verſionum examinationem, de qua ſupra diximus, faciendam neceſſariarum peritiſſimum, ſibi ſocium & adjutorem adſumſerunt*.

Obiit autem Lovanij anno 1578.

Nicolaus Florentius, Antiquitatis & litterarum ſcientia præſtantiſſimus, eoque nomine Huberto Goltſio, Iuſto Lipſio, & Adriano Metio, antiquariis ſummis, acceptiſſimus vixit.

Quirinus Taleſius, Magno Eraſmo à manu, & deinde civitati Harlemenſi à conſiliis fuit. Miſerabili morte defunctus eſt anno 1573. ut latius exſequuntur Patriæ Annales.

Joannes Surenus, vir undequaque doctiſſimus plurima ſcripſit, quæ adhuc latent, inter alia Dialogum elegantiſſimum, quo Artem Typographicam, Harlemi primitus, non alibi, inventam fuiſſe pluribus oſtendit. Vita defungitur ſenex anno 1591. Effigies Epigramma hoc ſubſcriptum habet:

Corporis effigiem, expreſſit quam Goltſius ære,
Heemskerckus docta pinxit & ante manu.
Tunc inerat formæ florenti gratia major:
Plurima nunc faciem ruga ſenilis arat.

Cornelius à Bereſtein, libris Hiſpanicis linguæ vernaculæ tranſcriptis famam meruit. Moritur Harlemi anno 1595.

Guilhelmus Copallius S. Theologiæ Licentiatus, ſedis Harlemenſis Vicarius generalis mortuus eſt anno 1599.

Symon Sovius Poëta & Grammaticus non contemnendus,

ſcholæ

ſcholæ patriæ Rector aliquamdiu vixit. Fratrem habuit Bartholomæum Sovium, itidem Scholæ Harlemenſis Rectorem, cui in flore ætatis exſtincto ſucceſſit.

Georgius Benedictus Wertelo Poëta cum paucis comparabilis Epinicia, Epitaphia & Epigrammata varia conſcripſit, partim edita, partim adhuc edenda. Vitam finiit Heidelbergæ anno 1589. Iano Douſæ, Grutero, Lipſio, Poſthio, Paullo Meliſſo, & Scipioni Gentili elegantia ingenii admodum placuit.

Johannes Hugo à Linſchoten ſuſceptis in Indiam Orientalem peregrinationibus celeberrimus. Exteras regiones & res cognoſcendi ſtudio jam à prima pueritia flagravit, ut ipſe initio Itinerarii ſui teſtatur: *Primo juventæ flore*, inquit, *cum domi viverem habebat me ſumma cum voluptate rerum admirandarum ac toto orbe geſtarum jucundiſſima lectio. Ceterum inceſſit tamdem major ac uberior lubido viſendi remotiores terras, ac relinquendi natale ſolum. Ita imaginariæ huic delectationi meæ fieret ſatis. Oppugnabat interim amicorum ac parentum Natura urgente tenerior affectus, quem poſt rupi, inſiſtens divino ad fauſtam ſpem auxilio: Erantque tunc circa Texaliam Hollandiæ inſulam plures naves ad navigationem in Hiſpaniam & Luſitaniam paratę: ita captata occaſione & impetrata à parentibus venia, qui tum Enchuſæ habitabant, navem conſcendi, quæ S. Lucam de Barrameda petebat; fratres mihi duo Sevillæ habitabant, eos inviſere decreveram, parato in iis familiari velut præſidio, ad perluſtranda cætera Regionis & ad Hiſpanici Idiomatis notitiam.* Reverſus in patriam, quidquid duodecim annorum ſpatio memoria ipſi dignum in ipſa terra, quam habitavit, ac reliqua peregrinatione obtulit, in publicum emiſit. Præclarum opus titulum hunc habet.

NAVIGATIO AC ITINERARIVM IOHANNIS HVGONIS LINSCHOTANI IN *Orientalem ſive Luſitanorum Indiam. Deſcriptiones ejuſdem terræ ac tractuum littoralium, præcipuorum portuum, fluminum, capitum, locorumque, Luſitanorum hactenus navigationibus detectorum, ſigna & notæ. Imagines, habitus geſtuſque Indorum ac Luſitanorum per Indiam viventium; templorum, Idolorum, Ædium, arborum, fructuum, herbarum, aromatum, &c. Mores gentium circa ſacrificia, politiam & rem familiarem. Snarratio mercaturæ, quo modo & ubi exerceatur. Memorabilia geſta ſuo tempore iis in partibus.*

In Effigiem & præclarum hoc opus ejus ſic ludebat Petrus Hogerbetius:

Eoum nobis heic dat Linſchotius orbem;
Linſchotum artifici ſculpta tabella manu.
Hetruſcis urbem tectis quæ certet, & uno
Spectare intuitu vis Orientis opes?
Imos Goa, licet noſtro ſemotior orbe;
Una tibi ſenſus expleat atque oculos.
Seu fora, ſeu ſpectes plateas, ſeu templa Deorum,
Obvia majeſtas, par & ubique nitor.

Aſpice

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Aſpice quam prono ſubducat littore puppes,
Quamque iter emenſæ fida rati ſtatio.
Haud alio emporio locupletior Indus Eoi
Ditia quam late dividit arva ſoli.
Goenſi ſe quanta foro viden area pandat
Plana, frequens, tectis ſplendida, dives opum.
Ut mercem hic properet gemmis auroque nitentem,
Ille abducta procul vendere mancipia?
Congeſta huc videas Ganges quæ portat & Indus,
Inſulæ & Eoæ maximæ in Oceano.
Indicus en truncus ramijs ſe pandit opacis,
Grata etiam ut juſtis umbra ſit agminibus.
Ut nova protrudens in apertas exſerat auras
Grandia germinibus ſuſtinet ipſa ſuis.
Ecce tibi ramum nigra quem nox ſuavibus ornat,
Exuit ornatum floribus alma dies.
Ut decus hoc una vigeatque & defluat hora
Continuas obeunt illa dieſque vices.
Traxit & hinc nomen triſti quod ſquallida trunco;
Auricomum rutilo cum nitet orbe jubar.
Haud ſecus & noſtro quæ ſenſu ſplendida ſumos
Eſſe, fidem veri lux rediviva facit.

Exſpirauit Linſcotus Enchuſæ anno 1611.

Johannes Galitus Iuris Conſultus ſcripſit de Teſtamentis & jure Codicillorum, Obijt anno 1621.

Nicolaus vander Hoochius quod eſt *ab alto* ſtrenuam Iuri operam navavit Lovanij, & deinde Doctor in Andegavenſi Gallorum Academia creatus eſt. Poſtmodum in curia Machlinienſi magni nominis cauſſarum patronus, obijt Harlemi anno 1624. *Singularia juris*, ſeu Doctorum dicta memorabilia in publicum edidit, ſingularis ingenii argumentum.

Quamquam autem de his, qui in vivis adhuc ſunt, nihil omnino dicere, decretum mihi ſit, non poſſum tamen hoc loco præterire clariſſimum Petrum Scriverium, Virum ut ad reſtituendas litteras, & omnis ævi antiquitatem, ita ad inſtaurandum patriæ ſuæ decorem natum. Clamant id illa ejus monumenta, quæ in vulgus edita jam ſunt, docebunt illa, quæ, tamquam durus pater adhuc premit, & daturus aliquando eſt, ſi vita hæc paullo diuturnior contingat.

Præſtantiſſimorum Pictorum & Sculptorum copia longe maxima hinc emerſit: quorum Catalogum & opera vide ſis apud Cl. V. Samuelem Ampſingium, Harlemenſem. Nos ad alia properamus.

Harlemum itaque Kenemariæ caput eſt; rebus omnibus, quæ ex agris circumjectis indies huc deferuntur, affluētiſſima. Situs commoditate ad elegantiam omnem & amænitatem compoſita. Sparna, fluvius limpidiſſimus, qui è Rheno originem ſuam trahit, mediam interſecat. Cives induſtrij, telis lineis nunc, ut olim laneis, opes quærunt. Tanta earum præſtantia & candor eſt, ut non ad vicinas regiones modo, ſed & Galliam, Angliam, Italiam, Hiſpaniam, atque adeo Europam univerſam muneris loco ad viros principes tranſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

tranſmittantur. Cerevifia etiam non Hollandiæ modo, ſed & Dwentiæ, Trentiæ & Traniſſulaniæ univerſæ expetitâ olim floruerunt, & jam nunc florent. Officinæ cereviſiariȩ plures ſunt. Plateæ frequentiores: ȩdes plerȩque inſigni altitudine, elegantia, commoditate. Præcipuus iis decor, quæ vel in foro ſunt, vel circa. Nihil uſquam ædificiorum minime inſeſſum. Tanta populi frequentia eſt. Ideoque nullæ hic areæ, vel arctiſſimæ. Publicorum ædificiorum ſacra plus laudis merentur. Cunctis, imo omnibus Hollandiȩ Zelandiæque, auguſtius eſt D. Bavonis templum, quod ab amplitudine ſua *Magni* nomen vulgo habet. Turris Bakeneſia ſine prætio, ipſorum architectorum judicio, eſt prætioſa. Curia etiam eſt non contemnendi operis. Extra urbem nemus videas amæniſſimum, quod Tempe merito dixeris, inſigni civium commodo & voluptate. In hoc prima nobiliſſima artis Typographicæ ab immortalis memoriȩ Viro Laurentio Coſtero, jacta ſunt fundamenta. In hoc Florentius quintus ejus nominis Hollandiæ Comes regiam plane ædem exſtruxit; quàm à ſuaviſſimo avium concentu *Vogelſang* appellavit. Huc ſe conferebat Comes quotiens, poſitis publicis curis, otium & delitias ſectabatur. Adeo ut de Harlemo vere & ſcite olim dictum ſit.

H		Honorandus,
A		Amandus,
R		Recommandandus,
L	*locus*	Laudandus,
E		Exaltandus,
M		Magnificandus.

Quibus adſcribo illud Cornelii Aurelii Bat. lib. I. *Plurima hic*, nempe circa Harlemum, *viſebantur caſtella, villæ, pagique populoſi, domus voluptuariæ, quas à volucrum circumſtrepentium garritu* Avium concentus *vocabant. Hic nemorenſes horti, delitiarumque monticuli, ſaltus innoxij, & omni ferarum genere referti, fertiles agri & paluſtres, omnibus aucupiis & leporum cuniculorumque venationibus aptiſſimi. Hic lacus piſcoſi, & torrentes refrigeratorij, ita ut alterum terreſtrem non deſideres Paradiſum.*

PAGI ET ARCES CIRCA HARLEMVM CELEBRIORES.

BREDERODA arx antiquiſſima, à qua nomen ſuum habet nobiliſſima Brederodiorum familia; nunc temporum injuria pene disjecta.

HARLEA, Harlemeæ ſtirpis ſedes olim fuit. Cujus non niſi miſeræ aliquot reliquiarum reliquiæ hodie exſtant.

BAKENESSA, vitibus olim & ulmis refertiſſima, unde Baccho eam ſacram, atque ab eo nomen habuiſſe ſomniãt Aretalogi noſtrates.

VELSENA arx jam à temporibus Gerardi Velſeni, qui Florentio quinto necem intulit, disjecta.

HEEMSTEDA. Natus hic eſt *Iohannes ab Heemſtede* dictus. Vir pro captu ſæculi ſui non eruditus, Magno illi Eraſmo Roterodamo familiaris vixit. Monaſterium elegantiſſimum, *Hemelſpooort* dictum, anno 1458 ab Hugone ab Aſſendelf exſtructum hic fuit. Heemſtediorum familia antiquiſ-

ſima eſt. Fallitur enim Gouthovius, qui eorum Genealogiam à Gerardo ab Heemſtede, qui floruit anno 1355. orditur. Sanderi enim, Borrei, & Nicolai ab Heemſtede, fratrum, mentio eſt in tabulis anno 1334 datis, quas vidi. Heemſteda Dynaſtam nunc agnoſcit, Adrianum Pauwium, Equitem, & nobilitate & dignitate, qua maxima jam in patria perfungitur, & doctrina, & humanitate illuſtrem.

SPARENWOVDA. Natus hic eſt, ad annum 1300 homo immenſæ magnitudinis *Nicolaus à Kieten* vulgo dictus. de quo plura noſtri Annales. De alijs circa Harlemum arcibus accuratiora qui volet, adeat Samuelem Ampſingium, patriæ ſuæ Encomiaſten clariſſimum.

Sunt & *Aſſenburgum*, *Heemskercka*, *Adrichemum*, *Mereſteinium*, *Foreſtum*, *Clivia*, *Berckenroeda*, *Tetroeda*, illuſtribus ejuſdem nominis familiis inclytæ. De quibus plura idem Ampzingius, & Valerius Gouthovius in appendice ad Chronicon Hollandiæ. Nunc ad extergendum ſordes ſuperioris Poëtaſtri, ſubjicio

PETRI SCRIVERII

HARLEMVM.

Lectori.

Da veniam ſubitis: non diſplicuiſſe meretur,
Feſtinat Patriæ qui placuiſſe ſuæ.

TE PATRIA *accedo, te carmine* DIVA *ſaluto,*
Te LAVRENTIACIS *mitto per aſtra* TYPIS.
Non quòd vitales hîc primùm carpſimus auras,
Et docuit Muſas a PVLCHER *Apollo ſuas.*
Non ob velivoli ſinuoſa volumina Sparni,
Qui bibit hinc undam fluminis, inde maris.
Non ob famoſi veſtigia diruta b *Templi:*
Quin animum nullus corripit Ordo meum;
Ne quidem c IOHANNIS *referens à nomine nomen,*
Tot licet huic dites ſubjiciantur agri.
Non etiam in ſacras fertur meus impetus Ædes:
Vix tanti fuerit nunc pater ipſe Numa.
Non quòd ab antiquo repetas primordia Lemo:
Non quòd Nobilium ſit tibi larga ſeges.
Immò nec ob Comites, quorum cunabula jactas,
Tranſactoſque olim tot ſine nube dies.
Non ob prælustrem Gulielmi Cæſaris aulam,
Maxima quà lato curia juncta foro.

a Verum legitimumque epitheton Apollinis, & ſimul alluſio ad præceptoris mei Cornelij SCHONÆI, clariſſimi Comici, nomen gentilitium. *b* Exciſi & hîc olim Templarij, extra portam Houtenam poſiti.

c Domini D. Iohannis Bapt. Rhodian.

Non

Non & ob hoc ipſum : fruſtra obverſatis d Arenæ.
Non vicus, non nunc ulla platea placet.
Non ut dinumerem bis quattuor ordine portas,
Aut relegam tenero mœnia trita pede.
Non me cocta Ceres grato raptura ſapore ;
Cantharus ad ſtomachum non facit iſte meum.
Non caro, non piſcis petitur, jubeoque Macellum
Res ſibi habere ſuas, res ſibi habere forum ;
Textrinumque ſuas : nunc linea tela faceſſat,
Illa peregrinis tela petita procis.
Non venio celſis ſubnixus crura cothurnis,
Doctus & Andinâ prælia flare tubâ,
Ut tot bella canam (feſtino ignoſce poëtæ)
Quæ ſunt militiæ, quæ tibi geſta domi.
Nulla Peluſiaci me tangit cura triumphi,
Ut feriant aures e Cymbala parta meas.
Denique non Clypeus gladio ſtelliſque ſuperbus ;
Quæſtio nec vatem de Cruce mota juvat.

d 'tSandt. e Campanæ ex re DAMIATICÆ nuncupatæ in editiore turre hodieque etiam perſonant.

Iſta tuæ poſſent etiam memorare ſorores,
Inventos poſſit nulla docere typos.
Sola hæc Harlemio debetur adorea civi,
LAVRENTI meritas cingere docta comas,
Vindiciis aſſerta meis. Procul ite maligni,
Ite, Moguntinis dedita turba tuis ;
Non niſi qui pleno ſpirant inſomnia folle,
Et Gutenbergos Fuſtiadaſque crepant.
I, Naudæe, procul, tua per mendacia creſcens :
Non locus hîc nugis, credule Galle, tuis.
Harlemenſe Nemus doceat, doceantque Napææ,
Et f Fagutali numina ſacra Jovi,
g HIC fago eXſCVLptas LaVrentI CVſpIde forMas,
Et primùm natos hîc ſimul eſſe typos.
DI, precor, hîc jubeant pro quercu creſcere lauros,
Ne deſint civi laurea ſerta meo.

P. S. LAVRVS *Laurentio Coſtero*, &c. Editus liber verna Harlemi typis Hadriani Romani anno 1628.
Gabriel Naudæus, Pariſienſis, Moguntiæ deberi Artis inventionem impudentiſſime nuper pluribus probare anniſus eſt. Fruſtra. Alibi à nobis refutandus, & ferulâ puer objurgandus.
f Vide Feſtum in V. FAGVTAL, & Varronem de L. Latina lib. IV. g Anno Salutis MCCCCXXVIII.

EIVSDEM

In effigiem ſummi & incomparabilis viri

Laurentii Coſteri, Harlemenſis, primi Artis Typographicæ inventoris.

VANA QVID ARCHETYPOS ET PRÆLA, MOGVNTIA, IACTAS?
HARLEMI ARCHETYPOS PRÆLAQVE NATA SCIAS.
EXTVLIT HIC, MONSTRANTE DEO, LAVRENTIVS ARTEM.
DISSIMVLARE VIRVM HVNC, DISSIMVLARE DEVM EST.

EXCERPTA NONNVLLA

Artem Typographicam ſpectantia.

Georgius Alexandrinus Epiſt. dedicat. ad Bernardum Iuſtinianum Equitem & Senatorem, præfixa Catoni de Re ruſtica edit. Regij, anno 1482.

Quod ſi nobis concederetur; quorum ſæculo ars *hæc* imprimendorum librorum *excogitata, atq; in ſummum culmen evecta eſt, forſan maxima Latinarum litterarũ jactura plurima ex parte reparavi poſſet. Sed cum res difficillima ſine cura diſcriminis & ſine judicio fiat, vix auſim dicere, obfuerit magis, an profuerit Latinis litteris* novum *iſtud* artificium : *niſi copia librorum ingenia multorum acuet, ſolertiamque excitabit, qui collatis libris deprehenſiſque erroribus, meram quandoque veritatem aſſequentur.*

Idem Epiſtol. dedic. quæ præfigitur Varroni.

Ex qua impudenti temeritate intolerabilique arrogantia lectiones tam variæ & diſſidentes, tum perverſæ atque confuſæ nobilium auctorum habentur; & his *potiſſimum* diebus, *quibus in publicum commodum* exprimendarum litterarum ratio † barbaro invento, barbaraque *meditatione excuſſa fuit: ut ſæpe ſtomachatus fuerim; cum libros conferente egregias & proprias dictiones jam ſublatas viderem.*

† Artem Typographicam *barbarum inventum* appellat, quod extra Italiam in venta ſit. Italis enim reliquæ omnes nationes barbaræ ſunt; ut nemo neſcit.

Hieronymus Tornielus præfatione ad *Summam Angelicum* F. Angeli de Clavaſio edit. Aloſti Comitatus Flandriæ per Theodoricum Martini anno 1490:

Quid deſit non video, niſi forſitan ex tranſſcriptorum tarditate paucis

innoteſcat. Sed & hæc divina abſtulit bonitas, dum nobis artem miro inventam ſtudio impreſſorum in lucem produxit.

Libello, cui titulus; *Tractatus corporis Chriſti*, impreſſo Pariſiis anno 1484, per Georgium Mittelhus, verſiculi iſti ſubjunguntur, ex quibus colligo circa iſta demum tempora, artem typographicam apud Gallos in uſu fuiſſe.

Excudendorum ars nunc eſt invecta librorum,
Magna ſalutiſero debetur gloria Chriſto,
Quod jam non ceſſet merces condigna laboris.

Pirrhius Pinchius Mantuanus epiſt. dedic. ad ſplendidiſſimum equitem Franciſcum Capellum, quæ pręfigitur Ioanni Tortellio de orthographia edit. Venetijs anno 1501.

COELESTIS, *ut ita loquar* FVIT INGENII, QVI PERVTILEM IMPRIMENDI ARTEM EXCOGITAVIT. *Verum quæ cum illo innata erat, cum eo pariter omnino defecit diligentia. Nam prava adeo invaluit conſuetudo: ut ob impreſſorum licentiam & imperitiam mendoſi codices & depravati omnes repeeriantur.*

Notandum autem eſt Editionem illam Horatij, quæ cum commentariis variorum prodiit Venetiis, in anno ſignato admodum falſam eſſe. Excuſa enim dicitur ann. 1405. Nihil tam certum quã pro o ſubſtituendum eſſe 9, ut ſit annus Chriſti 1495. Quo ipſo etiam Epiſtola dedicatoria inſcripta eſt Pomponio Læto.

Cardanus lib. XVI.

Ars Typographica nulli nec utilitate, nec ſubtilitate, nec dignitate ſecunda.


CHRONOSTICHON

Anni MCCCCXX, circa quem artem Typographicam primum excogitatam fuiſſe, vero nobis ſit ſimile.

ARS TYPOGRAPHICA
A
LAVRENTIO COSTERO
CIVE HARLEMENSI
INVENTA
EST.

LaurentI laudes, LaurentI excudimus arte:
Sic Typus auctori profuit ipſe ſuo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

DELFVM.

Delfum à quo & quando conſtructum. Godefridus Gibboſus. Foſſa Corbulonis. Delff, illuſtris & antiqua familia. Vrbis nonnulla privilegia. Conincx-uythof, Conincx-velt. *Flandri expulſi. Ædes exſtructa. Civium inſolentia. Vrbis obſidium & excidium ſub Alberto Bavaro. Delfenſium contra Flandros Victoria.* Delfshaven. *Vrbis incendium. David Georgij. Viri litterati. Vrbis forma. Arauſionenſium Principum illuſtre Mauſolæum. Pagi & arces circumjectæ, & quæ in iis lectu vel viſu digna.*

DELFVM inter Hollandiæ urbes non ſecundę, ut vult Author, qui orbi dedit pictas ſcriptaſque civitates orbis terrarũ, ſed tertię dignitatis. Opidum prælustre atque validum: quod à Godefrido Gibboſo circa annum Domini cIↄ LXXV conditum, unanimi conſenſu produnt noſtri Annales. Hic eſt ille Godefridus, qui Wilhelmi Trajectenſium Antiſtitis opibus niſus, Roberto Friſio Theoderici, qui Florentij I. filius erat, tutore per vim expulſo, Hollandiam omnem atque imperium omne invaſit. Mox ad perdomandam cum exercitu profectus Weſtfriſiam, omnes ejus civitates, unà expeditione, aut vi ſubegit, aut deditione accepit. Idem vix annis quinque rerum potitus inſidiis Roberti, inexpiabile in eum exercentis odium, Antverpiæ, dum naturæ ſuæ ſatisfacit, per poſteriora gladio (vulgo *glavio*) transfixus, occiditur. Neque enim potentia malis artibus quæſita, cuiquam eſt diuturna. Quo autem anno Vrbs condita ſit, parum adfirmatur. Chronagraphus quidem popularis exſtructam tradit ante expeditionem in Weſtfriſios ſuſceptam, anno nimirum MLXXI, quo Hollandiam primum invaſit. Alij vero poſt bellum hoc feliciter geſtum, ipſo nimirum anno MLXXV, quo dicitur interemtus. Vero ſimilior prima ſententia nobis videtur. Conſtat enim Godefridum non aliam ob cauſſam Delfum condidiſſe, quam ut in omnes belli caſus, hic defenſionis ſuę præſidia haberet. quod haud dubie ſtatim factum eſt, cum Robertus eſſet exturbatus, rebus adhuc nutantibus & infirmis. Prima enim cura eorũ, qui aliena imperia invadunt, eſſe ſolet, ut opera quędã habeant munitiſſima, quibus adverſus vim & incurſiones hoſtiũ ſe tueãtur. Quamobrem etiam arcem opere atque loco munitiſſimã adſtruxit: in qua ìpſe domicilium ſuum fixit. Rem omnem verbis iſtis exſequitur Ioannes Leidenſis, Anonymi Poëtæ, coætanei ſui, Elegia adjecta. *Godefridus;* inquit, *Dux Lotharingiæ, volens jam perpetuis temporibus cum ſua progenie totam Hollandiam poſſidere, conſtruxit opidum Delff cum caſtro, dans munici-*

pali

palia jura & municipalia privilegia. Iſtud autem opidum poſt multos annos ſatis honorifice excrevit. Quare & egregium epigramma quidam Poëta poſtmodum de eo reddidit forma ſequenti:

Salve antiqua [a] polis, Delff terra veterrima ſalve,
O ſalve noſtræ gloria quarta plagæ.
Quas reliquis laudes dedimus Delff urbibus, omnes
Illas pæne tibi cenſeo poſſe dari.
Namque decore, bonis [b] affaris divitiiſque
Non mihi finitimis vilior eſſe locis.
[c] Tu mihi hoc terris præſtare videre propinquis,
Et longe arbitrio dignior eſse meo:
Quod duo templa tibi mirandæ ſint ſpeciei,
Quæ retines aliis pulchra mage Eccleſiis.
Tantum templorum formam non miror eorum,
Plurima viſa illis ſunt mihi pulchra magis,
Quantum depoſitis in eis ornatibus aris,
Quas fixas dictis conſtat in Eccleſiis.
Aras ornatas illis magis, atque decoras,
Conſpexi nulla (ſcit Deus ipſe) plaga.
Nec tibi clauſtrales deſunt & ſpirituales
Perſonæ, normis ordinibuſque bonis.

a Id eſt, urbs. b Sententia exigit ut ſcribatur *appares*. c Propter verſum malim, *Hoc mihi tu terris*, Vel, *Tum mihi in hoc t.*

Monſtrant exemplo tibi [d] ſermone quoque ſacro,
Qui potes æterni regna tenere Dei.
Sunt utriuſque tibi ſexus præſtantis alumni,
Formæ habitu comes, eloquioque graves.
Devotique Deo, fidi mortalibus [e] ævo
Humani, vacui fraude doloque, pij.
Quin in te inſignis [f] braxatur Keuta ſaporis;
Et multos pannos efficis egregios.
Delff, precor à cunctis ſalva Deus alme periclis,
Protege & uſque iſtum virgo Maria locum.

d Lege: *qui ſermoneque ſacro.* e Scribe *atque.* f Id eſt, coquitur. Vocabularium vetus, quod anno 1495 Daventriæ apud Richardum Pafraet editum penes me eſt: *Braxare*, Brouwen, *Braxator.* Brouwer, *Braxium* Worte of Molt, *Braſiatorium*, een Molthuys.

Delfum autem Brabantorum coloniam eſſe tradit Anonymus, qui ante annos centum floruit, & à præſtantiſſimo viro Ioanne Iſacio Pontano cum Amſtelodamenſium Hiſtoria nuper editus eſt. Verba ejus, quibus urbē hanc dilaudat, omnia adſcribam: *Tertium locum*, inquit, *obtinet Delft, prædictis opulentia haud inferius, à Godefrido Gibboſo olim Brabantiæ Duce, qui Hollandiam invaſerat & occupaverat, conditum, deducta eo ex Brabantinis colonia. Vndique pecorum paſcuis uberrimis cinctum uno miliari verſus meridiem ab Haga Comitis diſtans; habens ab occidente Gaudam, à meridie tribus miliaribus Rotterdam, ab Occidente mare. Ejus incolæ maxime Braxatura ac lanificio ſe exercent. Eſt autem Delf opidum ſtrictim in longinquum protenſum, intus aquis adbundans, pulcherrimis ædificiis*

decora-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

decoratum. Ejus populus præ cæteris Hollandis urbanus ac delicatus, ac Brabantinorum moribus, à quibus, ut dictum eſt originem duxere, proxime accedens. Habet duas Baſilicas Parochiales pulchras veterem ac novam, & monaſteria fratrum minorum ac monialium plurima. & extra muros tria monaſteria, unum monialium, 2. Regularium, & 3. Carthuſienſium per Comitem de Oſtervant fundatum. Sunt tamen nonnulli, qui Delfum non conditum à Godefrido Gibboſo, ſed auctum tantum ampliatumque fuiſſe tradiderunt. Delfo autem nomen factum videtur, vel à foſſa ibi ducta, *Delven* enim ſeu *dilven fodere* nobis deſignat; Vel quod pagus, in quo condita Vrbs eſt, jam ante *Delft* appellaretur à foſſa indubie Corbulonis. de qua ita C. Tacitus Annal. Lib. XI. *Ne tamen miles otium exueret, inter Moſam Rhenumque trium & viginti millium ſpatio foſſam produxit.* Similia habet Dio Lib. 60. Quibus prætermiſſis adſcribam quoque parilem ſententiam Ph. CluverI. *Reſtat*, inquit, *foſſa, quæ ab urbe Leida vulgari nomine de Vliet Delphos defertur; atque inde ad pagum Maeſlant deducta tandem ad propinquum pagum* Sluiis *Moſæ jungitur. Hanc eſſe Corbulonis foſſam arguo. Primum quia inter Moſam Rhenumque perducta eſt. Tum quia proxima Oceano. tertio quia ſpatium Taciti* XXIII. M. *quam maxime convenit. & cætera, quæ apud ipſum vide cap.* VI. *de Rheni Alveis.* Niſi forte nomen loco dederit illuſtris proſapia de Delf, cujus veſtigium, quod ne quidem exſtat apud editos Hollandicorum Annalium conditores, notavi in Diplomate antiquo, quod ex Archivis Rensburgenſibus huc tranſcribſi.

Omnibus ſanctæ matris Eccleſiæ filiis, clericis & Laicis, præſentibus & futuris, Ada, Dei gratia, Marchioniſſa de Brandeburch ſalutem. Noverit univerſitas veſtra me, volente & aſſenſu Wilhelmi Comitis, & Florentij fratrum meorum, & Adæ Comitiſſæ, matris meæ, & Adæ, neptis meæ vendidiſſe Eccleſiæ ſanctæ Mariæ in Rinesburch, & Agnetæ Abbatiſſæ, & ejuſdem loci conventui, duas bonas terræ in Pole mihi jure hereditatis pertinentis in perpetuum habendas & poſſidendas jure perpetuo liberas & quietas ab omni ſervicio & conſuetudine & exactione mihi & heredibus meis pertinente ita libere, & quiete & honorifice ſicut aliqua conventualis eccleſia terram aliquam liberius, quietius, & honorificentius tenet & poſſidet. Hæc vendicio facta eſt anno incarnacionis Domini MCCV. *his teſtibus, Wilhelmo de Teylinge, & Theodrico fratre ejus, Arnoldo de Riſwic, & fratre ejus Henrico, Giſelberto de Tilburg, Philippo de Waſnare, & filio ejus Theodrico, Hugone de Noortge, Florencio de Soetrewoldt, Theodrico de Delf & fratre ejus Arnoldo, Huberto de Kerecwerf. Ut autem hæc vendicio, conceſſio & confirmatio in perpetuum rata habeatur, & inconcuſſa permaneat, præſentem confirmationem ſigilli noſtri impreſſione roboravimus.*

Opidum mox bona fide adolevit, & veluti robur ac lacertos accepit. Wilhelmus enim, ejus nominis II Hollandiæ Comes, Rex Romanorum, Delfenſibus, ut quibuſdam in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Annalibus invenitur, jura atque privilegia municipalia hac conditione largitus eſt, ut ſibi ſuiſque poſteris, pro ſingulari hoc beneficio, in annos ſingulos libras Hollandicas penderent quinquaginta; ſi vero cõtingeret ſe vel cingulo Equeſtri donari vel uxorem ducere, libras tantum ſolverent viginti. Quæ idcirco adſcribenda putavimus, ut illius ſæculi opes poſſint æſtimari. Quidquid horũ ſit, Delfum jam tum anno MCCLX jure municipali uſum fuiſſe, ex tabella hac comparet, quam Scabini Delfenſes tunc temporis dedere.

Ego Wilhelmus filius Ermengardis notum fieri cupio univerſis præſentes litteras viſuris, quod contuli clauſtro de Rinsburg quinque terræ jugera in Hodenpile ſita in puram proprietatem; quam vero terram recepi à dicto clauſtro titilo pheodali poſſidendam & ad ſeniorem filium meum devolvendam, ſi vero deceſſerim ſine filio ſenior filia mea dictum pheodum dicto titilo poſſideret, & ſic ad omnes filios filiorum meorum ſucceſſive dictum ad modum devolvetur. Sed ſi ſenior filius meus vel ſenior filia ſine pro creatione prolis deceſſerint aut ipſe prolem poſt me non reliquerim medietas præfati Pheodi ad dictum Clauſtrum pertineret, altera vero medietas pheodi memorati eſſe dinoſcitur duarium uxoris meæ Agnetis, ſed ſi ipſa moriatur ſine procreatione prolis ex me integrale pheodum devolvetur ad dictum clauſtrum ſine qualibet contradictione. Ad majorem autem hujus rei firmitatem nos Scabini de Delf præſentes litteras ſigillo noſtri oppidi duximus roborandas. Datum anno Domini MCC *ſexageſimo, in die nativitatis beati Iohannis Baptiſtæ.*

Idem Wilhelmus (referente Opmero) cum hactenus Hollandis non licuiſſet alio lupulo ſalictario cereviſiam ſuam excoquere, niſi illo, quem à Comite eſſent mercati, Delfenſibus indulſit, ut lupulos ab aliis etiam emerent; adhibita tantum hac cautione, ut pro jure Comitis hoc pacto antiquato in dena quæque vaſa cereviſiaria ſolidum Hollandicum ſive denarios duodecim perſolverent. Hac Principis liberalitate brevi effectum eſt, ut ob cereviſiam ubique locorum expetitam, opes civium admodum auctæ ſint. Cum ob lupulorum bonitatem levitate atque grato ſapore quam proxime accederet ad Londinenſem Anglorum, atque Cimbrorum delitias Hamburgenſem cereviſiam.

Florentius etiam, Wilhelmi filius, conceſſit, ut illi qui ad foſſam novam à *Ponte Arnoldi* dicto uſque ad pontem Noſocomij cœperant habitare, ijſdem privilegiis, eodemque jure cum reliquis civibus gauderent.

Adnexum ſemper Vrbi fuit magnificum palatium à Wilhelmo II, ut videtur, conſtructum, *des Conincx-uythof* vulgo dictum; juxta quod Monaſterium fratrum Ordinis Præmonſtratenſis, *Conincxvelt* vocatum, Richardis, Wilhelmi hujus matertera, fundavit: in quo & ipſa paullo poſt dicitur ſepulta.

Sub Ioanne II. Hannonio Flandri ut tota Hollandia, ita Delfis quoque à Vito Haemſtedio expulſi, cæſis eorum quingentis; atque exinde platea illa *de Vlaeminghſtraet* in hunc uſque diem eſt nominata.

Anno

Anno autem cIↄccc & LI. primaria Ædes Delfis fuit conſtructa; poſtquam, uti ferunt, per annos triginta ex aëre pendere fuiſſet cōſpecta. Quod equidem magis ne prætermitterem, retuli, quam quia verum aut veriſimile putem. Quamquam varia ſint ludentis Naturæ opera, vereor tamen ne hæc mera commenta ſint humani ingenij; quod rebus nimis infixum, pingit & fingit ſibi interdum, quod non eſt. Certe dimicantium hominum & claſſium imagines, aliaque ejuſcemodi plura in aëre vidiſſe & obſervaſſe ſe ſcribit Thomas Faſellus lib. 5. Prior. Decad. de Rebus Siculis.

Alberto Bavaro ad Hollandiæ gubernacula admoto, circa annum MCCCLXI paullum circumacta eſt Delfenſium Fortuna. Comes enim Ioannem Blomeſteinium Renolandiæ Balivum ordine movit, inque locum ejus Renaldum Brederodium ſuffecit: quod ægris admodum animis tulere Hoexij; qui poſt inſidias ipſi fruſtra ſtructas, bona ejus omnia invaſere. Ad compeſcendos motus iſtos copias Albertus conſcribit. Hoexiorum alij Heemskerckam arcem tenuere; ubi à Diderico Polano ſunt circumſeſſi. Alij Delfum aufugere, ubi portæ illis apertæ, & humaniſſime à civibus excepti. Erant enim & cives Hoexiorum partibus addicti; qui his auctoribus exulceratis magis magiſque animis, eductis copiis, nova & procaci licentia, infeſtis armis vicina populabantur. Binchorſtiam & Polanam arces funditus ſubvertunt. Mox Hagam invadunt; ubi carcerem publicum veſano quodam impetu effringunt, atque incendunt. Inter hæc è Zelandia reverſus eſt Comes; qui, coacto ingenti exercitu, Delfum adortus in conſpectu Vrbis caſtra poſuit. Obſidionem brevi ita urſit, ut poſt hebdomadas ſeptem cum omnibus copiis portis jam inhæreret: Nihil eorum prætermittens quæ expugnandæ Vrbi facere judicabat. Delphenſibus contra, & carpi magnis quotidie damnis, & deficere vires ſuæ videbantur. Itaque perditis jam rebus, miſſis legatis ad mitigandum placandumque Principem difficulter defectionis veniam impetravere, decem Scutatorum millia dare juſſi. Ingreſſus Vrbem Comes mœnia & arcem, ut pepigerat, exſcidit. Sed leve hujus belli damnum fuit pro ſequente Victoria. Paullo enim poſt Anglis, qui ſtipendia ſub Hollando faciebant, in Flandria obſeſſis, auxilia Delphenſium Albertus imploravit. Hi, quamvis deditionem tam indigne factam accepiſſent, haud auſi imperium ejus aſpernari, extemplo cum copiis ſupervenere, fædam cladem nova gloria expiaturi. Commiſſo prælio Friſiorum trecentos cæcidere. Plurimis eorum arcibus ignem injecere. Ita in hoſtium capita converſa eſt virtus, quæ paullo ante in viſcera patriæ graſſabatur. Auctores habeo tam gratum hoc accidiſſe Alberto, ut anno 1389, ipſo Mariæ feſto, Delfenſibus, ob res proſpere & feliciter geſtas, alveum ex Scia amne in Moſam uſque deducere conceſſerit, navigantium commoditati. *Delſshaven*, id eſt, *Delphorum portum* vulgo vocant.

Interjecto deinde tempore, anno 1536, quinto Nonas Maji, Vrbs tota fortuito incendio conflagravit. Ibi cum Ciconia pullos implumes non valeret exportare, ſeipſam in flammas conjecit, parentalis affectus rarum, neque tacendum exemplum. Placuit Hadriano Iunio poſteritatis & pietatis honori rem verſibus his conſignare.

Candida & obſtreperis inviſa ciconia ranis,
Pignora ab ardenti viderat igne premi.

Eripiatne ſuos & aperta pericula tentet?
Hinc ſuadet pietas, vitæ amor inde vetat.
Hunc luctum pietas generoſa diremit, & urna
Eſſe eadem, & ſobolis vult Libitina ſuæ.
Jam minor Aſſyrium Phœnicem fama loquatur,
Vivere quæ buſto quærit, at iſta mori.

Ab iſto incendio poſtmodum lux quædam major affulſiſſe civitati viſa eſt, dum hoc igne veluti expurgata tantum, auguſtiori longe forma è cineribus ſuis atque ruinis emerſit.

Anno MCCCCXLVIII Monaſterium fratrum Minorum Delfis exſtructum fuit.

Anno MCCCCLXXII inter Delfenſes & Goudanos hæc juris formula convenit.

Nos Conſules Scabini & Senatores urbis Delfenſis, noſque item Conſules, Scabini & Senatores opidi Goudani, notum omnibus facimus: conveniſſe inter nos, ut articuli ſubſequentes æternum utrinque ſerventur. Primo ut ſtatuta omnia ab hac in illam, & ab illa in hanc partem promulgata aboleantur, nec alia magis vel in cives vel in cerevisiam, vel alia quævis, quo tandem nomine ſint dicenda, promulgeantur. Secundo ut opidanorum Delfenſium bona Goudæ, & Goudanorum Delfis non ſiſtantur, ſed tantummodo deſcribantur. Tertio ut cives Delfenſes Goudæ verſari, mercari, emere & vendere tam tuto & libere poſſint, ut ipſi Goudani ſolent. Ita tamen ut id ipſum Goudanis Delfis concedatur; atque etiam ut unicuique noſtrorum civium in hujus vel illius civitatem commigrare liceat, & hereditatem ibi adire poſſit, portoriis non ſolutis. Quarto, ſi contingat aliquem noſtrorum civium vel debitorum, vel alterius alicujus rei cauſſa in hanc vel illam civitatem commigrare, iiſdem pœnis ſubjectus erit, quibus in iſta urbe, è qua egreſſus eſt. Et quia firma hæc rataque eſſe volumus, ex ſententia Scabinorum duas iſtiuſmodi litteras fieri curavimus, quarum unam hæc, alteram alia civitas habebit. Utramque autem ſigillo noſtro communiri fecimus. Actum anno MCCCCLXXII, *Octobris die* XX.

Anno MDLXXIV. Hiſpani aliquot & Galli, qui Hagæ Comitis & locis circumjectis impune graſſabantur, Delfum intercipere, civibus aliquot in ſententiam ſuam pertractis, conati ſunt. Sed detectis conſilijs ab illis ipſis, qui urbem ſe prodituros affirmaverant, in graviſſimum diſcrimen inciderunt. Nam ſub porta, per quam aditum ſibi futurum perſuaſerant, tantus ſulfurei pulveris, aliarumque rerum, quæ flammam facile concipiunt, apparatus factus eſt, ut ſi eam ingreſſi fuiſſent, pœnas cõcepti facinoris maximas dediſſent. Verum ipſi ad mœnia appulſi, cum pons ſubductilis non demitteretur, neque recluderetur, ſuſpicati quod res ipſa erat, eò, unde venerant, quam celerrime ſe contulere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

lere. Pilæ plurimæ, diſploſis è mœnibus tormentis, in eos emiſſæ, ſed longius jam progreſſis exigua admodum clades inflicta eſt.

Anno MDLXXXIV infami parricidio à Balthaſare Gerardi percuſſus hic eſt optimus & maximus Princeps, atque in nova Vrbis eccleſia, exſtructo ibi magnifico Mauſoleo, cōditus Guillhelmus Naſſovius, cum æterna hac gloriæ & virtutis ſuæ teſſera: quæ digna nobis viſa, ut non illic tantum legeretur. Eſt autem talis:

D. O. M.

ET ÆTERNÆ MEMORIAE

GVLIELMI NASSOVI, SVPREMI ARAVSIONENSIVM PRINCIP. PATRIS PATRIÆ, QVI BELGII FORTVNIS SVAS POSTHABVIT ET SVORVM: VALIDISSIMOS EXERCITVS AERE PLVRIMVM PRIVATO BIS CONSCRIPSIT, BIS INDVXIT ORDINVM AVSPICIIS; HISPANIÆ TYRANNIDEM PROPVLIT: VERÆ RELIGIONIS CVLTVM, AVITAS PATRIÆ LEGES REVOCAVIT, RESTITVIT: IPSAM DENIQVE LIBERTATEM TANTVM NON ASSERTAM MAVRITIO PRINCIPI PATERNÆ VIRTVTIS HEREDI FILIO STABILIENDAM RELIQVIT; HEROIS VERE PII, PRVDENTIS, INVICTI: QVEM PHILIPPVS SECVNDVS HISPAN. REX ILLE EVROPÆ TIMOR TIMVIT NON DOMVIT, NON TERRVIT, SED EMPTO PERCVSSORE FRAVDE NEFANDA SVSTVLIT. FOEDERAT. BELG. PROVINC. PERENNI MERITOR. MONVM. P. C. C.

Mauritius autem filius per omnia Fortunam egreſſus, poſt res maximas terra marique geſtas, &, ut verbo dicam, conſtitutam confirmatamque ſecuritatem publicam, anno hujus ſæculi vigeſimo & quinto, die Aprilis 23, omni & vitæ & Naturæ debito eſt liberatus: ac, recepta quidem cælo anima, exhauſtum ejus corpus mæſtiſſimo Regum, Ducum Principum, Ordinum, Nobilium & effuſiſſimo populi conventu, paullo poſt hoc eodem in loco reponi ipſi vidimus.

Venio nunc ad fama & eruditione clariſſimos viros. Sed in hoc tam pulchro copore etiam nævulus offendit. Natus enim Delfis eſt (quamquam ſint qui educatum tantum volunt) anno primo illius ſæculi, quod hoc noſtrum proxime anteceſſit, *David Georgij*, homo ſine nomine, ſine tribu, patriæ ſuæ macula & vibex. Patrem habuit virum amæniſſimi ingenij, ac proin omnibus magnis infimiſque, acceptum. Hic in Rhetorica (ita noſtrates falſo vocant Poëticam vernaculam) adeo fuit exercitatus, ut æqualibus omnibus palmam præriperet. David filius nova de Religione commentus, ſectatores facile invenit. Ab his opes extorſit; quibus ædes ampliſſimas exſtruere, non niſi ingenti nobilium famulitio ſtipatus in publicum procedere, purpura etiam & byſſo indui ſolebat. Siquidem homo arrogantis ingenii erat, & in cōcionibus perfacundus habebatur. Quot ſomnia ſua totidē oracula credebat, atque aliis perſuadebat. Erat illi maxime in deliciis Nicolaus Meynardi à Bleſdijc vir eruditus; cujus opera in Græcis Latiniſque (quorum imperitus erat) utebatur; cuique filiam ſuam in matrimonio poſtmodum collocavit. Georgius patria expulſus, Baſileenſi civitate donatus eſt: ubi nomine Ioannis *Brughij* aliquamdiu & docuit & vixit. Inter vivos eſſe deſiit anno ejuſ-

dem ſæculi quinquageſimo & ſexto. Poſtquam annos tres fuiſſet ſepultus, cum hæreſis ejus & fraudes magis magiſque innotuiſſent, cadaver è terra protractum eſt: in quod, ut & ſcripta ejus, publicis flammis ab Vrbis Magiſtratu eſt ſævitum.

Inter litteratos ſunt *Ægidius Delphius*, Theologus & Poëta pro ſæculo ſuo non contemnendus: cujus amicitia & familiaritate admodum delectabatur magnus ille D. Eraſmus Rotterodamus. Poëmatum ejus editionem Gilbertus Cognatus Baſileæ procuravit.

Iohannes Delphius Argentinæ Coepiſcopi munere aliquamdiu functus eſt. Theologus ſcriptis in publicum editis clarus.

Petrus Slupick itidem Theologus, Ord. Minorum; pietate tamen magis, quam eruditione inſignis.

Walricus Lithodomus, lingua patria *Steenhuyſen* dicendus. Pædagogus fuit, ad juvanda teneriorum ſtudia natus. Edidit Latinæ linguæ crepundia, atque alia, quę Grammaticam ſpectant. quæ ut Authoribus ſuis minus gloriæ adferunt, ita aliis plurimum utilitatis.

Hugo Blotius, gravis & feſtivi ingenij orator. Præfuit celeberrimæ Bibliothecæ Maximyliani & Rudolphi II. Imperatorum, quæ Viennæ tunc erat.

Adamus Sasbotus, Theologus inſignis, linguarum Latinæ, Græcæ & Hebraicæ longe peritiſſimus. Hic ob præclaras animi & vitæ dotes Lovanium ad SS. Theologiæ profeſſionem evocatus ibidem nimio ſanguinis ſputo, anno CIↃIↃIIII, exſpiravit. Monumentum ejus exſtat Lovanij apud Minoritidas.

D. O. M.

Adamus nomen, Batavi mea patria Delſi,
Progenies Sasbout non inhonora fuit.
Trajectum Latias & Græcas tradidit artes,
Lovanium Hebræas addidit atque ſacras:
Quas ut proferrem (culpa eſt ſepelire talentum,
Et Domino uſuras non ſoluiſſe ſuas)
Commoda viſa mihi Franciſci ſemita: at illam
Dum ſequor, in mediis curſibus eripior.

CORNELIVS MVSIVS DELF. AMICO POS. OBIITAN. SALVTIS CIↃIↃLIII. ÆTAT. XXXVI.

Leguntur varia multaque ejus opera, quæ partim ipſe edidit, partim poſthuma in lucem emiſit *Cornelius Verburch*, domo etjam & patria Delfenſis; vel ob hoc ſolum, quod jam dixi, laude ac memoria noſtra dignus.

Chriſtianus Adrichomius, Theologus, Antiquitatis Eccleſiaſticæ peritiſſimus. Terram & Vrbem Sanctam eleganter deſcripſit. Temporum injuria patriam relinquere coactus, Trajecti ac Machliniæ reliquum vitæ egit, Coloniæ exegit. Corpus terræ mandatum eſt in majori Naſareth, Virginum Canonicarum S. Auguſtini Cænobio, cui fuerat præfectus. Inſcriptio hæc ibi legitur.

D. O. M.

D. O. M.

MONVMENTVM REVER. ET ERVDITI
D. CHRISTIANI ADRICHOMII DEL-
PHI SACRATARVM VIRGINVM
S. BARBARÆ APVD DELPHOS
HIERARCHÆ.

OBIIT ANNO NATIVIT. DOMINI cIↃ IↃ.
LXXXV. XII. KAL. IVLII. ANNO
ÆTATIS LII. &c.

F. Rolandus Delphius, cujus laudes, quæ Trajecti ad Franciſcanos ſepulchro ejus inſcriptæ ſunt, huc tranſcribam:

MEMORIÆ SACR.
F. ROLANDO DELPHIO ORD. FRATRVM
MINORVM, MODESTIA ET PATIENTIA
AD MIRACVLVM PRÆDITO:
MONASTICARVM OBSERVATIONVM
LAVDI NATO, HARVNDEM
ÆTERNO DAMNO DENATO
CONFRATRES RELIGIOSI
HVNC TITVLVM ET TVMVLVM
MOESTI POSS.

Hoſpes prece me vivus juva, mortuus juvabère.
cIↃ IↃ CII. Idib. Septemb.

Pontus Heuterus, cui res Burgundicæ, cui vetus & ſui ſæculi Belgium famam atque lucem debent. Hic natus Delfis anno cIↃ IↃXXXV, omnibus & animi & corporis bonis inſtructus, Prępoſitura Arnhemienſi ornatus eſt. At extremum vitæ, aulæ & honorum ſatur, in Tungrorum ſede Trudonopoli exegit, atque ibidem Naturæ ceſſit anno cIↃ IↃCII.

Cornelius Grotius IC. Hic anno M. D. XLIV. Delfis natus, juvenis Lutetiæ Pariſiorum Philoſophiam una cum litteris humanioribus hauſit. Aureliæ Iuris prudentiam non minore animo amplexus eſt. quam ipſam reverſus in Academia Leidenſi publice & cum laude docuit. Summis viris, ac præſertim Iuſto Lipſio, longe fuit acceptiſſimus. Anno autem Domini M. D C. X. ad Superos commigravit, ſextum Academiæ Magnificus Rector. Scripta quidem nulla emiſit, ſed plurima, quæ Ius Civile ſpectant, oppido pene affecta Amici habent; quæ aliquando, ut ſperamus, lucem, qua digniſſima ſunt, videbunt.

Michaël Voſmerus, Adami Sasboti, de quo jam diximus, è ſorore Nepos; cujus & vitam deſcripſit, & pro ſcriptis Apologiam. Miracula etiam B. Mariæ Delfenſis ſingulari libello complexus eſt. Dicitur inſuper de Patriæ Vrbis Antiquitatibus nonnihil memoriæ prodidiſſe. Qui commentariolus ſi typis mandatus exſtaret, incredibile dictu eſt, quantum ad illuſtrandam Vrbem hanc, atque antiquitatem ejus eruendam conferret. Emittant igitur tamdem in lucem, qui ejuſmodi cimelia adſervant, & ſerio cogitent, non ſibi tantum hæc ſcripta eſſe, ſed rei & gloriæ publicæ. Voſmerus autem anno natæ Salutis cIↃ IↃ C. XVI. Kal. Octob. è vivis exceſſit.

Sasboti autem nomen memoriæ injicit, *Iudocum Sasbotum*

Delfos

Delfum quoque patriam ſuam agnoſcere. Hic Cancellarius Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphaniæ fuit. Cujus Epicedium legere eſt Aernhemi in Eccleſia Cathedrali, quod ipſemet, mortalitatis memor, ſibi ſcribſit:

Siſte gradum: quod es, ipſe fui, fortaſſis eris cras
Quod ſum, cadaver putridum.
Olim Iudocus eram Sasbout: me miſit in auras
Delſt clara pars Bataviæ.
Ter denis patriæ cauſſas decidimus annis
Pars conſilI haud ingloria.
Deinde & rectum Præſes jus, Cæſare, Gelris
Dixi, jubente Carolo.
Quid tituli, quid opes, quid nunc prudentia prodeſt?
Mors ſumma miſcet infimis.
Sola manet virtus homini poſt funera, ſolam
Dum vivis, hanc ama. Vale.

VIVUS SIBI SCRIPSIT. VIXIT ANNOS
LIX. MENS. VIII. DIES X.
OBIIT MCCCCC XLVI NOVEMB. XIV.

Gaudet etiam Delfum natalibus optimi & maximi Principis, Frederici Henrici, quem jam Patria univerſa, quem totus Chriſtianus Orbis Victorem & triumfatorem Auguſtum videt, ſuſpicit, veneratur. Victoriis & triumfis ejus breve Epigramma hoc ſuſpendit V. Cl. P. Scriverius;

Nominis auſpicium ductâ tibi Corbulo foſſâ,
Delfa, dedit; primas Gibber in urbe domus;
Iura Comes Cæſar; tria maxima fulmina belli.
Accedit quartus, non minor ipſe tribus.
Ne mirere, tua Princeps qui natus in urbe
Exprimat antiquos ſi Fredericus avos.
Quæ data ſunt Belgis pugnacibus arma duobus,
Solus hic (at fato proſperiore) gerit.
Et ſi ſpectet opus, lentâ ſua caſtra dolabrâ
Muniat, & non ſit Roma ligone prior.
Sic noſter pugnat, cædit, foditque. quid horres,
Delfa? tuus quondam Corbulo talis erat.

Deus optimus maximus tantum de annis noſtris demat, quantum ad ætatem & felicitatem tanti Principis, non abrupto Triumforum curſu, accedat, ut id, quod dedit optimum, patiatur eſſe æternum.

Delfum hodie ædium publicarum privatarumque varietate inter alias eſt ſpectabilis. Ager circumjectus uberrimus eſt & nitidiſſimus. Forum habet ampliſſimum: in quo curia eſt forma & opere inclyta. Cujus frontiſpicio inſcriptum eſt breve hoc ſive elogium ſive oraculum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

HÆC DOMVS ODIT, AMAT, PVNIT,
CONSERVAT, HONORAT,
NEQVITIAM, PACEM, CRIMINA,
IVRA, PROBOS.

Proxima huic eſt ædes ſacra: in qua ut ſuperiore ſæculo ſummorum artificum picturæ atque ſculpturæ videbantur; ita hodie illuſtre illud Principum Arauſionenſium Mouſolæum, opus fulgentiſſimum. Coditi hic duo Patriæ patres. Eſt Delfis & alia ædes ſacra, quam veterem vulgo dicunt, cui proxime adjacet quondam D. Agathæ ſplendidiſſimum & opulentiſſimum Cœnobium, nunc Principum illuſtre hoſpitium. Schola eſt cum hac inſcriptione:

GYMNASIVM PVBLICVM IUVENTVTI
PIETATE, ARTIBVS ET LINGVIS
IMBVENDÆ DICATVM.

Collegium Theologicum Epigraphen hanc habet,

Priſca domus fratrum quondam, ſed cenſibus aucta
Nunc facta Seminarium Theologicum.
Nemo illi limen terat improbus, aut male caſtis
Profanet intus ſacra tecta moribus.

Cives hic, ſi alibi, opibus abundant, quas annis ſuperioribus re cerevisſiaria, ut jam diximus, haud parum auxere. Panni præſtantiſſimi magno numero hic contexuntur, qui in tritiſſimum & laudatiſſimum proverbium abierunt, *Delfſpuyck* vulgo dicti. *Tuyck* enim Belgis ſelectum quid & affabre factum ſignificat; haud dubie à Græcorum πύκα quod præter alia idem notat. Foro etiam pannorum Anglicorum urbs hæc jam aliquot annis fuit frequentata.

LOCA CIRCA DELFVM CELEBRIORA.

LOSDVNVM. hic Monaſterium celeberrimum ordinis Ciſterſienſis Margareta, Florentij quarti ejus nominis Hollandię Comitis uxor, & Henrici ſecundi Brabantię Ducis filia, exſtruxit. Obiit Margareta anno verbi incarnati 1267, hoc eodem in loco ſolenniter ſepulta. Fuit Monaſterium hoc Abbatiæ titulo prælustre, & virginibus primariæ nobilitatis ſemper refertiſſimum. Magnam autem ipſi famam Machtildis, ſive Margareta, ut appellant alij, Hermanni Hennenbergæ Comitis uxor, & Florentij quarti, ex Margaretâ, de qua jam diximus, filia admirabili ſuo trecentorum & ſexaginta quinque liberorum partu conciliavit. Hiſtoriam omnem Chronologi noſtrates ſic enarrant. Mulier quædam paupercula, & vidua, duos infantes, quos uno partu enixa erat, complexa, ſtipem à Machtildi petebat. Machtildis verbis aſperioribus uſa, fieri non poſſe dicebat, ut mulier plures, quam unam, proles ab uno marito ſimul conciperet. Muliercula ad iſta obſtupeſcens fieri poſſe, Deo ita volente, aſſerebat.

Adhæc Machtildis irata paupercu lam illam à ſe expelli juſſit. Hæc ſuſpirans Deum optimum maximum orabat, permitteret, Comitiſſam tot uno partu proles emittere quot annus dies numeraret. Vota pauperculæ Deus exaudivit. Factum enim eſt, ut anno 1276, die S. Mariæ ſacro, trecentas & ſexaginta quinque proles, partim melioris, partim ſequioris ſexus Machtildis emitteret. quas omnes Otto Trajectenſium Antiſtes Babtiſmate tinxit, indito maribus Ioannis, & fæmellis Eli ſabethæ nomine. Sed mox una cum matre ſua vivere desjerunt, uno omnes & eodem ſepulchro conditæ. Sed placet tabellam, quæ ad perpetuam tantæ rei memoriam in æde Loſdunenſi ſuſpenſa eſt, ſic loquentem audire.

En tibi monſtroſum nimis & memorabile factum,
Quale nec à mundi conditione datum.
Hæc lege, mox animo ſtupefactus lector abibis.

Margareta Hermanni Comitis Hennenbergiæ uxor, quarti Florentij Comitis Hollandiæ & Zelandiæ filia, Guilhelmi Regis Romanorum, ac poſtea Cæſaris ſeu gubernatoris Imperij, atque Alitheiæ Comitis Hannoniæ ſoror, cujus patruus Epiſcopus Trajectenſis, avunculi autem filius Dux Brabantiæ, & Comes Thuringiæ. Hæc autem illuſtriſſima Comitiſſa, annos quadraginta duos circiter nata, ipſo die Paraſceves, nonam circiter horam, anno milleſimo, ducenteſimo, ſeptuageſimo ſexto, trecentos ſexaginta quinque enixa eſt pueros, qui prius à Guidone, Suffraganeo Trajectenſi, omnes in duobus ex ære pelvibus baptiſati ſunt: quorum maſculi quotquot erant, Ioannes, puellæ autem omnes, Eliſabethæ vocatæ ſunt, qui ſimul omnes cum matre uno eodemque die fatis conceſſerunt, atque in hoc Lauſdunenſi templo ſepulti jacent. Quod quidem accidit ob pauperculam quandam fæminam, quæ ex uno partu gemellos in ulnis geſtabat pueros, quam rem ipſa Comitiſſa admirata, dicebat, Id per unum virum fieri non poſſe, ipſamque contumelioſe rejecit. Unde hæc paupercula animo perturbata, ac perculſa, mox tantum prolium numerum ac multitudinem ex uno partu ipſi inprecabatur, quot vel totius anni dies numerarentur. Quod quidem præter naturæ curſum obſtupenda quadam ratione ita factum eſt; ſicuti hic in perpetuam hujus rei memoriam ex vetuſtis, tam manuſcriptis, quam typis excuſis, Chronicis breviter poſitum & enarratum eſt. Deus ille ter maximus hac de re ſuſpiciendus, honorandus, & laudibus extollendus in ſempiterna ſæcula, Amen.

Ex epilogo hujus tabellæ ſatis comparet, inſcriptionem hanc non ita eſſe antiquam, ſed ſæculo demum ſuperiore concinnatam, priore vel ablata, vel corrupta. Chronici

enim

enim Friſij adhuc inediti auctor, quem ante annos centum floruiſſe conſtat, teſtatur monumentum hoc, rhythmo vernaculo conſcriptum, ſuo tempore Loſduni lectum fuiſſe;

D'onſpreeckelicke Godes kracht,
Machmen menichſins wel mercken:
Want eens een Frouken voortbracht
Twee Kijnder te ſamen inder wercken:
Dat verwonderde heur Vrouw Margriet Hertogien,
Dat een wijff by eens Mans beleydt mocht draegen Kijnder niet meer dan eijn.
Daer nae leet Godt geſchyen
Wonder groot, want ſy wan
Vier de half hondert kijnderen ende XIIII *tot eenre dracht by eenre man.*
De kijnder kerſtede Biſſchop Gy in een becken claer.
Daer waeren hoge geboren Peeten, als Princen, Vorſten, Vrouwen, dats waer.
Der fruchten ſtarff ſi, ende was Germana
Van Alemannien Willems Coninck, van Hollandt Grave, al ſonder wane.
Dit was een wonderlick dinck. doe ſy bleeff
Men jaeren duyſent CC *ende* LXXVI *ſchreef,*
Opten goeden Frijdach, ten negen uren:
Haer ſiel moet in eeuwicheyt dueren.

Latinam inſcriptionem hujuſmodi adducit Iunius:

Margareta Hermanni Comitis Hennenbergiæ uxor, illuſtris Domini Florentij Comitis Hollandiæ filia, cujus mater fuit Mathildis filia Henrici Ducis Brabantiæ, fratrem quoque habuit Guilielmum Alemanniæ Regem: hæc præfata domina Margareta, anno MCCLXXVI, *ætatis ſuæ anno quadrageſimo ſecundo, ipſo die Paraſceves, hora nona ante meridiem, peperit infantes vivos promiſcui ſexus numero trecentos ſexaginta quatuor: qui poſtquam per venerabilem Epiſcopum Dominum Guidonem Suffraganeum, præſentibus nonnullis proceribus & magnatibus in pelvi quadam baptiſmi ſacramentum percepiſſent, & maſculis Joannes, fæmellis vero nomen Heliſabeth impoſitum fuiſſet, ipſorum omnium, ſimul cum matris animæ ad Deum æternaliter victuræ redierunt. Corpora autem ſub hoc ſaxo requieſcunt.*

Notat Reinerus Snoyus in perennem hujus rei memoriam ad ripam Moſæ fluminis, trans Vahalim, arcem, quæ corrupte vulgo *Proijenſis* dicitur, exſtructam, eamque trecentis & ſexaginta quinque feneſtris ornatam, Puerorumque nomine appellatam fuiſſe. Hiſtoriam ipſam mendacij inſimulare non velim, quamvis plurima ſint, quæ falſi ipſam

convincant. Guido ille, qui babtiſmate tinxiſſe tot proles dicitur, circa iſta tempora Trajectenſium Antiſtes non fuit: niſi Epiſcoporum Trajectenſium catalogum in dubium vocare velimus, qui Iohannem Naſſovium ab anno 1267, uſque ad annum 1287 ſediſſe diſertim teſtatur. Quanta autem in anno adſignando inter auctores eſt diſcrepantia? Alij anno 1244, alij 1266, alij 1276 contigiſſe referunt. Meyerus Machtildin obijſſe refert anno 1278. Sed hic manifeſte falſus eſt. Litteræ enim Florentij quinti, anno 1277 datæ Machtildim jam Loſduni objiſſe diſertim teſtantur. Illas ex Chartophylaciis Monaſterij Rensburgenſis à nobis deſcriptas, operæ pretium putavi, quia editæ non ſunt, hic adſcribere, ut lucem aliquam in tot ſcriptorum controverſia nobis præferant.

Nos Florentius Comes Hollandiæ notum facimus univerſis: quod cum Domina Margareta, piæ memoriæ, quondam Comitiſſa in Hennēberch, Amita noſtra, in extremis poſita, mentis ſuę compos, nobis pręſentibus & multis aliis fide dignis, quandam terram, ſive quædam prædia jacentia prope Monaſterium de Loeſduno, quæ ad ipſam proprietatis jure ſpectabant, ex noſtra conniventia & conſenſu contulerit pediſſequis ſuis Bartrardi videlicet, & Machtildi memorato jure proprietatis in remunerationem obſequiorum, quæ eædem Domicellæ diuturno tempore eidem præſtiterant indefeſſe, & cum dictæ Domicellæ dictam terram vendiderint Monialibus de Rinsburch, & in manus ſuas ipſam reſignaverint, manifeſte nos dictas Moniales tenore præſentium in poſſeſſione quieta dictorum bonorum manutenere & defendere promittimus contra quoſcunque illicitos invaſores. Datum in Octob. Aſſumptionis B. Virginis, Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo.

Eodem ſpectat tabula hæc Iuttæ, Marchioniſſæ Brandeburgenſis:

Tenore præſentium proteſtamus, quod nos Jutta, Dei gratia, Marchioniſſa Brandeburgenſis, emptionem quorumdam bonorum, quæ Clauſtrum Reinſburch & moniales ipſius clauſtri emerunt contra Bertratim & Machtildim, domicellas matris noſtræ cariſſimæ, Comitiſſæ de Hennenberch, felicis memoriæ, ratam firmam ſine ulla contradictione ſervare volumus, & tenere, ita ſi frater noſter Poppo id ratum firmum tenere voluerit & ſervare.

Ex iſtis jam clare ſatis dilucet, falli eos, qui Machtildim ipſa partus hora exſtinctam tradiderunt. In conſiderationem autem venit has Florentij quinti & Iuttæ litteras ne leviſſimam quidem mentionem de hoc tam ſtupendo partu facere; quam haud dubie aliquam haberent, ſi quid tale contigiſſet. Sed nos hæc in medio relinquemus, nec tot ſcriptoribus, qui hæc in litteras retulerunt, quidquam detrahentes, nec hiſtoriæ ipſi, quæ haud dubie multum à fabula trahit, ex omni parte adhærentes. Adhuc hodie in templo Loſdunenſi pelves ex ære, in quibus pueri iſti omnes babtiſati dicuntur, pendent cum hac ἐπιγραφῆ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

IN DESE TWEE BEKENS SIIN ALLE
DESE KINDEREN GHEDOOPT.

Adſcribam fœcundæ mulieris, quæ circa ipſa hæc tempora vixit, exemplum, & deſinam. *Circa Annum Chriſti* M C C LXXIX, inquit Ricoboldus Ferrarienſis in Pomario Eccleſiæ Ravennatis, *Antonia mulier Mutinenſis ante annum ætatis ejus* (id eſt, ſuæ) *quadrageſimum, filios quadraginta duos peperit ex viro exule Mutinæ: decies gemellos peperit, pluries quaternos, interdum ſex, interdum vero tres.* Sed quid refero iſta tam levia hoc loco? Muſcam elephanto comparamus.

NALDVICVS, pagus & antiquitate & amænitate ſpectatiſſimus. Hic collegium VI Canonicorum à Wilhelmo loci dynaſta, anno 1307, erectum eſt. quod anno 1369 Wilhelmus Naeldwicenus, prædicti Wilhelmi nepos, mirum in modum ampliavit, ſex Canonicis adjectis. Familia Naeldvicena veterrimæ nobilitatis eſt. Iam enim anno 1250 Wilhelmum Naeldvicenum, arci Wijdeneſſenæ in Weſtfriſia præfectum, & ſtrenue contra Friſios res gerentem, agnoſcunt annales. Pagum hunc patriam ſuam agnoſcit vir doctrina&fama cum paucis comparabilis, Martinus Dorpius. Hic eloquentiam, Philoſophiam, & dein etjam Theologiam in Lilienſi Lovanienſium collegio profeſſus eſt, liberalium omnium diſciplinarum, & utriuſq; linguę cognitione probe inſtructus. Obijt immatura morte, anno 1525, prid. Kalend. Iunias. Sepultus eſt Lovanij in Cœnobij Cartuſianorum porticu. Vbi Epitaphium ejus hoc legere eſt, ab Eraſmo Rotterodamo, cui acceptiſſimus vixit, concinnatum:

Martinus ubi terras reliquit Dorpius,
Suum orba partum flet parens Hollandia,
Theologus ordo luget exſtinctum decus,
Triſtes Camænæ candidis cum gratiis
Tantum patronum lachrymis deſiderant:
Lovanienſis omnis opplorans ſchola,
Sidus ſuum requirit; ô Mors, inquiens,
Crudelis, atrox, ſæva, iniqua & invida,
Jtan' ante tempus floridam arborem ſecans
Tot dotibus, tot ſpebus orbas omnium
Suſpenſa vota? premite voces impias;
Non periit ille, vivit, ac dotes ſuas
Nunc tutò habet, ſubductus ævo peſſimo.
Sors noſtra flenda eſt, gratulandum eſt DORPIO.
Hæc terra ſervat, mentis hoſpitium piæ,
Corpuſculum, quod ad canoræ buccinæ
Vocem, refundens optima reddet fide.

OBIIT ANNO M. D. XXV. PRID. KAL. IVNIAS.

Eſt & ibi aliud honorarium per Ludouicum Vivem;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

QVICVNQVE PROPERAS, VIATOR,
SISTE,
EXIGVAM MORVLAM POSCIMVS;
TVANE MAGIS CAVSSA, AN NOSTRA,
VBI HÆC COGNOVERIS
CENSETO.
MARTINVM DORPIVM BATAVUM
MORS SVPERVM MINISTRA
MORTALIBVS ERIPVIT.
IMMORTALIBVS REDDIDIT.
SIC VIXIT, VT TERRA ESSET EO INDIGNA:
SIC MORTVVS EST,
VT COELVM VIDERETVR ILLVM
TERRIS INVIDERE.
ANIMAM TVLIT DEVS,
CARNEM MORBVS,
OSSA NOBIS AD SOLATIVM RELICTA.
AMICIS TALEM MORTEM PRECAMVR,
INIMICIS TALEM VITAM.
IN REM TVAM MATVRE NVNC PROPERA
VALE ET VIVE.

HVNTSLARDICA dynaſtam hodie agnoſcit illuſtriſſimum Aurangiæ Principem, Fredericum Henricum Naſſavium; qui eam, exſtructis ibi ampliſſimis & plane regiis ædificiis, indies magis magiſque illuſtrare non deſinit. *Huntſel* appellatur in tabula Lubberti, Abbatis Egmondani, quam quia & Naeldvici mentionem facit, ex Rensburgenſis Cœnobij archivis hic repræſentamus:

Nos Lubbertus Dei permiſſione Abbas & conventus Monaſterij Ekmundenſis notum facimus univerſis præſentia viſuris, venditionem terræ noſtræ, quæ infra parochiam de Naldhwik apud Huntſel ſita eſt, factam à Nicolao Monacho noſtro fratri Kerſtantio ad uſus Monaſterij ſanctæ Mariæ in Rinsburch, ratam habemus & gratam, volentes ut dictus N. nomine noſtro reſignet dictæ terræ proprietatem & faciat ſuper eo quitquid de jure fuerit faciendum. In cujus rei teſtimonium & perpetuam firmitatem præſens ſcriptum appenſione ſigillorum fecimus communiri. Actum & datum Anno Domini MCCLXII. *In die beati Odulphi Confeſſoris.*

OVERSCIA, vulgo *Ouverſcie*, à Sciæ fluminis, quæ mediam ſecat, trajectu nomen habet. Pagus cymbarum vel Delfos vel Roterodamum petentium aſſiduo appulſu ſatis celebris. Patriam hanc agnoſcit *Hermannus D'overſchie*: qui artium Magiſter, & Iuris prudentiæ Doctor in Lovanienſi Academia creatus anno 1572 vitam exuit. Nihil ejus extat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

ſtat, præter epitaphium, quod Lovanij in æde primaria D. Petro ſacra ejuſmodi legitur:

D. O. M.

ET PIIS MANIBVS
M. HERMANNI FRANCISCI DOVERSCHIE
DELFENSIS
PETRVS FRANCISCVS DOVERSHIE
FRATRI CHARISSIMO
FRATER MOESTISSIMVS.
POS.

Hoc tumulo HERMANNI DOVERSCHIE *membra quieſcunt,*
Quem fratri ſtruxit fratris amica manus.
Delfica cui dederat tellus primordia vitæ,
Lovanium erudijt moribus & ſtudijs;
Et juvenem primo legum inſignivit honore,
Vix licet impleſſet luſtra quaterna ſemel.
Quis juſtas igitur poſſet prohibere querelas?
Quis fratrem ad fratris flere vetet tumulum?

VIXIT ANN. XXI. OBIIT A. cIↃ IↃ. LXXII.
III. NON. IVNII. CVIVS ANIMÆ
DEVS SIT PROPITIVS.

s'GRAVENSANDA (nonnullis *Arena Comitis*) opidum non adſpernandum, & muro cinctum olim fuit, Comitum aula, quæ nunc Hagæ Comitis eſt, prælustre. Vnde & nomen ſuum habet. Pingui & grati ſaporis caſeo, non modo per Hollandiam, ſed & vicinas regiones ſummopere expetito, præ cæteris nobilitatur. Ager circumjectus nitidiſſimus, & lectiſſimi tritici feraciſſimus eſt. Antiquitatem ejus colligere eſt ex litteris Theodorici Hollandiæ Comitis, in quibus diſertim *Arena Comitis* vocitatur, ut vero ſimile ſit jam tunc Comitum aulam hic fuiſſe celebratam. Litteræ iſtæ, itidem ex membranaceo Codice piarum Donationum Monaſterij Renſburgenſis à me deſcriptæ, ſic habent:

Ego Theodericus Dei Gratia Comes & A. uxor mea Hollandiæ Comitiſſa notum facimus tam modernis quam poſteris, quod bona, quæ beatæ memoriæ Sophia quondam Hollandiæ Comitiſſa Eccleſiæ de Rinſburg liberaliter contulit: ſcilicet CXXV *libras & bona de Scyhe, & bona de Riſwikerbroke, &* XL *libras ſupra* XL *jugera terræ in terra, quæ dicitur Arena Comitis, & bona de Wormonde, nos quoque & avunculus noſter Otto Comes de Benethem, & ſoror ejus Sophia Abbatiſſa pro anima præmemoratæ Sophiæ Comitiſſæ & mariti ejus Theoderici Comitis, & pro animabus liberorum ſuorum, & omnium ſucceſſorum tam eorum, quam noſtrorum, eidem prædictæ eccleſiæ per manus noſtras confirmavimus, ea conditione, ut eadem bona in elemoſynas cedant; conſilio*

noſtro, & avunculi noſtri Comitis Ottonis jam dicti: ut autem hæc rata & inconvulſa permaneant, præſentem cartam ſigillo noſtro roboravimus. Teſtes hi ſunt, Boudwinus de Halthena, Hugo de Voorne, Symon de Harlehem, Wilhelmus de Teylinge, Arnoldus Dapifer, Johannes de Riſwic. Datum apud Leythen, anno Domini MCCXII, *kal. Septembris, Luna* VIII.

MONASTERIUM, vulgo *Monſter*, cujus vel ea de cauſſa mentionem prætermittere non potuimus, quod inibi Columella miliaria effoſſa ſit, cum hac inſcriptione;

IMP. CÆS.
M. AVREL. ANTO
NINO. AVG. PONT.
MAX. TR. POT.
XVI. CO. XIII. ET
IMP. CAES.
L. AVREL. VERO
AVG. TR. POT.
II. COS II. A. M
A. F. C. M. P
XII.

Interpretatio cuivis, qui litteras humaniores paullum novit, in promtu eſt. Litteræ illæ ultimæ ſingulariæ quid ſibi velint non video. Nec videre multum refert. Illud ſcio quot ab hoc vel illo loco ad hunc vel illum, qui nos fugit, miliaria ſint, ex more Romanorum, ſic ſolere indicari. Fruſtra igitur in earum interpretatione exquirenda ſe torquent eruditi. Vtut enim maxime vero ſimilia fuerint aſſecuti: nomen caſtri vel municipij intelligi poteſt, quod cum ignotiſſimis pariter ſit ſepultum. Ad illud autem inquirendum quid, quæſo, facient conjecturæ, capitales illæ ingeniorum carnificinæ?

VOORBVRGVS, pagus totius Hollandiæ antiquiſſimus, in quo arx horrendæ vetuſtatis ſuperioribus ſæculis ſtetit. Veſtigia ejus, rudera & monumenta etiamnum videntur. Ab Aureliano Auguſto iſtic conditam fuiſſe tradit, neſcio quo auctore, Iohannes Beka in Hungero, Epiſcoporum undecimo. *Circa annum Domini* DCCCLVI *incenſa eſt*, inquit, *arx munitiſſima in ea provincia, quam Hollandiam vocant, ab Aureliano quondam augusto illic conſtituta, quam vulgo* Arundulum *vocant in vico* **Voorburch**. *Cujus veſtigia ipſi videmus noſtra ætate, & fragmenta Romanam architecturam oſtentantia effodi: Veluti partem pavimenti teſſellati; pedem æreum confractæ ſtatuæ; nummos æreos, argenteos, atque aureos cum inſcriptione* AVRELIANI; *nec non catenulam auream cum ſmaragdis aliquot ſeſquiangulis politis & perforatis, contra Epilepſiam ad collum ſuſpendi ſolitis.* Idem narrat Wilhelmus Heda. Arcem hanc ampliſſimam, & circuitu ſuo ſpatium longe maximum fuiſſe complexam, ſubterraneæ ruinæ oſtendunt. Tanta veterrimorum nummorum copia noſtra ætate hic effoſſa eſt, ut exiſtimari poſſit Saturni ædem, aut Trium-virorum monetalium

hic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

hic olim fuiſſe. Lapidum præcipuorum inſcriptiones dignas putavi, quæ hic, tamquam horrendæ antiquitatis indices, legerentur. Ara ab arante ruſtico effoſſa ſic habet :

DIANÆ
IVNIANVS
AMABILIS
IIIIII. VIR
AVG. C.V.T. EX
IVSSV. IPSIVS
L. M.

Litteræ ſingulariæ C. V. T. ſignificant *Curatoris uſus titulo.* Nihil in cæteris difficultatis, quam majorem habet lapis iſte; anno 1624, Iunij 7, ibidém effoſſus :

I. O. M. SARAPI
ISIDI. FRVGIFERO
CÆLESTI. FORTVN
BONO. EVENTO
FELICITATI. LARI
VIALI. E. GENIO
LOCI. L. LVCREIVS
PAL. FAVSTINIAN
Ɔ LEGI. I. M. P. E. PRO. SE
SVISQ. I. E. R. V. L. CONSAC.

Cum parum intelligi videam, quid luculenta Inſcriptio iſta ſibi velit, quæ mea & ejus ſententia ſit paucis exponam. Lapis igitur iſte inſcriptus eſt præcipuis Diis Conſentis, quos Agricolarum Duces vocat doctiſſimus Togatorum omnium Varro lib. 1. cap. 1. de Re Ruſtica. Vnde primo quidem loco dicitur

I. O. M.] id eſt, *Jovi Optimo Maximo.* Ita Varro loco jam dicto primum illos invocare ſe dicit, *qui omnes fructus agriculturæ cœlo & terra continent, Jovem & Tellurem. Juppiter pater appellatur. Tellus vero mater.*

SARAPI. ISIDI. FRVGIFERO] Sarapis & Iſis etiam agriculturæ præfuerunt. De Serapide ita Ruffinus; *Alij*, inquit, *Iovem putant, cujus capiti modius ſuperpoſitus, vel quia cum menſura modoque cuncta indicet moderari, vel vitam mortalibus frugum largitate præberi.* Iſidis autem ſtatuæ hęc olim inſcripta fuiſſe narrat Diodorus Siculus : *Ego Iſis ſum Ægypti Regina, à Mercurio erudita,* &c. *Ego ſum Oſiridis prima frugum inventrix,* &c. Nec mirum adeo videri debet Iſidis in hoc lapide, quem præ manibus nunc habemus, fieri mentionem, cum diſertim teſtetur Cornelius Tacitus Iſin cultam quoque fuiſſe à Suevorum Germanorumque parte, eidemque eos ſacrificaſſe.

COELESTI FORTVNÆ] Fallitur Gotfridus Hegenitius, qui in Itinerario ſuo Friſio-Hollandico, nuper edito, COELESTI referri vult ad Iſin, FRVGIFERO autem ad Sarapin. Nihil minus. Cœleſtis Fortunæ plurimi ſcriptores meminere. Philaſtrius Brixienſis in Catalogo Hæreſium : *Alia*, inquit, *hæreſis in Judæis, quæ Reginam, quam & Fortunam Cœli nuncupant, quam & cœleſtem vocant in*

 Africa,

Africa, &c. Spartianus in Triginta Tyrannis *Deam Cœleſtem* nominat, *Cœleſtem* ſimpliciter Tertullianus Apologetico. Et ad hoc fortunæ epitheton indubie reſpexit Satyricus notiſſimo verſu:

> *Te facimus Fortuna Deam*, COELOQVE *locamus*.

Sed iſta hic ſufficiant. Alia alij loco & occaſioni ſervamus. Verſus duos poſtremos, in quibus litteræ illæ ſingulariæ, ſic lego & explico: *Centurio legionis primę minervię poſuit & pro ſe ſuiſque in eam rem votum libens conſacravit.* vel, *pro ſe ſuiſque in æternum rite votum libens conſacravit.* Legionis Minerviæ mentio etiam eſt in hoc lapide, anno 1625, XVII Martij hoc eodem in loco effoſſo

I· O. M. IVNONI. RE-
GINAE. MINERVAE
ET. GENIO. LOCI. T. FL.
PEREGRINVS. Ͻ
LEG. I. MIN. PRO. SE
ET. SVIS. V. S. L. M
DVOBVS. SILA-
NIS. COS.

Eſt & lapis iſte hic effoſſus anno 1624. Novemb. XV.

IN. H. DID
GENIO. COLLE
GI. PEREGR
VLP. DECEM
BER. ET. VERE
CVND. COR
NVTVS. DD.

Qui vero inſulſam illam de Elino, Ritſardi Friſiorum Regis filio, cui aſininas aures adſignat, ſunt commenti, non aliunde occaſionem ſumſere, quam ex nummis, qui plurimi hic olim effoſſi, & AVRELIANO inſcripti ſunt. Litteris enim temporum vetuſtate corruptis & fugientibus, cum nihil legi poſſet præter litteras poſteriores ELINVS, Aſininum Heroa iſtum in litteras miſerunt. fieri etiam poteſt ut cum BELINO Deo inſcriptos lapides legerent idem protruderint, Elinum arcis conditorem commenti. De Belino vetus inſcriptio eſt:

BELINO
SEX
CÆSERNINVS
FAVSTVS

item

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

item alia;

BELINO AVGVSTO
SACRVM.

Et in alio ſaxo;

BELINO SACRVM L.
VECTONIVS.

Libet nunc adſcribere verba politiſſimi Iunij.

Antiquiſſima, inquit, *memoratur in ore hominum celebris arx Elinæ (quem tantum alterum Midam faciunt Annalium ſcriptores, aſininis auribus Eſelorum appellantes) non procul diſſita ab Haga Comitis, Vorburgo pago vicina, quæ multorum jugerum ſpacium circuitu complexa dicitur, fidemque rei faciunt ruinæ & ſubterraneæ ſubſtructiones, in quibus effoſſa fuere ſuperioribus annis infinita omnis generis nomiſmata, inter cætera vidi & aureos nummulos ab adverſa parte Elinum loquentes; ab altera Doreſtatum, quam urbem Batavodurum Tacitus dixit.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

LEYDA.

Leyda. Lugdunum unde dictum. Lugidunum ſcribendum. Leithis. Lugdunum Batavorum Ptolomæi & Antonini. Pyrgus. Burchgravij. Eorum catalogus. Urbis initia & incrementa. Varia ejus privilegia & immunitates. Quæ ipſi proſpera, quæ adverſa evenerint. Academia, & quæ eam ſpectant. Viri celebriores.

LVGDVNVM Batavorum, quod Leidam ſui vocant, jam conſequitur, Vrbs ampliſſima ipſaque vetuſtate veneranda. De nomine ejus ante omnia differere, operæ pretium putavi. Lugdunum unde dictum ſit optime explicat Plutarchus libello elegantiſſimo, de fluviorum & montium cognomentis, ubi Ararem celeberrimum Galliæ Celticæ fluvium deſcribit; Μώμορος, inquit, οἰωνοσκοπίας ἔμπειρος ὑπάρχων, τὴν πόλιν Λούγδουνον προσηγόρευσεν. λοῦγον γὰρ τῇ σφῶν διαλέκτῳ τὸν κόρακα καλοῦσιν. δοῦνον δὲ τὸν ἐξέχοντα: καθὼς ἱστορεῖ Κλειτοφῶν ἐν ιγ᾽ κτίσεων. Id eſt: *Momurus augurij callentiſſimus Civitatem Lugdunum vocavit.* Lugū *enim dialecto ſua corvum vocant,* Dunum *vero locum eminentem, ut refert Clitophon lib.* XIII *Conditionum*, nempe urbium. Notat hic eruditiſſimus Philippus Iacobus Mauſſacus pro Λούγδουνον reſcribi oportere Λουγόδουνον, ut etymologiæ, quam hic proponit Plutarchus, ad amuſſim reſpondeat. Sed libet ipſum differentem audire: *Dunum*, inquit, *veteri lingua Celtica & hodierna Belgica locum editum aut montem ſignificare vulgare eſt; unde ſit ut omnia fere Galliæ oppida, quorum appellationes in* dunum *terminantur, in montibus aut eminentibus locis ſita ſint, ut Lugdunum Seguſianorum, Laudunum clavatum, Vxello dunum, & infinita alia, quæ omittimus. Græci, teſte Herodoto, loca illa edita* Βουνοὺς *dixere, quamvis Grammatici exiſtiment vocem hanc eſſe Lybicam, Diodorus lib. 5. Biblioth. de Hetruria eleganter:* καὶ βουνοειδέσιν ἀναστήμασι τόπων διειλημμέναι γεωργησίμοις hoc eſt, clivoſos colles habet arationi idoneos. *Ab hac voce* βουνὸς *non valde diſtat* δοῦνος *vox Celtica, & quemadmodum hodie Belgæ vocem* δοῦνος *retinent, ut monticellos & colliculos exprimant, ita etiam noſtri Galli protuberantes & tumentes extremitates* Bouts ou Boutons *vocant, & eadem ſignificatione* but ou bute de terre *à voce* Βουνὸς, *à qua veteres agrorum finalia ſigna* bonnes *appellarunt, ut finium regendorum actio* plet des bonnes, *bobonnes tantonum ſcilicet, vel botontinorum, aut bodonum, hanc enim uſurpat vocem Paullus lib. 5. Sentent. ex reſtitutione clariſſimi Cuiacij. Lugdunum igitur dictum eſt quaſi* Lugodunum, *id eſt*, Corvi mons, *ex auctoritate Clitophontis. Et quidem prius Lugodunum dictam fuiſſe hanc civitatem apertiſſime docet Dio,* τὸ Λουγόδουνον μὲν ὀνομασθὲν νῦν δὲ Λούγδουνον λεγόμενον. *Et in veteribus Epigrammatis ſæpiſſime* Lugodunum *legitur. Gloſſæ Iſidori.* Lugues, Lugdinenſes, *forte* Lugoes *à* λοῦγος *id eſt*, corvus *lingua Celtica. Ita interpretamur*

locum illum Iſidori. Certe Belgæ hodieque colles illos arenarios, qui Oceano paſſim in Hollandia objecti ſunt, *duynen* vulgo appellant. *Lugodunum* autem non *Lugdunum* fere ſcribitur in lapidibus antiquis. Talis ille;

D. M.
ET
MEMORIÆ. ÆTERNÆ
Q. VIREI. LAVRENTINI
IIIIII. VIRI. AVG. C.C.C. AVG.
LVGVDVNI
HOMINIS. INCOMPARABILIS
ET. VIRELÆ. ATHENAIDI
CONIVGI. EIVS. MEMORIAM
QVAM. LAVRENTINVS
CONIVGI. KARISSIMÆ
FECERAT. VIREIVS. ATHE-
NAGORAS. FILIVS. EORVM
EVMDEM. LAVRENTINVM
CVM. CONIVGE. COLLOCAVIT
ET. SVB. ASCIA. DEDICAVIT.

Nec aliter ſcriptum eſt in iſto;

TI. CLAVDI. AMANDI
IIIIII VIR. AVG.
C. C. C. AVG. LVGVD.
PATRONO
SANCTISSIMO
CLAVDI
PEREGRINVS. ET
PRIMIGENIVS
LIBERTVS. ET. HEREDES
P. C.

Lugos autem vocem quod attinet, quæ corvum ſignificat, veſtigium ejus etiamnum in noſtrati lingua, quæ eadem eſt cum veteri Gallorum, agnoſcimus. Voracem enim & rapacem, quod utrumque optime cum natura corvi reſpondet, *luyich* appellamus. Aliam tamen vocis Lugduni originationem innuere videtur Ericus Monachus in vita S. Germani lib. 4. à *Dunus* nempe, quod montem, ut jam diximus, deſignat, & *lucht*, quod lucem aut aërem Gallis Belgis notat, quaſi dicas *Montem lucidem.* Verſiculi ejus ita ſe habent;

Lugduno

Lugduno celebrant Gallorum famine nomen
Impoſitum quondam, quod ſit Mons Lucidus.

Leida *Leidni* appellatur in Annalibus Godefridi Monachi ad annum Salutis DCCCIV, *Circa ipſum tempus*, inquit, *Theodericus Epiſcopus Trajectenſis, cum exercitu & plurimis nobilibus Hollandiam intravit & provinciam Comitis de Los rurſus ſubjugavit. Sed Epiſcopo recedente, cum idem Comes cum ſuis in quodam opido, nomine Leidni, degeret, præfatus Guilhelmus de maritimis partibus contracto exercitu plurimos eorum captivavit.* In Annalibus Fuldenſibus *Linduit* vocitatur. In diplomatis antiquis fere *Leidis*, *Leithis*, & *Lithis*. Nec aliter in catalogo bonorum eccleſiæ Trajectenſis ſub Odilbaldo ad annum 800; Vbi diſertim ſic legitur;

In prima Lethen *duo*,
In ſecunda vnum,
In tertia vnum.

De Leida autem illa, quam præ manibus nunc habemus, intelligi hanc oportere, conſequentia apertiſſime indicant. Commemorantur enim pagi, qui circa Leidam hodieque poſiti ſunt. Verba ipſa attexam;

In Rodanburch *quinque manſus*,
In Legiham *quinque*,
In Lopishem *duo*,
In Lippinge *ſimiliter*,
In Wattinchem *tria*,
In Fore *ſimiliter*,
In Foreburch *duo*,
In Forſchate *tria*. &ita porrò.

Ex quibus etiam illorum locorum antiquitatem licet æſtimare. Ego autem quid prima illa Leithis, & ſecunda, & item tertia ſibi hic velint, ignorare me candide profiteor. ſi qui certiora habent in publicum proferant. Optimus vates futurus eſt, qui optime conjexit. Nec tamen lectorem meum celare volo, quid diligentiſſimus Heda ſuper hac re ſit commentus; *Ad occidentalius oſtium Rheni*, verba ejus ſunt, *Lugidunum, ad orientalius vero Navaliam urbes ſitas teſtatur Ptolomæus, & Antoninus Pius. Hoc Lugidunum autem ex alluſione Gallici ſive Francici vocabuli Leidim opidum conjicere poſſemus. Nam vulgo dicitur Leien, & Gallice* Lugdunum, Lion, *ſive* Leion, *& in commemoratione donationum Eccleſiæ Trajectenſis invenitur Leithus prima, Leithus ſecunda, Leithus tertia; ita Lugdunum prima, Lugdunum ſecunda, & tertia legitur apud auctores. Forſan tria hic fuere ſimilia præſidia.* Leidam *Legiam* appellat Cornelius Aurelius, à legionibus, ſi DIs placet, Romanorum. Leodium *Legia* olim appellabatur. Noti ſunt verſiculi de Notgero, Leodienſi Epiſcopo, & ejus urbis inſtauratore præcipuo;

Legia dotatur per me, Caprimons ſpoliatur,
Hic ruit, hæc ſurgit; manet hæc, nec ille reſurget.

Leidam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Leidam autem eſſe Lugdunum Batavorum, cujus meminit Ptolomæus, & Germanorum caput appellat Antoninus, dubitari neutiquam debet. Situs enim, quem Batavico huic Lugduno adſcribit Ptolomæus, cum hodierno opidi Leidenſis plane reſpondet. Ad occidentalius enim Rheni oſtium ponit Ptolomæus. Sed verba omnia Geographorum Principis adſcribam, ut lectori meo de ſententiæ hujus veritare propius conſtet. Ait ille lib. II. cap. IX. tabul. tert. Europæ. *Occidentale latus Galliæ Belgicæ, & quod Lugdunenſem attingit, dictum eſt. Ejus ſeptentrionalia, & quæ Britannicum ſpectant Oceanum ſic ſe habent:*

Poſt Sequanæ flu. oſtia				
Phrudis flu. oſtia.	21	45	52	20
Itium promon.	22	15	53	30

Morinorum.

Geſoriacum navale	22	45	53	30
Tabudæ flu. oſtia	23	30	53	30
Moſæ flu. oſtia				

Batavorum.

Lugodunum	26	30	53	20
Rheni flu. Occidentalius oſtium	26	45	53	20
Medium flu. oſtium	27		53	10
Orientalius ejus oſtium	28		54	0

Non abnuerim tamen *Loſdunum* cum Lugoduni nomine propius concurrere; ut & *Liſudinion*, qui pagus olim fuit in Batua, quam ſolum veterum Bataviam eſſe multi, ſed falſo, exiſtimant. Ejus pagi mentio eſt in donatione Rotharij Comitis, ſub Alphrico Epiſcoporum Trajectenſium nono; ad annum DCCCXXVIII. Sed argumenta non video, cur iſtis potius, quam Lugduno huic noſtro, Ptolomæi & Antonini Lugdunum ſit tribuendum. Lugdunum enim Batavorum in Antonini Itinerario juxta CASTRA ALBINIANA, nunc *Alphen*, collocatur, quæ proxime conſequitur Trajectum, deinde Argentoratum. Leidenſis autem urbis horrendam & ſupra memoriam hominum antiquitatem, præter alia, Pyrgus oſtendit, opus plane auguſtum, & quod à Romanis conditum hic fuiſſe neutiquam dubitamus. Quamquam Chronologi noſtrates circa annum datæ ſalutis quadringenteſimum & quinquageſimum ab Engiſtho Anglo Saxonum Duce exſtructum hic fuiſſe opinentur. quod lectori meo diſcutiendum relinquo. *Pyrgus* apud poſterioris ævi ſcriptores arcem deſignat; unde & *Burgenſes* pro civibus & opidanis uſurpari cœpti ſunt. Pyrgus aurem Leydenſis, *Burgum* vulgò corrupte vocant, opidi meditullio, juxta ædem D. Pancratio ſacram, editiori tumulo inhæret, & circuitu ſuo ultra quingentas perticas amplectitur; muro validiſſimo undequaque cinctus. Tantę altitudinis eſt, ut loca omnia circumjecta facilime hic luſtrentur. In meditullio ejus eſt puteus profundiſſimus; per quē Catvicum uſque aditum olim patuiſſe vulgi eſt opinio. Locus ipſe arboribus paſſim eſt conſitus, magno civium commodo & voluptate. à Burgo Burchgravij, ſeu Caſtellani appellantur. Horum primus ad annum 1090 commemoratur Adelwinus Caſtellanus, *id eſt Burchgravius*, ut loquitur Ioannes Gerbrandi, nam Burchgravij Leydenſes prius fuerunt

Caſtellani

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Caſtellani. ad annum 1200 vixit Iacobus. Sub Florentio quinto Henricus. Sub Wilhelmo Bono Philippus & alij deinceps conſecuti: uſque ad tempora Ioannis Burgundi, ſub quo omni poteſtate ſunt exuti, & cives ab graviſſimo eorum jugo, quã rem ſuo loco & tempore fuſius proſequemur, liberati. Burchgravlatu inſignita ſemper fuit illuſtris familia Waſſenariorum. Sigillum tamen, quo uſi olim Burchgravij ſunt, longe aliud fuit, quam hodie eſt Waſſenariorum. Sigillo quidem, quod anno Domini 1360 litteris Diderici Waſſenarij, Burchgravij Leydenſis adfixum eſt, tres lunulæ cum totidem trabibus inſcriptæ ſunt. Sed in archivis Monaſterij Rensburgenſis licuit mihi aliquando videre Burchgravij ſigillum, triangulari forma concinnatum, cui infixæ erant trabes quaternæ. Lunularum nullum erat veſtigium. Nunc audire iſta lubet, quæ de Burgl; atque adeo primis opidi Leydenſis incunabilis Ioannes Gerbrandi, ipſe Leydenſis, perſcripſit.

Cum Saxones Friſones, inquit, *cum Sclavenſibus, id eſt Hollandenſibus, reverſi fuiſſent, cæteris ibidem dimiſſis, & jam non habentes opus præ manibus neſcirent quid agerent, & quo ſe verterent, perrexerunt pariter ad Sylvam inmitem, in manu forti, & ibidem apud curſum Rheni fluminis, magnum caſtrum fundaverunt, quod nunc Leydis nominatum. In eodem ergo Leydenſi caſtro ordinaverunt ex ſeniorum conſenſu, conſtitueruntque pro nemoris cuſtodia quemdam Burchgravium, ſeu Caſtellanum virum robuſtum, cum animoſis pleriſque viris. Vt idem Caſtellanus, ſive Burchgravius, cum eis defenderet, & ſecure duceret mercatores euntes & redeuntes ab illo caſtro ad caſtrum Wiltenborch & Slavenborch, & ideo dicebatur caſtrum illud Leyden,* id eſt, *ductio. Itaque hic locus tranſactis multis annis, adeo hominibus & domibus repletus eſt, ut opidum magnum fieret, tamque egregium opidum ibi excrevit, ut Poëta quidam noſtris temporibus de eo tale carmen promeret, dicens.*

Salve dulce ſolum, tellus pulcherrima ſalve,
Leiden finitimæ lux regionis ave.
Diceris Hollandæ minus immerito camera eſſe:
Poni in parte domus quæ meliore ſolet.
In medio noſtræ te namque ſitum reor oræ
Delitiis pleno lætitiaque loco.
Adſunt templa tibi ſat mirandæ ſpeciei,
In [a] *quo divinum rite fit officium.*
Eſt in honore Petri ſtructum templum tibi ſancti,
Quod liquet ex templis pulchrius eſſe tuis.
Templo Pancrati fons eſt pulcherrimus almi,
Qui de ſyncero conſtat, & ære bono.
Tumbo tibi procerum nec deeſſe videtur avorum.
Eſt tibi adhuc denſus nobiliumque chorus.
Es nec ad arma viris viduata gerenda peritis
Martia, magna nimis, fortibus, intrepidis.
Quin in te generum fiunt panni variorum;
Fama fere quorum pervolat omne ſolum.
Paſcitur humanum corpus quibus, eſt tibi rerum
Diverſi generis copia magna ſatis.
Sed poterit laudum quis idoneus eſſe tuarum
Nuncius, aut præco congruus, ede, rogo?

[a] Lege, quis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Nam merito poterunt adſcribi quæ tibi laudes,
Tales ac tantas eſſe [c] *tot atque reor:*
Munere quod Vatis videantur egere periti,
Aut excellentis Rhetoris officio.
Munita es populo ſexus utriuſque decoro,
Ornata lepido, pergracilique pio.
Te conſtat terras ſuperare decore propinquas,
Munditie, claris moribus atque bonis,
Stratis atque [d] *viris, vicis, pulchris,* [e] *plateis,*
Et domibus pulchris, rebus & [f] *in reliquis.*
Dicere Trajectum merito potes ipſa ſecundum,
Illi perſimilis eſſe videre ſatis.
Quas generas, pulchræ mulieres atque puellæ,
Sunt magis hac ulla quam regione ſatæ?

c Legendum puto *puto*.
d Scripſit auctor; *atque viis*.
e Malim *pulchriſque*.
f Scribe *& ingenuis*, ex ſtylo & more hujus Poëtaſtri.

Anno MCXXI ædes D. Petro ſacra, conſacrata eſt ab Godebaldo, Antiſtitum Trajectenſium 24; ut docet tabella, quæ ante annos centum in eadem hac æde legebatur.

ANNO 1121, DOMINICA POST FESTUM NATIVITATIS VIRGINIS (QVOD IN SEPTEMBREM SEMPER INCIDIT) PRÆSENS ECCLESIA CONSACRATA EST IN HONOREM DEI, ET S. APOSTOLORVM S. PETRI ET S. PAVLI, SVB VENERABILI DOMINO ET PATRE GODEBALDO, EPISCOPORVM TRAIECTENSIVM VIGESIMO QVARTO.

Anno MCCLXVI. Florentius quintus Leidenſibus varias immunitates conceſſit, quæ his tabulis expreſſæ leguntur.

Ego Florentius Comes Hollandiæ notum facio omnibus præſentes litteras inſpecturis: quod dilectos & fideles opidanos meos in Leyden præſentium conſervationes ſub mea protectione recipio ſpeciali, antiquas eorum ipſis de meis progenitoribus conceſſas & renovans & ratificans immunitates ex nobilium ac domeſticorum meorum conſilia ipſorū exigentibus meritis ſpeciales aliquas libertates proprias, ut condecet, ſuperaddens. hæ autem indultarum ipſis condi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

conditiones & formæ ſunt libertatum, quas ſubſcripta ſeries plenius & planius explanabit.

I.

Opidani in Leiden nullas caligias, tributa, vel exactiones, quocunque nomine conferantur, mihi vel alicui dabunt, niſi caligiam ab anno tertio in tertium, quæ vulgo Bottinge *dicitur. quæ videlicet tres libras cum quinque ſolidis non excedit. Si vocatus ad curiam imperatoris fuero, ſi ego filiuſve meus vel frater gladio militiæ adjuti fiamus; ſi ego filiuſve meus vel frater uxorem duxerimus, ſi filiam meam vel ſororem meam matrimonio compulſaverimus* (lego *copulaverimus,*) *in quovis articulo* x *libras Hollandicas tribuent. Ad bellum ac expeditionem meam ac univerſalis terræ cum ipſa inciderit cum viginti quinque hominibus proficiſcentur & in propriis expenſis, donec ad me venerint, ſed ex tunc quamdiu bellum duraverit, id eſt, meis expenſis erunt circa tentorium meum ſingulis noctibus vigilantes.*

II.

Per totum diſtrictum meum Hollandiæ videlicet & Zelandiæ in omnibus ſuis negotiationibus abſque thelonio eis liceat libere proficiſci.

III.

Quicunque requiſitus per nuncium Comitis vel judicem Caſtellani advocatus juratis treugas dare renuerit, ſi convictus fuerit cum duobus de octo juratis, decem librarum eſt pœna plectendus.

IV.

Qui alterum per capillos traxerit, & cum duobus de juratis convictus fuerit, decem ſolidorum pœnam incurrit.

V.

Qui alterum clava vel baculo percuſſerit, duarum librarum pœna plectetur; ac læſo taliter ſatisfaciet, juxta conſilium juratorum; & ſi forte omnes non concordaverint, arbitrio quinque ſtabitur juratorum. Si vero inter juratos tanta diſſenſio ſuborta fuerit, quod ad concordiam non poterunt revocari, læſo juxta conſilium Comitis ſatisfaciet.

VI.

Qui alteri vulnus intulerit, quod Matevvonde *vulgariter dicitur, manus amputatione plectetur. Si in ipſo maleficio fuerit aprehenſus pœna duarum librarum & duorum ſolidorum eſt pœna plectendus, & viginti ſolidis*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

ſatisfaciet vulnerato, vel ſe illo modo, qui Iuffre dicitur, coram judice legitime expurgabit. Si vero vulnus majus fuerit, prout juſtum fuerit, emendabit. Qui alteri digitum amputaverit duarum librarum & duorum ſolidorum eſt pæna plectendus. Si vero extraneus fuerit ſecundum communem juſtitiam emendabit.

VII.

Quicunque ex opidanis in opido pugnaverit extra opidum contra voluntatis ſuæ beneplacitum nuſquam ducetur, nec in opido contra voluntatem ſuam ponetur, ſi in opido habuerit, unde poſſit ſatisfacere, vel de ſatisfaciendo læſo & Comiti fidejuſſoriam vel aliam ſufficientem præſtare poterit cautionem.

VIII.

Qui alteri pedem vel manum, vel brachium amputaverit vel oculum extraxerit, decem librarum pœna plectetur. Et ego læſo emendari faciam, juſtitia mediante.

IX.

Si octo, qui jurati fuerint, propter juſtitiam ſive juſte latam contra quemcumque ſententiam, inimicitias quoque inciderint, ego & Caſtellanus ipſos tueri conabimur, in hac parte Domino de Theylinge nos fideliter adjuvante.

X.

Quicunque pacem domus violaverit, domum cujuſdam inpugnando, quinque librarum pæna eſt plectendus.

XI.

Nemo cujuſcunque conditionis ſit, potiſſime ad tributa & caligias obligatus opidum manſionem in ipſo facturus, ut libertate opidi fruiturus intrabit, ni obtento prius meo, vel mei judicis, nec non & octo juratorum expreſſo conſenſu.

XII.

Quicunque alteri dixerit proproſo * menſium duorum ſolidorum pænam incurrit, & ei, quem ſic offendit, duobus ſolidis emendabit.

XIII.

Si aliquis opidanorum homicidij, rapinæ, vel furti, ve quacunque gravi alterius modi infamia, reſperſus fuerit juxta qualitatem criminis. Si à juratis opidi convictus, vel in ipſo facinore deprehenſus morte punietur. Alioqui ſuæ innocentiæ ſtabitur, nec ad examen duelli poterit aliquatenus provocari.

XIV. Si

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

XIV.

Si quiſquam de juratis opidi inutilis extiterit, ſine contradictione amovebitur, & alius magis utilis ac neceſſarius ipſi ſubſtituetur.

XV.

Quidquid per octo juratos & Judicem ad utilitatem & promotionem opidi ſtatutum & ordinatum fuerit, ab omnibus erit approbandum & firmiter obſervandum.

XVI.

Præterea cum jus patronatus Eccleſiæ de Leyden ad me pertineat pleno jure, dictis opidanis bona fide polliceor & promitto, quod cedente vel concedente Magiſtro Gerardo, jam dictæ eccleſiæ Rectore, duos Preſbyteros idoneos ſucceſſive & perpetue ad dictam eccleſiam, putando, ut quaſi veri paſtores proventum æqualiter dividant ad Dei honorē, & animarum ſalutem ſimul totam Parochiam laudabiliter gubernabunt, Præterea cum prædictæ libertates per meum heredem & ſingulos ſucceſſores Comitatus Hollandiæ debeant renovari, appenſo ſigillo novi heredis, conſtabit vas vini integrum opidanis. Acta ſunt apud Teylingen, Dominica proxima poſt Luciæ, ex conſilio & admiſſione nobilium videlicet, Domini Symonis de Herlem, Domini Theodrici de Teylinge, Domini Ghyſberti de Aemſtel, præſentibus Waltero de Egmonda, & Wilhelmo de Benten militibus, Vilhelmo de Egmonda Procaſtellano de Leyden, cujus ſocer d. aſſenſum præſtante. Interfuerunt etiam Dominus Gerardus de Wateringe, Albertus de Velſen, Wilhelmus de Hairlem, Walterus frater Wilhelmi de Egmonda, & quam plures alij, anno Domini* M. CC. L X. *ſexto.*

Litteras iſtas paullo poſt, nempe anno ſexto ſæculi proxime conſecuti, confirmavit Wilhelmus Hollandiæ Comes, cui à vitæ morumque integritate Boni inditum eſt cognomentum. Ita tamen, ut nonnulla, quæ ex re Leydenſium non eſſe videbantur, antiquarit, nonnulla ampliarit, novis aliquot privilegiis, quæ jus fori præſertim ſpectant, adjectis. Teſtes commemorantur, Guido Epiſcopus Trajectenſis, Gerardus à Voorne, Burchgravius Zelandiæ, Nicolaus Dominus de Putten & Strenen, Henricus Burchgravius Leydenſis, Gerardus ab Heemſkerck, Kerſtantius à Raphorſt, Gerardus à Raphorſt, Ioannes de Morlijn, Henricus Splijnter, de Remmerſwale, Giſbertus de Iſelſtein, Simon de Benthem, & Iohannes de Duvenvoirde.

Anno MCCLXVII Florentius Quintus Commandatorem & fratres Ordinis Teutonici, Trajectenſes, Paſtoribus D. Petri, ſolennibus litteris indultis, præfecit. Fratres autem Ordinis Teutonici, ut hoc ſemel dicam, iidem ſunt, qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

qui etiam *Mariani* dicuntur. Hi circa annum 1190, poſt Ptolomaida expugnatam in Germaniam reverſi, poſt res varias domi foriſque, ac præſertim in Lithuania atque adeo Ruſſia univerſa, præclare geſtas, à Frederico ſecundo ſunt inſtituti. De horum origine plura qui volet adeat libellum de ordinibus militaribus, quem ante annos centum & quod excurrit, Bernardus de Lutſenburgo, ordinis Prædicatorum, longe elegantiſſimum deſcripſit.

Anno MCCLXXIV ejuſdem Florentij litteris cautum eſt, ne quis civitate Leydenſi donetur, niſi Scabinis & Burchgravio adſenſum præbentibus. Sed diploma ipſum videtur dignum, quod hic legatur, ne pereat:

Florentius Comes Hollandiæ univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem & noſcere veritatem: Cupientes dilectos noſtros opidanos de Leyden propter grata ipſorum obſequia, quæ nobis, & noſtris anteceſſoribus frequentius inpenderunt, & adhuc inpendere conabuntur, favore & gratia proſequi ſpeciali, ipſis tenore præſentium duximus concedendum, quod quilibet homo abhinc deinceps, qui volet & petet recipi in opidanum dictæ villæ de Leydis, idem per Burchgravium & Scabinos præfatæ villæ ad hoc recipi debet & admitti, & dare debet in ſignum receptionis ſuæ prædictæ XL *libras Hollandiæ, & non plures. Quarum media pars ſuccedet Burchgravio, & reſiduum cedet Scabinis memoratis, & dictus receptus permanebit in dicta villa, ſicut cæteri oppidani moraturus. In cujus rei teſtimonium & munimen præſens ſcriptum ſigillo noſtro fecimus communiri. Datum & actum apud Leyden, feria tertia poſt Octob. Purificationis beatæ Mariæ Virginis anno Domini* MCCLXXIV.

Anno MCCC Iohannes ſecundus ejus nominis Hollandiæ Zelandiæque Comes, Leydenſibus, ob præclara eorum in ſe & majores ſuos merita, forum liberum, quotannis, feſto S. Margaretæ, inſtituendum conceſſit. Litteræ ejus datæ ſunt anno jam dicto, die, qui S. Martini tranſlationi ſacer eſt.

Idem Comes triennio poſt, feria quarta poſt S. Martini feſtum, forum juridicum, quod Saturni die hactenus celebratum erat, die Martis celebrandum inſtituit, quia ita ex re civitatis eſſe judicabat.

Anno MCCCXV ædes altera D. Pancratio dedicata eſt; quæ *Hoochlandica* vulgo appellatur, quod in altiori ſolo ſita ſit.

Anno MCCCXLIIIV à Margareta Auguſta Vrbis Leydenſis juriſdictio confirmata eſt & plurimis locis ampliata: Quod ſollennibus & vernaculis litterarum verbis libet enuntiare; ne quid de veritate rei deteram.

Margriet by de Genaden Godts Keyſerinne van Romen altijt meerende, &c. hebben onſe lieve en ghetrouwe Poorteren van Leyden vry ghegeven mit alle vryheden

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

heden en Privilegien ende recht, ghelijcken dat ſy haer vryheden ende recht hebben binnen der vryheden ende recht hebben binnen de vryheden vander poorten van Leyden voorſz. tot elcken van hoeren vrijheyt voorſz. twee hondert roeden lank uytſtreckende, ende op elcke zijde vander vrijheyde, die ſy nu hebbe en die wy hen nu in de langhe ghegheven hebben, dair toe twee hondert roedē breeder is omgaende daer ſy nu is alſoo verre als onſen Poorteren van Leyden voorſchreve vercrijghen mogen ande Ambochts Heeren, is wes Ambocht hoir vrijheyt ghemeert ſal worden, &c. Ghegheven tot Sinte Geertrijdenberghe des Vrijdaechs na Sint Jans-dach Decollation anno Domini MCCCXLIII.

Anno MCCCLXIII Eccleſia, quæ S. Mariæ ſacra eſt, fundata eſt ac dedicata; ut certo mihi conſtat ex litteris, quas in Archivis Monaſterij Rensburgenſis repertas hic adſcribam:

Nos Hugo ab Hant Prætor, Gerardus Rijſwic, Jſbrandus Raetaerts, Michael Gerardi, Philippus Iohannis, Wilhelmus à Voirburch, Hugo Iohannis, Hugo Nicolai à Burch, & Petrus Hugonis, Scabini, Daniel Iohannis, & Didericus a Boſche Senatores opidi Leydenſis Notum facimus omnibus, & præſatæ civitatis nomine fatemur, nihil juris nobis competere in donationes Capellæ quæ jam nunc fundata & exſtructa eſt in Leyden, in Marendorp, in Parochia de Oeſtgeeſt, quæ capella ſeparata & ſejuncta deinceps erit à Parochiali Eccleſia de Oeſtgeeſt, & conſacrabitur, volente Deo, in honorem Dei in Eccleſiam æternum futuram, de communi conſilio & conſenſu honeſtæ matronæ Clariſſæ, gratia Dei, Abbatiſſæ de Rinſburch, Ordinis Sancti Benedicti, & ejus Conventus: quandoquidem donatio Eccleſiæ de Oeſtgeeſt ab antiquo ad Abbatiſſam Rinſburgenſem pertinuit, quemadmodum à prædeceſſoribus noſtris accepimus. Jn teſtimonium veritatis litteras iſtas opidi noſtri ſigillo communivimus. Datum anno Domini MCCCLXIII, *Veneris die poſt Feſtum Sancti Valentiniani,*

Erant & iſtæ;

Nos Prætor, Scabini, & Senatores opidi Leydenſis notum omnibus facimus, Nos inter alias Civitatis Leydenſis literas has etiam vidiſſe integras, non cancellatas, nec abolitas, nec aliqua ſui parte vitiatas honeſtæ matronæ Clariſſæ à Schenyen, Dei gratia, Abbatiſſæ de Rinsburch & Conventus ejus ſigillo communitas, atque conſcriptas in hæc verba. Nos Clariſſa à Schenyen, gratia Dei,

Dei, Abbatiſſa de Rinſburch, ordinis Sancti Benedicti notum omnibus facimus, quod ex libera voluntate & communi conſenſu Conventus noſtri, Dei cauſsâ, flagitante & hortante Domino Henrico Spikers, Preſbytero eccleſiæ de Oiſtgheeſt, ob preces Opidi Leydenſis conſenſerimus & permiſerimus, conſentiamus & permittamus, ut Capella, quæ fundata eſt in officio de Leiden, & ſita eſt in Parochia de Oiſtgheeſt, dicetur & conſacretur in eccleſiam Parochialem & nunc & in æternum futuram; ſalvo tamen noſtro & Conventus noſtri jure, quod ſcilicet donationem eccleſiæ præfatæ, ſi vacare aliquando eam contingat, ipſi dabimus ex conſcientia pro arbitrio noſtro, abſque ulla contradictione Opidi Leydenſis; ſalvo etiam jure eccleſiæ de Oiſtgheeſt, & Curatoris ejus annua Penſione de nova hac eccleſia, id eſt, ex ea habebit ſex ſcutatos annuatim, viginti quatuor Flandricis aut Dordrechtenſibus Grotis pro unoquoque ſcutato computatis, ad Nativitatis duos, ad Paſcatis duos, ad Pentecoſtes feſta itidem duos, abſque ulla remora aut controverſia ſolvendos. Si autem contingat ut aliqua perſona ad promovendum cultum divinum pro remedio animæ ſuæ Capellaniam in nova hac eccleſia fundare & excitare voluerit communi conſenſu & voluntate Magiſtratus Leydenſis eidem juri noſtro renunciamus, facta & tradita poteſtate ei, qui Capellaniam fundaturus eſt, aut legitimis ejus heredibus & ſucceſſoribus, aut quibuſcunque hoc jus ſuum tradere voluerit, ut juxta tenorem fundationis ei munus libere tradat in honorem Dei, cuicunque voluerit, abſque ulla aut noſtra aut Conventus noſtri contradictione. Et ut præfatæ omnes conditiones ratæ & inconcuſsæ à nobis & conventu noſtro, qui jam ſunt, aut poſtmodum futuri ſunt, conſerventur nos Dei & Domini Henrici & civitatis Leydenſis cauſſa litteras iſtas noſtri & communis conventus noſtri ſigilli teſtimonio duximus muniendas. Datum anno Domini milleſimo, trecenteſimo & ſexageſimo quarto, Veneris die poſt feſtum S. Valentiniani. Nos autem Prætor Scabini & Senatores opidi Leydenſis præfati has litteras in teſtimonium veritatis, communis ciuitatis noſtræ ſigillo communivimus. Datum anno Domino MCCCLXIV, *Veneris die poſt feſtum S. Valentiniani.*

Sigillum autem, ut hoc obiter moneam, quod litteris iſtis affixum vidi, longe aliud erat, quam illud, quo hodie Leydenſes utuntur. Forma viri erat, qui dextra clavem tenebat, & ædicula ſacra, quam viri ſeptem in tribunalibus conſidentes cingebant. Circumſcriptio hæc erat,

SIGILLVM OPIDANORVM ET IVRATORVM COMMVNITATIS DE LEYDEN.

Hodie

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Hodie duarum clavium altrinſecus inflexarum inſignibus Leydenſes utuntur. Porro haud difficulter eſt ex iſtis, quæ de Ædis hujus fundatione jam diximus ; colligere, aucta tunc temporis ampliataque urbis pomœria fuiſſe, à porta illa, quæ Renſburgenſis vulgo vocitatur, uſque ad Marnam flumen. Adeo ut Rhenus, cui *veteris* cognomentum nunc eſt; extrema foſſa civitatis tunc fuerit.

Anno MCCCLXVI à Ioanne à Vairenburch; Trajectenſium antiſtite, Canonicorum Collegium celeberrimum & ampliſſimum in Æde, divo Pancratio dedicata, de quà jam diximus, excitatum fuit. De cujus origine, ut & illis, qui præcipue id ipſum dotarunt, libet audire Ioannem Leydenſem lib. XXXI. cap. XV. *Anno*, inquit, *Domini milleſimo trecenteſimo, ſexageſimo ſexto, fundatum collegium ad Eccleſiam S. Pancrati in oppido Leydenſi, cooperante & adjuvante venerabili & litterato viro magiſtro Philippo Leydenſi, in quo ad honorem Dei omnipotentis & beati Pancratij præbendati viginti quatuor ſacerdotes Canonici, quorum beneficiorum fundatores fuerunt.*

D. *Gysbertus de* VValeburch, *Paſtor in Leyderdorp, & Protopræpoſitus hujus Collegij,*
Philippus de Leydis, *Doctor prædictus,*
D. *Volpardus de* VVou,
D. *Nicolaus de* Bleiſwijck,
Hugo van der Hant,
Philippus Gerardi,
Rutgerus de Poel,
Gerardus Jacobi,
Wilhelmus Herman,
Petrus Heuſch,
Hugo Curatus Schoreel,
Iohannes Wilhelmi,
Franco Zifridi,
Johannes Goet,
Theodricus Roberti,
Franco Gerardi, ſacerdotes,
Wilhelmus de Naeldwijck, *Marſchallus Hollandiæ*,
Ioannes Arnoldi,
Wilhelmus Wilhelmi,
Michael Gerardi,
Theodricus Tierloet, &
Catharina, filia Gerardi.

Anno MCCCLXXVI Arnoldus Hoornius, Epiſcopus Trajectenſis, varias Leydenſibus immunitates & leges præſcripſit, quæ iſtis bene longis litteris, quas Cl. V. Petri Scriverij benificio habemus, continentur.

PRIVILEGIA OPIDI LEYDENSIS.

Arnoldus, Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia, Epiſcopus Trajectenſis, dilectis in Chriſto Burgimagiſtris, Sculteto, Scabinis, ac univerſis aliis Burgenſibus & opidanis in Leydem ſalutem in Domino ſempiternam; Cum vos Burgenſes & Juſticiarij de Leyden nobis graviter conquerendo demonſtratis, quod plurimos, tam incolas, quam alienigenas, opidum veſtrum de univerſis mundi partibus confluentes enormiter ſæpius delinquere, & ad ve-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

ſtram eccleſiam & Cœmiterium confugere, qui, ſicut fide dignorum relatione * papitis, immunitate eccleſiaſtica merito gaudere non deberent. In dubio tamen, quaſi titubando, malefactores quoſlibet hucuſque tranſire permiſiſtis, & nobis humiliter ſupplicaſtis, ut aliquos caſus ſpecificos vobis indulgere vellemus, in quibus homines Dei timore poſtpoſito incidentes libertate eccleſiæ abſque dubio nequaquam gaudere deberent, & alias vobis favorabiliter providere, ut paterna ſolicitudine & circumſpectione muniti liberius & devotione ampliori Deo ſervire poſſitis, & veſtram Rempublicam, cui Deo favente præſidetis, ſalubrius gubernare. Iſtos enim precibus veſtris, & aliquorum noſtrorum commenſalium inclinati vobis tenore præſentium indulgemus, ut ſi quando caſus eveniat, quod aliquis publicus latro vel nocturnus populator agrorum, qui itinera frequentata, aut publicas ſtationes obſidet, talis, ſi ad eccleſiam pro ſecuritate recurrerit, immunitate non gaudebit, & Sculteto veſtro & ſuis ſatellitibus illum tollere & exhæredare licebit, ſub modo inferius annotato. in clauſula ſi tales. Nonnulli etiam impunitatem ſuorum exceſſuum per defenſionem eccleſiæ ſperantes, homicidia, & mutilationes membrorum, ſimiliter & alias enormitates ac injurias in ipſis eccleſiis, vel earum Cæmiteriis committere non verentur, qui niſi per eccleſiam, ad quam fugiunt, crederent ſe defendi, nullatenus fuerant commiſſuri, tales immunitate gaudere non debent, ſed & hi poterunt, ut in Clauſula, Et ſi tales. Idem judicium de illis malefactoribus, qui ad eccleſiam vel cæmiterium confugiunt, ibidem exeuntes de dictis locis ea intentione recedunt, ut inimicos ſuos occidant, mutilent, vulnerent, vel alias male pertractent, aut tallias aut extorſiones à vicinis committant, violentarij tales ingreſſi, ſi hoc conſtiterit, non defenſantur. Simile judicium de illis, qui non fugierunt ad eccleſiam vel Cæmiterium, ſed volentes enormia committere approximant ſe inſidioſe & per induſtriam juxta eccleſiam vel Cæmiterium, tales propter læſionem commiſſam eccleſia non defendit. Et in iſto caſu ſola approximatio & exquiſita vicinitas delinquentis opinionem aggravat, & qui cum præſumptione inducit, item ſacrilegium, vel furtum, aut detruncationem Burſarum committens in eccleſia vel Cæmiterio, tales eccleſia non defendit. Et tamen notandum, quod in præmiſſis ut plurimum attenditur intentio delinquentis, quæ ex conjecturis veriſimilibus poterit deprehendi. Verbi gratia: aliquis exoſum habet quemdam ſuum inimicum, qui cum iviſſet ad eccleſiam, & inde regrediendo venit ille inſecutor, & occidit eum vel mutilat, aut alias enormiter lædit prope eccleſiam vel cæmiterium, quo facto petit eccleſiam vel cæmiterium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

miterium, ex veri ſimilibus conjecturis patet illum inſecutorem immunitatem non habere, nec ea gaudere debere. Et quia circa rem magnam hæc facta vertuntur, nulli veſtrum immunitatem eccleſiaſticam lædere permittimus, ſeu aliquam facultatem concedimus in jam per nos ſpecificatis, niſi evidenter & per teſtes bonos & legales de præmiſſis conſtare poterit, qui tales exiſtant, ut ſi erratum & male proceſſum ſit in cauſſa ſpecificata qui aſſerebant, de quo eis non conſtabat, vel quod de quæſito habita ſit plenior fides, ut valeant per emendam ſufficientem nobis & ſucceſſoribus noſtris faciendam, vos & eccleſiam veſtram competenter ſublevare. Volumus tamen & tenore præſentium indulgenus, quod det in portionem & in honeſtationem eccleſiarum per confugientes ſæpe dictos plurimum defletis, & ad honorem Dei, & divini cultus augmentum præmiſſa magnis expenſis perſequi non ceſſatis, quod quotieſcunque ex quibuſcunque caſibus admiſſibilibus, & in quibus immunitas eccleſiaſtica nulli ſit penitus deneganda ipſi confugientes à die, quo in eccleſiis, vel aliqua eccleſiarum veſtrarum confugiunt defenſionis ſuæ ſolummodo habeant XL dies, & ex tunc ampliori defenſione & ulteriori gaudere non debent nec revenire poſſe ad aliquam eccleſiarum veſtrarum eodem facto durante. Hoc tamen proviſo, quod per vos & officiarios veſtra ſecuri ducantur dicti confugientes à manibus inimicorum, Balivi, vel ſuorum, vel alias ſuſpectorum ejuſdem & ad locum tutum, & de hoc inſtrumentum publicum recipiatis, & bona fide agatis: qui oblationi per vos factæ de ſalvo conductu ad locum totum ipſi contumaciter conſentire recuſent, taliter tamen qui poſt recuſationem factam velle ſuum mutare poterunt infra dictum quadraginta dierum ſpatium, omnibus dolo & fraude penitus excluſis, quem & quam, ſi commiſſa fuerint, durius corrigere & ſolito magis, cum aſperior ſit offenſa, quæ in liberalitate ſpreta committitur, nullatenus omittemus. Et ſi tales elapſo dicto quadraginta dierum ſpatio ſervatis ſervandis recedere nollent & reſiſtentiam facerent, juſticiariis veſtris ut permittitur in hoc caſu nulla dictis confugientibus violenter inferentur, cum ſanguinis emiſſione cruenta. Sed fiet extractio cum cautela, ut nulla lædantur, nec extractus cruentam vim patiatur, & cuſtodia ſolito diligentior eſt adhibenda, ne dictus confugiens ex malitia ſua commodum valeat reportare. Et idem fortiori ratione de illis, quos caſus ſpecificati tangunt & eccleſia non defendit, ut eorum temeritas in nullo eis valeat ſuffragari, loca non polluantur ſacra, & audacia fatuorum debitam conſequatur pœnam. Et ubi confugientes ad eccleſiam ludos inter ſe illicitos exercerent, & unde

rixæ ſaciliter oriri conſueverunt, vel illicitos concubitus ibidem committerent, vel in eccleſia bancas & ſcampna frangerent, & ad ignem habendum illa diſſiparent, vel extra Cæmiterium rapinas facerent, aucas, pullos, carnes, porculos, & ſimilia rapiendo, poſtquam bina vice de his, aut alterum eorundem per teſtes legitimos, aut alias notarie convicti fuerint, ex tunc defenſio eccleſiaſtica eiſdem denegatur, vobiſque & juſticiariis veſtris prædictis damus auctoritatem illum ſeu illos taliter delinquendo tollendi, & à ſacris locis extrahendi modo & forma ſupradictis. Quia fruſtra legis implorat auxilium, qui tam turpiter eandem offendere non veretur. Si opidanus in Leyden citatus fuerit Trajecti in cauſſis prophanis & mere civilibus talis priusquam de hoc conſtiterit, ab officiali noſtro Trajectenſi, ſeu vices ejus in hac parte gerente remittendus eſt in Leyden ad Proviſorem noſtrum, vel ad judicem competentem juxta naturam & cauſſæ qualitatem. Niſi ex præcedente negligentia ſuper caſu prætenſo conſtare poterit juſtitiam fore impeditam aut remiſſam coram proviſore noſtro pro tempore, vel judicio ſæculari. Opidanus in Leyden ex nulla cauſſa prophana & ſæculari citari poterit in Synodo noſtra generali, & ſi in ea ex inadvertentia fieri contingat nullam talem eſſe volumus & nullius firmitatis cum omnibus exinde conſequentibus & annexis. Inſuper pro ſalute populi, & ne ſacerdotes faciliter impediantur in executione divini cultus auctoritate noſtra ordinaria concedimus, & tenore præſentium indulgemus diſcretis viris, Decano, & Capitulo Sancti Pancratij Leydenſis pro tempore ac curatis noſtris infra opidum prædictum de Leyden conſtitutis, ut in nullo caſu interdictum aut ceſſationem divinorum quem vel quam aliquis incideret dicimus ipſo facto ſeu ipſo jure obſervare teneantur, antequam per nos aut alias competentem judicem vocatis vocandis, & examinatis rite teſtibus ob facti enormitatem ad ceſſationem & interdicti obſervationem procedendum forte fuerit declaratum. Porro ſi opidanus in Leyden juxta privilegia loci ad legem patriæ de petitis ab eodem ſe purgaverit abſolutum illum, quamvis per teſtes communes ſuper eodem facto ut commiſſo convinci poſſet, per juſtitiam veſtram ſpiritualem vexare nolumus, ne leges propriæ ludibrio fiant, & quis pluries condemnetur in id ipſum, ſed conſcientiæ ſuæ ipſum committimus & ultioni divinæ reſervamus. Si in neceſſariis, quæ lanificium, aut agriculturam, ſeu aggerum reparationem conſpiciunt, & alias, ubi mora eſſet allatura periculum, opidani veſtri caſibus providendo futuris Sanctorum feſta violent, illos in his caſibus

ſibus conſcientiæ ſuæ commitimus, nec ſuper his per proviſores noſtros corrigi volumus in hoc paſſu. Quia vos Burgimagiſtri, & Burgenſes de Leyden nobis & vicariis noſtris ſæpiſſime graviter conquerendo monſtraſtis nonnullos clericos in majoribus exeuntes ordinibus, in opido veſtro belli & diſcordiæ eſſe promotores, ſuſpectorum viſitatores locorum, & totius villæ & populi quodammodo deturbatores veſtram juſtitiam frequenter impediunt, & vigilias nocturnas malitiaſque diurnas horis prohibitis continuantes noctem ſub æqualitate dierum, quæ etjam fama publica, quæ dolenter proferimus, vera proteſtatur; volentes igitur clericorum in majoribus ordinibus, ut prædicitur, conſtitutorum maliciis obviare, & eorum exceſſus, ut tenemus, corrigere ac punire, ne ipſorum malitia ſit aliis præſumtionis exemplum, Sculteto veſtro pro tempore & ſatellitibus dictos majoris ordinis clericos belli & diſcordiæ promotores, communis pacis turbatoree, proſtibula & tabernas inhoneſte viſitantes, ſeu juſtitiam veſtram impedientes, de nocte ambulantes cum armis horis ſuſpectis vobis ſeu veſtrum cuilibet, cui hoc incumbit ex officio, treugas denegantes, vel alias grave delictum committentes capiendi noſtro nomine & auctoritate, captoſque detinendi, ſub modeſta tamen cuſtodia & expetenti, ſine alicujus tranſgreſſionis nota, juris, aut ſtatutorum provincialium, nec non ſynodalium, tenore præſentium concedimus ut damus poteſtatem, ita quod nulla eiſdem clericis violentia inferatur, nec judicium veſtrum ſubire cogantur. Sed quando cito treugas dare voluerunt, & cavere ſufficienter de commiſſis emendã facere per veſtrum Proviſorem, ex tunc illos captivos tenere amplius non poteſtis, abſq; tranſgreſſione Canonis, nec non ſtatutorũ, & etiam ſi tales majores Clerici incontinenti cum propter maleficia prædicta arreſtati fuerint, ut noſtro nomine, ſicut dictum eſt, captivi ducantur, treugas dare voluerint, & cavere modo ſupradicto, & ipſi dicti Clerici liberi ſunt, nec capi poterũt, ut prædicitur, ſine tranſgreſſionis nota. Verum ſi prædicti Clerici indurati & captivati, ut dictum eſt, treugas dare noluerint, vel ſufficienter cavere de emenda præſtanda ad arbitriũ Proviſoris noſtri infra quindecim dies à die captionis veſtris laboribus expenſiſq; dictos Clericos malefactores per manum cujus ipſius Proviſoris nobis aut vicariis noſtris debitis cum eorum maleficiis articulis præſentare, Dicta tamen captivitate quindena durante ſalvum erit nobis, vicariis & officialibus noſtris dictos captivos Clericos poſtulare. In quorum omnium roboris firmitatem ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſium. Datum Trajecti feria tertia poſt aſcenſionem Domini MCCCLXXVI.

Anno

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Anno MCCCIXXXVI aucta & dilatata Vrbis pomæria ſunt, cujus rei fidem faciunt tabulæ iſtæ Bartholomæi ab Raphorſt & Alberti Bavari, digniſſimæ quarum rario hic habeatur.

Nos Bartholomæus à Raphorſt, Miles, Notum omnibus facimus vidiſſe nos & legiſſe litteras integras, non cancellatas, nec abolitas, nec aliqua ſui parte vitiatas, clementiſſimi & chariſſimi Domini noſtri Ducis Alberti ſigillo communitas, & conſcriptas in hæc verba.

Albertus, Dei gratia, Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, Tutor Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, & Friſiæ notum facimus univerſis, Nos opidanis noſtris in Leyden, cupientes ipſos gratia & favore proſequi ſpeciali, conceſſiſſe, quod Burgimagiſtri, qui jam ſunt, aut poſtmodum futuri ſunt, ad ampliandam civitatem, occupare poſſunt quandocunq; placuerit, omnem terram illam, quæ extra foſſam ejus ſita eſt, ad ampliandam, muniendam, & mœnibus foſſiſque civitatem cingendam; ita tamen ut illis, quorum terra occupabitur, ex ſententia & conſilio Scabinorum ſatisfiat. Porro civitatem ampliabunt verſus Auſtrum, ubi Rami nunc conſtituti ſunt, totum illum tractum, qui à porta Hoochwoerdana uſque ad Scutariorum hortos, & quod excurrit trans cataractam, quæ Naictſluyſe vulgariter appellatur, extenditur, inſeſſuri quiete. Et omne illud, quod hoc modo complexuri ſunt, civitatis juriſdictioni & juri ſubjectum erit. Salvo tamen officiarij jure in iſtis, quæ ad Officium ſeu Ambactum ejus dignoſcuntur pertinere, in forefactis & mulctis. Aut ita ut officiario ſatisfiat, ne qua ipſi injuria inferatur. Porro non licebit intra L. perticas extra opidum ædes aliquas extruere. Atque in teſtimonium veritatis litteras iſtas ſigilli noſtri impreſſione juſſimus communiri. Datum Dordrechti quinto Iunij, anno Domini MCCCLXXXVI.

Ego autem Bartholomæus de Raephorſt, Miles præfatus, opidanis de Leyden, qui ſæpius ea de cauſſa me convenire non deſtiterunt, conſenſi & conceſſi, ut civitatis ſuæ pomæria in officio meo de Zoeterwoude extendant, iis conditioni-

ditionibus, quæ in chariſſimi & clementiſſimi Domini mei litteris præfatis continentur. Ita ut juri omni pro me & poſteris meis renunciem, quodcunque mihi, tamquam ejus loci officiario, quoad forefacta & mulctas, competeret; certa hæc omnia & rata ipſis ſervaturus; ac confirmaturus. In cujus rei teſtimonium litteris iſtis ſigillum noſtrum appendi fecimus. Datum Mudæ, XX *Julij, anno Domini* MCCCLXXXVI.

Litteras iſtas ſollemiter confirmavit idem Albertus Bavarus, Hagæ Comitis, feria ſecunda poſt feſtum Paſchatis, anno MCCCLXXXIX. omnia illa, quæ inter opidanos de Leyden, & Bartholomæum à Raphorſt utrinque acta erant, rata & grata ſe habere teſtatus. Aucta vero tunc temporis ampliataque urbis pomæria fuiſſe, fidem fecerint ædes illæ, quæ *Rubeę Turris* nomine hodieque inſigniuntur, & ad pontem, qui *Textorum* vulgo dicitur, exſtructæ viſuntur, cum inſcriptione, ſeu Proſopopæa ejuſmodi;

ANNO DERTIEN HONDERT TACHTICH NEGEN
IS LEYDEN VERGROOT, DOOR GODES SEGEN.
STEENSCHVYR VVAS DOEN VEST,
MIIN NAEM ROODEN TOREN:
DANCKT GODT DAER VOREN.

Sententia eſt, ædes has ante iſta tempora ad finem civitatis ſtetiſſe, ſed auctis jam propagatiſque urbis pomæriis, ita ædibus undique cinctas fuiſſe, ut merito in Vrbis meditullio dici poſſint conſtitutæ. Ex quibus facile eſt colligere magnum tunc temporis Leydam incrementum ſumſiſſe, & id omne, quod Rapenburgi & Steenchuræ nomine nunc appellatur, intra urbis mænia fuiſſe perductum.

Anno MCCCXCIII Albertus Baverus juriſdictionem, ut vocant, Leydenſibus ampliavit hac formula.

Nos Albertus, &c. notum facimus univerſis conceſſiſſe nos fidelibus & dilectis noſtris opidanis in Leiden, Ut omnibus illis, quibus ob quæcunque facinora ab Urbis Magiſtratu urbe, vel ad tempus, vel æternum, interdicta eſt, omnibus etiam terris noſtris tandiu ſit interdictum. Atque hæc rata haberi volumus, donec aliter nobis viſum fuerit. Datum Hagæ XXII *Iunij, anno* MCCCXCIII.

Anno MCCCCXIX exſpirante ingens multiplexque damnum graviſſimo obſidio Leyda toleravit; exorto Ioannem Bavarum inter Fredericumque Trajectenſium antiſtitem acerrimo bello. Hujus cauſſam ita produnt noſtri annales. Milites Ioannis Egmondani naves aliquot Trajectenſium, quæ Brabantiam & Flandriam multis iiſque prætioſis mercibus inſtructæ reliquerant, petulanter diripiebant, navibus ſubmerſis, & mercatorum nautarumque plurimis in vincula conjectis; non obſtante fœdere, quod paullo ante inter Hollandos & Trajectenſes percuſſum erat. Indigne id

Fre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Fredericus antiſtes accepit. qui tentandum principis animum ratus, priuſquam ad bellum ſe accingeret, non modo ad Iohannem Bavarum, ſed & Iohannem Brabantiæ Ducem & uxorem ejus Iacobam legatos miſit, petentes hanc ſuorum petulantiam quam primũ coarcerent. Sed nihil omnino profecit, & majora indies Trajectenſibus damna, aſſiduis Hollandorum excurſionibus, inferebantur. Coactis igitur Trajecti Comitiis ingentes copias undique excivit, Hollandorum, qui à Cabeliaviis expulſi erant, viribus admodum inſtructas. Iunxerant enim ſe ei Wilhelmus Brederodius, Philippus Burgravius Leydenſis, Iohannes Burchgravius Montfordanus, Iohannes Haemſtedius, & alij plures. Hi, facta irruptione, plurimas circa Woerdam arces & pagos populabantur. Igitur poſtquam Ioanni Bavaro cognitum fuit Fredericum cum copiis in Hollandiam perveniſſe, contracto undique ingenti exercitu, in viam ſe commiſit. Leydenſes interea populabundi per vicina graſſabantur. Zuyckâ & Raphorſtà, validiſſimis arcibus, ſolo tenus disjectis, Hagam ingreſſi ſunt. Vbi tamen, aliqua adhuc Principis ſui reverentia tacti, nihil commiſere. Trajectenſes, ubi Ioannem Bavarum Goudam uſque cum copiis ſuis perveniſſe cognoverunt, obviam ipſi cum Leydenſibus procedunt, plena, ſi poteſtas daretur, acie dimicaturi. Sed Ioannes Goudæ ſe tantiſper continebat. Trajectenſes interea Rijnenburgam arcem, cum pagis, prædiis, & tuguriis longe plurimis magno incolarum damno incendunt. Tandem opima præda onuſti domum omnes revertuntur. Atque tunc Comes, animi & irarum plenus, in Leydenſes ſtatim movit. Poelgeeſtam arcem, quæ prima ſe obtulit, obſidet & expugnat: præſidiariis omnibus capite multatis, arce ipſa funditus ſubverſa. Doeſam deinde aggreditur, & deditione accepit, cui & ea de cauſſa pepercit. Waerdam deinde oppugnat, & ſolo diruit. Zijlam etiam, ſed vi, accepit. Sic progreſſus ad urbem caſtra poſuit. Prope portam Hoochwoerdanam caſtellum validiſſimum exſtruxit. è quo tormentis majoribus paſſim diſpoſitis & diſploſis in tecta urbis intonabat. Warmontia interea & Paddenpoelia cum aliis aliquot arcibus interea disjectæ. Leydenſes magno & conſtanti animo ſua tuebantur; ſæpius in hoſtium caſtra & feliciter irrumpentes. Trajectenſium antiſtes ſubſidium ipſis ferre conabatur, quo hæc tam arcta obſidio ſolveretur: ſed fruſtranei omnes ejus conatus fuere. Ad poſtremum urbem ſuam Bavaro Leydenſes tradidere; vitam & incolumitatem eorum pacti, qui à Trajectenſi Epiſcopo præſidij loco intra urbem quadringenti miſſi fuerant. Sed ab Egmondani copiis, quæ in inſidijs conſtitutæ erant, major eorum pars cæſa eſt, contra datam & acceptam fidem. Bavarus Vrbem ingreſſus pacta non ſervavit. Burchgravium omni poteſtate ſua Prætorem, Conſules & Scabinos creandi, exuit; In Purgum ſolummodo imperio & vectigalibus nonnullis ei relictis. Henricus etiam, Philippi Burchgravij filius, qui tamen Bavari partes ſecutus, durante hoc obſidio, res ſtrenue adverſus patrem geſſerat, omni hoc jure abdicare ſe cogebatur. Conſignatæ in eam rem ejuſmodi tabulæ.

Nos Philippus Dominus de Waſſenaer, Burchgravius in Leyden, Wilhelmus à Brederode, Dominus in Gennip, Stein, & Merwede, Johannes ab Heemſtede, Eques, Dominus in Benthuyſen, Gerardus à Zijl, Eques, Dominus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

minus in Purmerenda, Iohannes à Waſſenaer, Conſules, Scabini, & Senatores communitatis de Leyden, notum omnibus facimus, nos, poſtquam conſpiratione cum Trajectenſibus in clementiſſimum Dominum noſtrum Joannem Bavarum facta, &c. obſeſſi & in deditionem accepti eſſemus, veniam graviſſimi hujus delicti noſtri ab præfato clementiſſimo Domino noſtro impetraſſe, & inter nos conveniſſe articulos ſubſequentes.

Ego Philippus Burchgravius præfatus cum clementiſſimo Domino meo præfato per omnia reconciliatus, Burchgraviatum de Leyden cum omnibus ad eum pertinentibus ore, manu, & litteris tradam clementiſſimo Domino meo præfato, quamprimum Leydam ingreſſus, atque ibi ſolenniter inauguratus fuerit; excepto Burgo, & illis, quæ manne, Zvvane, 'thop-gelt, 'tBruydtgelt, *vulgariter appellantur, & piſcationibus & telonis meis in Leyden.*

Item cum panni omnes, quotquot hactenus in Leyden contexti ſunt, Burchgravij ſigillo ſigillati fuerint, & ego Philippus Burchgravius Burchgraviatum meum prædictum clementiſſimo Domino meo præfato tradiderim; ut jam dictum eſt, panni iſti non amplius meo ſigillo, ſed ſigillo clementiſsimi Domini mei præfati & opidi Leydenſis inſignientur; idque Brugis, Antverpiæ, atque alibi, mercatoribus indicabitur. Actum 17 *Auguſti, anno Domini* 1420.

Anno MDLXXIII Hiſpani, capto Harlemo, ſub Franciſco Baldeſio militiæ præfecto, Leydam acriter obſedere. Sed ob Frederici Naſſovij adventum, qui cum octo militum millibus, quos in Germania conſcripſerat, Moſam trajecerat, eo potiſſimum conſilio, ut ad ferendas Auriaco ſuppetias in Belgium penetraret, à cœpta obſidione, menſibus quatuor vixdum in ea exactis, deſtitere. Sed paullo poſt, rebus compoſitis, auctiſque copiis iterum reverſi ſunt. Ac primo quidem impetu munitiones aliquot, quæ Noortvici & Valckenburgi excitatæ tunc erant, Anglis ſe dedentibus, qui hujus facinoris ſui pœnas paullo poſt dederunt, feliciter cepere. Quo facto ſexaginta duo caſtella ſtatim erecta ſunt, ut inſeſſis occupatiſque omnibus viis urbem commeatibus prohiberent. Miſſæ interea ab Auriaco litteræ, quibus obſeſſi monebantur, omnes illos, qui nonniſi ad conſumendas fruges nati videbantur, urbe expellerent, & commeatus in tres proximos menſes ſufficeret, ante omnia providerent. Nihil quidem eorum ſe prætermiſſurum, quæ depellendis hoſtibus facere judicaret, ſed ante id tempus non poſſe. Ad hæc Leydenſes reſpondere, facta ea omnia eſſe, quæ imperaſſet. Cæterum fieri non poſſe, ut treis menſes durarent. Malle tamen ſe extrema quæque experiri, quam in manus hoſtium venire. Baldeſius Vrbem vi non ita facile expugnari poſſe ratus, aſtu rem aggreſſus eſt; monuitque Leydenſium nonnullos, qui partibus ejus addicti in caſtris hærebant, ad obſeſſos & amicos ſuos ſcriberent; quanto in periculo omnes verſarentur. Caverent ſibi ſedulo, ne

vita & bonis ſuis omnibus poſtea exutos, pertinaciæ ſuæ, ſed ſero, pæniteret. Patere adhuc veniam. Tentarent Principis clementiam. Quem jam moderatum & æquum haberent, poſtmodum durum & inexorabilem eſſent experturi. Ad hæc talia nihil reſponſi Leydenſes dedere, præter vulgatum illud;

Fiſtula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

Interea civium nonnulli, qui excluſi urbe degebant, navibus ſexaginta, tritico & ſiligine prope inſtructis, urbem penetrare inſtituerunt. Sed fruſtranei omnes eorum conatus fuere. Quamobrem Magiſtratus longionem obſidionem futuram conſpicatus, & magnum à panis penuria periculum imminere, caute & prudenter publico edicto conſtituit, ut non niſi media panis libra homini in dies ſingulos diſtribueretur. Magna enim populi multitudo erat, & frumenti copia admodum exigua. Quatuordecim quippe hominum millia in Vrbe tunc cenſebantur, frumenti autem quater mille centum & viginti quinq; modij tantum inveniebantur. Hiſpani interea prope Lammenum, quingentis circiter ab urbe paſſibus, caſtellum munitiſſimum exſtruxerunt, quod magno obſeſſis ad ea, quæ deſtinarant, exſequenda impedimento fuit. Quamobrem etiam ſex navibus egreſſi ſunt, ut Hiſpanos inde expellerent. Sed navibus aliquot interceptis, & nonnullis ſuorum cæſis intra urbem denuo ſe recipere cogebantur. Paullo poſt tamē cives magno animo opera, quæ in Boſhuſæo ponte exſtructa erant, adgreſſi ſunt. Ibi nonaginta Hiſpani in præſidiis conſtituti invadentium impetum fortiter ſuſtinuere; ſed cum Leydenſes miſſilem ignem jacularentur facile ceſſerunt. Maxima tamen eorum pars trucidata eſt; pauci admodum evaſere. Adcurrere interea, qui propinqua loca tenebant, ſed magno animo bis à Leydenſibus ſunt repulſi. Ad poſtremum tamen, cum omnem in ſe molem vertere Hiſpanos viderent, intra urbem cives ſe recepere. Vbi miſerrimus omnium ſtatus fuit. Cuſi ibi nummi chartacei minores majoreſq; cum his inſcriptionibus HÆC. LIBERTATIS. ERGO. NVMMVS. OBSESSÆ. VRBIS. LVGDVNENSIS. SVB. GVBERNATIONE. ILLVSTRISSIMI. PRINCIPIS. CVSVS. LVGDVNVM BATAVORVM. PVGNO. PRO. PATRIA. conſpecta in illis Vrbis & Hollandiæ inſignia cum pileo; quod vetus libertatis ſignum apud Romanos fuit. Parabat interim Auriacus omnia, quæ ſibi ad liberandam urbem opportuna ſentiebat, & quo pacto caſtra hoſtium perrumpenda eſſent, ſerio cum Ordinibus cogitabat. Tandem decretum eſt, ut perruptis plurimis in locis Moſæ & Yſſalæ fluminum molibus, & apertis Roterodami ac Schidami cataractis, circumjectus omnis ager inundaretur, per quem, velut patentiſſimum æquor, naves velis remiſque in urbem agerentur, & vi tormentorum deturbatis è ſtatione ſua hoſtibus, omnia & vitæ & bello ſuſtentando neceſſaria obſeſſis mitterentur. Nihili tot bonorum & agrorum jacturam faciendam rati, quâ libertas & ſalus ſua miſeris civibus, ac ſimul patriæ univerſæ conſtaret. Itaque Yſſalæ objecta moles ſedecim in locis perrupta eſt. Idem Roterodamum & Delfſhaviam inter factum eſt. Cataractæ etiam Roterodami & Schidami recluſæ. Vnde immenſa quædam aquæ vis erupit, & totum hunc circa Leydam tractum ſenſim inundavit. Poſt quæ parata & inſtructa in Zelandia claſſis Rotterodamum appulſa eſt. Erant in

eâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

câ nautæ octingenti, & majorum minorumq; tormentorum ingens numerus. Ibi coactis in unum copiis naves ducentæ lato fundo, Pontonum inſtar, fuerunt, ita probe inſtructæ, ut quælibet unum alterumque tormentum in prora ſuſtineret, in latere autem utroque ſex minora. Ne quam autem, aqua curſum non tenente, remoram naves paterentur, moles omnes, quotquot Soetermerium & Wilſvenam inter objectæ erant, perruptæ ſunt. Tunc claſſis Leydam verſus in viam ſe dedit; præmiſſis ab Auriaco aliquot Gallorum cohortibus, Gardeo Duranto & Cattevilla Ducibus, ut perductis foſſis tumultuariam adverſus hoſtium inſultus munitionem Zoetermerij excitarent. Imperata Galli diligenter exſequebantur, hoſtibus nequidquam ſentientibus. Admiralij duo Vliſſingenſis & Ziriczeenſis ab utroque novæ munitionis latere intrepide navigabant; cum quinque Germanorum cohortes, ad eos invadendos, prodijere. Galli tanta alacritate erant, ut adventum eorum in munitione non exſpectarint, ſed obviam ipſis proceſſerint; at priuſquam manus poſſent conſerere, Germani à tormentis ſex triremium adeo impetiti fuerunt, ut bis cum magna ſuorum clade terga dare ſint coacti. Sub noctem Wilſveno valida equitum peditumque manus ad Gallos expellendos advenit, ſed hi tanta eos virtute exceperunt, ut eò ſtatim, unde venerant, ſint reverſi. Ibi dignum memoria poſteritatis facinus Zelandus quidam nauta patravit. Is, cum Hiſpanum trucidaſſet, inuſitato quodam ardore animi tactus, cor adhuc palpitans manu ſua ipſi eruit, quod admotum dentibus adraſumque à ſe abjecit. Dedit ea res Iano Douſæ occaſionem, ut politiſſimo hoc epigrammate hiſtoriam omnem conſignaret;

Lugdunum cingit Batavorum miles Iberus,
A Batavo contra cingitur ille mari:
Non opus eſt gladiis, ferroque rigentibus armis,
Solæ pro Batavo belligerentur aquæ.
Jacturam pecoris Batavus quam fecit & agri,
Humano decies ſanguine, Ibere, lues.
Mercator ſapiens tamen haud mercabitur una,
Hiſpani generis corpora mille bovi.
Macra caro eſt; nuper cum cor guſtaſſet Iberi
Reſpuit, & canibus nauta vorare dedit.
Deſeruere agros Batavi, & Naſſovius heros;
Non tamen his ullos abſtulit hoſtis agros.
Invenit ratio ſine ſanguine pellere longè
Hoſtileſque manus, Heſperiumque jugum.
Tolle metus, Hiſpane fuge, & ne reſpice terras,
Pro quibus Oceanus pugnat & ipſe Deus.

Aurantiani, rebus tam proſpere geſtis, aucti actique animis longius progreſſi ſunt. Soetermerij Hiſpani erant cum triginta peditum vexillis, qui proxima omnia inſederant, & pontem, per quem claſſem tranſmitti neceſſe erat, cum cura munierant: adeo ut non niſi magna vi inde eſſent expellendi. Admiralius tamen Ziriczeanus, diſtributis per diverſos canales triremibus, ad pontem recta contendit. Quò ubi primum advenit, gravis utrinque pugna edita eſt. Hiſpanus omnia fortiter ſuſtinuit, nec noſtri deſtitere. Quamobrem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Vliſſingenſis receptui cani juſſit, Galli è contra Cattevilla, Durantus, & Guilereſſa, de ſuorum diſceſſu incerti, ſelectis aliquot expertæ virtutis militibus, ſtrenue ſclopis rem geſſere, ut incenſis ædibus, deturbatiſque munitionibus facilior claſſi aditus pateret. Sed in hos tantam mox belli molem Hiſpanus convertit, ut Cattevilla & Guillereſſa cum milibus aliquot, ſcapha, in qua conſtiterant, ſubverſa, aquis mergerentur. Ita mutata paullum fortuna, haud leviter concuſſi ſunt Aurantianorum animi. Ventus enim adverſus, & aqua in qua ſpes omnis conſtituta tunc erat, indies magis magiſque, decreſcere videbatur. Sed mox Deus, velut è machina, afflictis opem tulit. Ventus enim ingens, qui & navium & aquæ curſum impelleret, commodum flare cœpit, & ruſtici duo, locorum magis gnari, per viam Segvvardianam, quæ Soetermerium & Benthuſiam inter jacet, commodiſſimum & tutiſſimum claſſi aditum patere docuerunt. Placuit horum conſilium. Vliſſingenſis cũ octo triremibus, in quibus milites erant ſeptuaginta, reliqua prope pontem Soetermerienſem claſſe relicta, intempeſta nocte Segvvartum venit, atq; ibi, ut Hiſpanorum, qui Benthuyſæ & Zoetermerij plures agebant, inſultibus par eſſet, validiſſima duo propugnacula ſine mora excitavit. Quæ res tantum ſtatim metum hoſtibus incuſſit, ut, non exſpectato die, Benthuſiani & Zoetermerienſes, relictis munitionibus, Zoetervvouvviam, Kerckvvegam, Weyportum, atque alio ad caſtella proxima trepidi ſe conferrent. Caſtra à Germanis deſerta Ladriereus tribunus ſtatim inſedit. Zoetermerium Cretus cum quinque cohortibus occupavit, & Arcam Delfenſem ſecum advexit. Erat illa ædium inſtar, è duabus navibus ſimul junctis tam firmiter conſtructa ut eam ſclopi ictus non penetraret. Hæc neque velis, neque remis, ſed rotis, quæ à duodecim viris impellebantur, ferebatur. Militibus quinquaginta, & decem ac quinque majoribus tormentis probe inſtructa. Sic Aurantiani ad Noortaam flumen, fugientibus ubique Hiſpanis, brevi pervenere. Sed ibi, vento adverſo, aliquamdiu hærere coacti ſunt. Vnde occaſionem miſeris civibus illudendi Hiſpani ſumſere; clamantes, vanos eſſe omnes Aurantianorum conatus; facilius eſſe ſtellas cœlo deducere, quam ut perruptis tot caſtellis, quæ ubique excitata erant, urbem Auriacus penetraret. Hortabantur præterea; cum Principe paciſcerentur, adjectis comminationibus, niſi ſe in tempore dederent, graviſſima quæque eſſe perpeſſuros. Miſera erat in urbe omnium rerum facies. Fames plurimos atterebat; nonnulli coriis, muribus, aliiſque id genus inuſitatis, &, ut ita dicam, inhumanis eſculentis, ſpiritum vix trahebant. Erant autem cives aliquot novis rebus ſtudentes, quibus aures nonnulli præbuere, cum hoſte tranſigendum rati, ne conclamatis jam rebus, in extremam perniciem laberentur. Quidam eorum Petri Adriani Wervij Conſulis fores obſidebant, clamantes aut paciſcendum cum hoſtibus, aut ſibi fame eſſe moriendum. Ibi ille animi & conſtantiæ plenus, *Videte*, inquit, *commilitones; fidem juravi; eam, ſi Deus annuat, infractam ſervare decrevi. Cauſſæ meæ æquitate confido. Semel mihi moriendum eſt. Veſtris an hoſtium manibus cadam, inſuper habeo. Percutite me, ſi audetis; & exſangue hoc meum corpuſculum inter vos dividite*. Atque hoc tam maſculo reſponſo adeo omnes perculſi ſunt, ut pedem inde ſtatim referrent. Miſſi interea ad claſſis præfectos à civibus duo ſunt, qui eos, quo in loco res civitatis eſſent, commonerent, hortarenturque, ſubſidia, quantum fieri poſſet, accele-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

accelerarent. Hi, ex veteri Romanorum inſtituto, columbas ſex, quæ litterarum ad obſeſſos gerulæ eſſent, ſecum detulere. Vliſſingenſis identidem ad Leydenſes ſcribens, bonum eos animum habere juſſit; ſupereſſe adhuc novas vires, & ſe extrema auſuros; nolle ſe fidiſſimos & optime meritos cives deſerere; majore animo tolerari adverſa, quam relinqui; fortes & ſtrenuos, etiam contra fortunam, inſiſtere ſpei; timidos autem & ignavos ad deliberationem formidine properare. Neque erat adulatio. Quamprimum enim Africus flare cœpit, auctis jam aquis, è Noortaa, Kerckvvegam verſus, claſſis progreſſa eſt. Triremes erant numero quinquaginta; & inter eas conſtitutæ ſcaphæ viginti; in quibus foſſores erant, qui antè omnia Kerckvvegæ munitiones excitarent. Tormenta majora non pilis ferreis, ut fieri ſolet, ſed ſacculis, in quibus infinitus plumbeorum glandium numerus erat, ut majorem hoſtibus cladem inferrent, probe inſtruebantur. His conſpectis Hiſpani, qui in limbis excubias agebant, deſertis ſtationibus, ad ſuos aufugere. Nonnulli claſſem oppugnare auſi ſunt, ſed illa glandium grandine perculſi ſtatim, ſed non ſine ſuorum clade, fugientes deſtitere. Mox Aurantiani in terram proſiliere, arreptiſque armis Zoetervvoudam petiere. Ibi ædes plurimæ incendio correptæ. Naves etiam ad centum numero, quæ omnis generis commeatus deferebant, eò advenere. Hiſpani, & aquæ incrementum, & flammas conſpicati, ne aditus ſibi intercluderetur metuentes, caſtella ſua tanta trepidatione deſeruere, ut magnam ibi impedimentorum partem relinquerent. Qui Leyderdorpæ & Lammeni agebant hac ſuorum fuga haud leviter conſternati ſunt. Caſtella tamen, quæ Lammeni conſtructa erat, non ita facile expugnari poſſe militiæ experti judicabant. Nam & ab exercitatiſſimis Hiſpanorum inſidebantur, & rebus omnibus erant inſtructiſſima. Sed hic metus ſtatim ſublatus eſt. Sequenti enim nocte Hiſpani, cum à ſuis deſtitutos & ab Aurantianis pene obſeſſos ſe viderent, ſaluti ſuæ fuga conſulere, quam vanæ conſtantiæ di[illegible]am an temeritatis laudem quærere maluerunt. Notatum à nonnullis invenio Baldeſium tabellæ, in qua caſtrorum ſuorum ſitum accurate depingi curaverat, verba hæc, deſperati animi indicia, adſcripſiſſe; *Vale civitas; valete caſtella, quę relicta eſtis propter aquam, & non per vim inimicorum*. Sic pat[illegible]facto ad exhauſtam Vrbem aditu, commeatus in eam def[illegible]rebantur. Ibi prehenſare cives genua, & manus tendere; crudas haleces & panem vorare. Nonnulli eorum ingurgi[illegible]atione nimia, quod adſueti non eſſent, paullo poſt dic[illegible]ntur exſtincti. Adeo exſangues & exhauſti omnes erant, ut non tam homines, quam umbræ aut manes viderentur. Atq; ita quidem ſe obſidio iſta habuit, quæ Leydenſium virtutem & conſtantiam ad poſteritatem omnem transfundet.

Venio nunc ad celeberrimam Academiam; quâ præ cæteris Belgij urbibus Leyda maxime inclaruit, & h[illegible]ud pa[illegible]vam apud externas gentes laudem & admirationem reportavit. Hujus prima fundamenta poſuit Principum Optimus Maximus Guilhelmus Naſſovius ad annum incarnatæ ſalutis M D LXXV, in obſidionis illius aſperrimæ tam fortiter, tam conſtanter toleratę digniſſimum redhoſtimentum. Invitabant ad id præter alia, & loci commoditas, & ejuſd[illegible]m amœnitas, & propenſi civium ad fugientes paſſim Muſas excipiendas animi. Inauguratio novæ hujus Academiæ i[illegible]cidit in VIII Eidus Februarij anni illius, quem prox[illegible]m[illegible] jam diximus, apparatu & pompa, quam fieri potuit, maxima.

Prodibant omnes è curia; ſed ante cæteros in carruca vecta fœmina, ſimplici habitu, veſte candida, quæ Sacræ Scripturæ codicem dextra tenebat. Hanc ab utroque latere comitabantur Matthæus, Marcus, Lucas & Iohannes, omnes Euangeliſtæ. Et ſic quidem Theologia deſignabatur. Conſecuta deinde eſt Iuſtitia in Monocerote ſedens eo vultu & habitu, quo pingi vulgò conſuevit. Huic adjuncti erant Iulianus, Papinianus, Vlpianus & Trebonianus, præcipui Iuris Auctores. Atque ita Iuriſprudentia repreſentabatur. Tertio loco Medicina prodiit, quæ equum inſcenderat, Hippocratis, Galeni, Dioſcoridis & Theophraſti famulitio ſtipata. Hanc excepit Pallas, altera haſtam, altera clypeum tenens, in quo Meduſæum caput videbatur. Hanc Plato, Ariſtoteles, Cicero, & Virgilius proxime ſequebantur. Atque ſic illa artium Cyclopędia, quam ſcientiarum orbem vocant, rite deſignabatur. Tunc Theologiæ, Iuris, Medicinæ, humaniorumque Artium & Linguarum Profeſſores, patriæ & urbis primoribus deducentibus, ordine procedebant. Erat interea probe inſtructa navis, cujus clavum Neptunus, Apollo & ter ternæ Deæ, fidibus canentes, tenebant. Hæc per Rapenburgum Academiam uſque ferebatur. Editaque interea pluria ſunt lætitiæ ſigna. In pompa iſta lecta fuere Epigrammata varia, quæ Academiæ honori dicata erant. Eorum potiora adſcribam.

Neptunus ad Muſas.

Quid Muſis cum Marte? nihil. Confidite Divæ,
Ille abiit, vobis poſsit ut eſſe locus.

Muſæ ad Neptunum.

Laus Neptune tibi, obſidio quod ſolveris urbem,
Tam comi quæ nos excipit hoſpitio.

Apollo ad Artes.

Docta ſatis Martem Urbs, artes nunc diſcere, remque
Vobiſcum & mecum poſtulat eſſe ſibi.

Artes ad Apollinem.

Connubio junctas ſtabili, propriaſque dicatas
Phœbe pater, præſto nos tibi ſemper habe.

Salvius Iulianus ad Iuſtitiam.

Lovanium fructu nos tantum accepit & uſu,
Hic etiam nexu me juvat eſſe tuum.

Reſponſum Iuſtitiæ.

Nec fructu Grudij nos accepere, nec uſu;
Namque Papam, non me, nunc locus ille colit.
Care Pio, ac Divis gratiſsime fratribus olim,
Non ingratus eris nunc quoque Cattigenis.

Ad Hippocratem Cōum.

Huc ades Hippocrates, Medicorum gloria, Coe,
En vocat ad partes te Medicina ſuas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Ad Galenum.

Tu quoque Lugdunum venias curare Galene,
Affectam bello, peſtilitate, fame.

Hodie tantam Academia hæc celebritatem habet, quantam nulla pene Europæ; ſive Profeſſores omnium facultatum & artium doctiſſimos, ſeu ſtudioſorum, qui ex omnibus pene orbis partibus, ad capiendum ingenij cultum, huc ablegantur, numerum videas.

Ad Academiam ſpectant;

Hortus Medicorum præcipue uſibus deſtinatus. Is longe amœniſſimus eſt, arboribus ac ſtirpibus rariſſimis è longinquis regionibus huc advectis refertiſſimus. Adeo ut cum decantatiſſimis illis Heſperidum hortis contendi debere videatur. Licet enim mala aurea, quæ ſibi finxit credula nimis antiquitas, non producat, habet tamen plantas plurimas, quæ, quia ad ſanitatem hominum conſervandam inſtaurandamque faciunt, auro contra ſunt æſtimandæ. Areæ ab utraque horti parte elegantiſſimæ ſunt, quarum una hanc præfert inſcriptionem;

VSVI. ORNAMENTO
ACADEMIÆ
CVRATT. ET COSS. IVSSV
STRVCTVM. OPVS
ANNO. A. NATO. CHTISTO
CIↃ. IↃ. C.

Hortum ingreſſus ad ſubſcripta reſpicito.

1. STATVTA A PRÆFECTO HORA HORTVM INGREDI FAS ESTO; EXAMINE FINITO, EGREDITOR.
2. INGRESSVS, STIRPES VIDERE LICET, ODORARI LICET: TENELLAS, SVCCRESCENTESVE TRACTARE LÆDEREVE NON LICET.
3. RAMOS, FLORES, SEMINA, DECERPERE: SCAPOS CONFRINGERE: BVLBOS RADICESVE EVELLERE; HORTVM INIVRIA AFFICERE NEFAS ESTO.
4. PVLVILLOS, AREOLASVE NE CONCVLCATO TRANSILITOVE.
5. NIHIL INVITO PRÆFECTO ATTENTATO.

Anatomia. In hac tam multa, eaque rariſſima, oculis ſe offerunt, ut nemo, niſi Argus, omnia poſsit enumerare. Videas ibi Mumias & Funeralia, præcipue magnatum aliquot Ægyptiorum, Idola antiqua, remotiſsimarum gentium habitus, varij generis animalia, quæ in China, Ægypto,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Ægypto, America atque alibi vivunt, mineralia præſtantiſſima, arma etiam, aliaque infinita, quæ lectoris mei oculis ſpectari malim, quam hic legi.

Bibliotheca Anatomiæ proxima eſt, libris Theologicis, Iuridicis, Medicis, Philologicis, Philoſophicis, & Mathematicis, tam manu, quam typis exaratis refertiſsima. Splendet ibi inter alia magni illius Ioſephi Scaligeri, qui in Academia hac vixit, & vitam finiit, legatum;

LIBRI

GRÆCI MSS.
HEBRAICI,
CHALDAICI,
SYRIACI,
ARABICI,
ÆTHIOPICI,
PERSICI,
ARMENIACI,
RVSSICI,
LATINI.

Numero omnes ſupra ducentos. Quibus proximi adſervantur libri Arabici, Samaritani, aliique, quos magno numero ex Oriente nuper advexit Iacobus Golius, harum Linguarum illuſtre in Belgio ſydus. Bibliothecæ jam præfectus eſt, excellentiſsimum illud, & cum paucis omnino comparabile ingenium, Daniel Heinſius, cujus eò libentius hoc loco mentionem injicio, quod exterorum plerique vel ſola tantum clariſsimi nominis ejus fama exciti Academiam hanc ſoleant viſitare.

Anno M DXLCII ſumtibus illuſtriſsimorum Hollandiæ Zelandiæque Ordinum Collegium Theologicum in eorum gratiam, qui ſacris imbuuntur, excitatum eſt; primo ejus Regente conſtituto Ioanne Cuchlino; optimiſque legibus præſcriptis, quas anno 1596, doctrina & ætate reverendus ſenex, Avus meus, Henricus Boxhornius, S. S. Theol. Licentiatus, ex autoritate ampliſsimorum Academiæ Curatorum & Conſulum opidi Leydenſis vidit, reſtituit, & renovavit, novis aliquot, quæ ex Alumnorum uſu eſſe videbantur, adjectis.

Ad hoc exemplum anno 1605 à Gallis aliquot mercatoribus aliud Collegium fundatum eſt, quod Gallici nomen habet; in quo ſtudioſi aliquot S. S. Theologiæ operam navantes, in uſum Eccleſiarum Gallicarum aluntur & inſtituuntur.

Anno M D C XVI ædes iſta, quæ publicis Academicorum lectionibus dicata eſt; ſubito incendio conflagravit; ut loquitur inſcriptio, quæ ſtatim in ejus frontiſpicio legitur;

MEMO-

MEMORIAE POSTERITATIS

ÆDEM. ISTAM. IN. QVAM. ANNO. CIↃ. IↃ. LXXXI. CVRATORES ACADEMIÆ. ET. COSS. HVIVS. VRBIS. PVBLICAS. ACROASES. TRANSFERRI. VOLVERVNT. QVAMQVE. VERÆ. SAPIENTIÆ. ET. LIBERALIBVS DOCENTIVM. AC. DISCENTIVM. EXERCITIIS. ATQVE. HONORIBVS DEDICARVNT. POSTQVAM. EXORTA. REPENTE. FLAMMÆ. VIOLENTIA III. EID. NOVEMB. ANNO. CIↃ. IↃC. XVI. TECTVM. EIVS. TRABEIS. CATHEDRAS. SVBSELLIAQVE. FOEDE. ABSVMSISSET. EAM. EX. DECRETO ILL. AC. PRÆPOT. HOLLANDIÆ. ET. WESTFR. ORDINVM. IN. HVNC MODVM. MAGNIFICE. RESTAVRATAM. PVBLICIS. DIVINARVM. ATQVE. HVMANARVM. RERVM. DISCIPLINIS. CONSECRARVNT.

ADRIANVS. A. MATENES. DOMINVS. IN MATENES. OPMEER, &c.

CORNELIVS. VAN. DER. MYLE. DOMINVS. IN. MYLE. DVBBELDAM, &c.

ACAD. CVRATORES.

Sequuntur nunc viri Clariores;

Quem res geſtæ & honores loquuntur incomparabilem, *Gulielmum Comitem Hollandiæ* ejus nominis ſecundum ſeriè decimum ac quintũ, ad annum Salutis natæ 1222. iſtis in ædibus, quæ *Lockhorſtiæ* vulgo appellantur, Leida enixa eſt. Loquebatur id ante civiles hos mortus babtiſterium cum ara præſtantiſſima in D. Petri ab illo dedicata. Hic adoleſcens patriæ gubernaculis admotus: & auctâ indies gloriæ & virtutis ſuæ fama, adlaborante præcipue avinculo ſuo Henrico Brabantiæ Duce, ab Innocentio quarto, atque Imperii electoribus, in locum Frederici II, Romanorum Imperator ſuffectus eſt, anno 1246, ætatis 21. Mox Aquiſgranum obſedit, & cepit. Trajectenſes, atque alias fere omnes Hollandiæ civitates immunitatibus municipalibus; & privilegiis dotavit. Hagam in Comitum & Hollandici Concilij ſedem evexit. Flandros in Walachria memorabili pugna cæcidit. Hannonios domuit. Friſios debellare ſatagens, ab ipſis poſtmodum cæſus eſt, anno 1255.

Filius ejus *Florentius, Comes Hollandiæ* ejus nominis quintus, Leidæ etiam natus eſt: Hic Friſios ſemel iterumque debellavit, cæſis eorum 1400. cum Flandro fædus percuſſit, accepta in matrimonium Beatrice, Guidonis Flandriæ Comitis filia. Plurima paſſim opera & arces exſtruxit. In Scotos cogitantem rebelles Flandri avocavere. Ad poſtremum, anno 1296, à Gerardo Velſeno, inſtigantibus Harmanno Woerdano & Gisberto Amſtelio, parricidali manu confoſſus eſt.

Philippus à Leydis, vir ſuo ſæculo ad miraculum eruditus, claruit præcipue ſub Wilhelmo Bavaro, Comite ejus nominis

quinto, cui etiam à conſiliis fuit. Hic primum Decretorum Profeſſor in Academia Pariſienſi, poſtea variis & maximis in patria dignitatibus functus eſt. Scripſit *de ſorte Principantium* libros elegantiſſimos, & alia nonnulla, quæ edita ſunt Leydæ anno 1516. Opera ejus omnia Bibliothecæ publicæ Leydenſi dedicavit Ianus Hautenus, eidem Reipub. à ſecretis, cum politiſſima hac frontiſpicii inſcriptione.

GENIO ACAD. LEID. AC MEMORIÆ SACRVM

D. PHILIPPI. DE. LEIDIS

VIRI. SVA. ÆTATE. DOCTISSIMI. PER. VARIOS GRADVS AD. SVMMA. HONORVM. CVLMINA EVECTI. IISQVE. OMNIBVS HONESTE. FVNCTI. GVILHELMI. DVCIS. BAVARIÆ, ET COMITIS. HOLLANDIÆ. AC. ZELANDIÆ. CONSILIARII. ARNOLDI. DE. HOORN. EPISCOPI TRAIECTENSIS. VICARII. DIGNISSIMI. IVRISQVE. PONTIFICII. APVD. PARISIENSES. ACCVRATISSIMI. INTERPRETIS.

OPERA. REDIVIVA

Quæ. ipſo. adhuc. ſuperſtite. ab. Aurelianenſi. Schola ad. Hollandiæ. Comitem. miſſa. poſtea. per. negligentiam amiſſa. ac. centeſimo. quadrageſimo. poſt. Anno ſelectis characteribus. in. hac. urbe. inpreſſa iterumque. ab. eo. tempore, fatorum. injuria. quaſi intermortua. ac. tantum. non. ſepulta. oppreſſaque. nuper. mea. opera. in lucem. protracta. poſtliminio reſtituta. ſunt. una. cum. Quodlibeticis. quæſtionibus. Hadriani. Florentii. Trajectenſis. Epiſcopi. Dartuſenſis. qui. poſtea. Pontifex. ejus nominis. ſextus dictus. eſt. adfectus. mei. in populares. Academiam. litteratos. ac. præſertim. animi. in. civem. noſtrum. teſtificandi gratia. nominiſque. ejus. in. perpetuum. celebrandi &c. adverſus. incertos. mortalitatis. atque. invidiæ. caſus. conſervandi. Bibliothecæ. Publicæ hu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

cæ hujus. Academiæ. libens. admodum. volenſque dicavi. donavi. conſacravi Kal. vctilib. An. ∞. I Ɔ. XCV.

IANVS. HAVTENVS

REIP. LEYD. SECRETARIVS. VT. HOC. MODO INTER SPLENDIDA. ORBIS. NOSTRI. LVMINA FVLGEAT. SEMPER LEGATVRQVE. A POSTERIS. NOSTER.

PHILIPPVS. DE. LEYDIS.

Ioanne Gerbrandi de Leydis, floruit ſub Maximiliano imperatore, Subprior, & poſtea etiam (ut quibuſdam placet) Prior Cœnobii Carmelitani Harlemenſis. Famam potiſſimum conſecutus eſt editis Epiſcoporum Trajectenſium & Hollandiæ Comitum annalibus; quos ante annos aliquot è Bibliotheca Andreæ Schotti Antverpienſis publici juris fecit Franciſcus Sweertius. Secutum ſe præcipue fatetur Vincentium Beluacenſem, Bartholomæum, qui de inventionibus Rerum libros aliquot conſcripſit, & Ioannem Bekam, cui Rerum Trajectenſium veram & ſuccinctam hiſtoriam debemus. Ediderat primo omnium Chronicon, quod *Hiſtoriæ Hollandenſium* titulo præſcripſerat, quod ipſe in præfatione ſua candide iſtis verbis retractat: *Sicque præſens opus revocat de facto & deſtruit Hollandenſium Hiſtorias nomine meo alias intitulatas; quarum primi libri initium habet*; In principio ſive exordio hujus primi libri duo poſſunt quæri, &c. *Non enim nego illas hiſtorias per me eſſe compoſitas, ſed quia poſtea melius veritatem in dubiis reperi, & meliorem modum excogitavi, multoque plures hiſtorias inveni, idcirco præſens novum opus inchoavi.* Huic operi ſuo decennium totum impendit. Ordinis quoque ſui hiſtoriam libris decem complexus eſt. Scripta nonnulla ſacra etiam conſignavit. Extremum opus, quod condidit, ſunt annales Abbatum Egmondanorum. Vivere & ſcribere deſiit Harlemi, anno datæ ſalutis cIↄ Iↄ IV.

Engelbertus Leydenſis, à Gerardo Noviomago in clarorum & doctorum virorum Belgii indiculo Poëtæ & Grammatici titulo cohoneſtatur. Familiarem hic habuit Weſſelum Hermanni Gandsfortium, Friſium, qui ob exquiſitam in fatali illa temporum caligine doctrinam, & trium linguarum accuratiſſimam cognitionem *Lux Mundi* dictus eſt. Teſtantur id epiſtolæ, quas inter ſe commutarunt, quæque editis Weſſeli operibus inſertæ leguntur. Floruit Engelbertus anno cIↄ CCCC LXXX.

Nicolaus Leontius, non obſcura *Leeuwiorum* apud Leydanos familia oriundus, Grammaticus fuit, itidem Gerardo Noviomago memoratus.

Petrus Blommevenna, vir variarum rerum & præcipue Theologiæ cognitione excellens. Cartuſiam Colonienſem ingreſſus eſt anno ſalutis cIↄ CCCCXLIX, ipſe annos tantum natus XXII. Vixit ibi magna modeſtiæ & pietatis laude annis quinquaginta. Ejuſdem Cartuſiæ Prior, ac Viſi-

tator Provinciæ Rheni etiam fuit. In Theologicis plurima ſcripſit; quorum ſyllabum habes apud Valerium Andream in Bibliotheca Belgica. Obiit anno cIↄ. Iↄ. XXXVI.

Ioannes Franconius Leydius floruit circa annum cIↄ Iↄ XVI. Vir fuit pro captu ſæculi ſui haud leviter eruditus, ut ex præfatione, quam Phillipi de Leydis civis ſui operibus à ſe editis præfixit, apparet.

Cornelius Petri Leydenſis electiſſimis ſcriptis ſuis, quæ anno MDXXXIII junctim Leydæ excuſa ſunt, Medicinam, & in ea præcipue rem Botanicam, illuſtravit.

Petrus Marneſſius hic primum Cyſonii Canonicus Regularis, deinde Carthuſiani ordinis primas creatus eſt, ut patet ex tabella hac, quam ex monumentis Carthuſianorum Cyſonii citat Iohannes Buzelinus Cameracenſis libro primo Gallo-Flandriæ, cap. XIX.

Anno 1540. Petrus Marneſſius, *gente Leydenſis, Hollandus, vita inſtituto religioſus primum normam divi Auguſtini Cyſonij ſectatus, tamdem arrepto melioris vitæ propoſito, commutatis & veſte & moribus Carthuſiam apud D. Audomarum petens in vitam, regulam, denique ſacramenta eorum juravit: ubi dum moribus, converſatione, ſperandæ de ſe optimæ virtutis ſpecimen pulchre dediſſet, Goſnanienſi Priori jam demortuo omnium expetentium votis ſubrogatur. Et quia impoſſibile foret, lucernam in edito montis loco collocatam nulli non ſplendeſcere; euſque & virtutis & bonæ famæ ejus rumor pervaſit, ut ab omnibus amatus, arcano quodam conſilio, poſtremo omnium Carthuſiani Ordinis Primas inſtitueretur, ſeu Generalis 36. Obijt anno* 1546.

Joannes Gerardus Leydenſis, anno 1544. peregrinationem in terram ſanctam ſuſcepit, totumque illum tractum, & quæ in illo viſu vel auditu digna, ſcripto conſignavit, ut diſertim teſtatur Chriſtianus Adrichomius in ſua Paleſtinæ deſcriptione.

Cornelius Verheyden, ſummum in Medicina gradum conſecutus, feliciſſimam praxim apud Delfenſes exercuit. Virum fuiſſe eruditiſſimum facile eſt colligere ex elegia illa, quam honori ejus ſcripſit M. Harmannus Schinckelius, Acroſtichis; DOCTOR CORNELIVS HEIDIVS LEIDENSIS MEDICVS EXIMIE DOCTVS.

Gerardus Tuningius rara quadam & prope incredbili ingenij facilitate ſex menſibus Linguam Latinam perdidicit, & eadē felicitate in cæteris uſus triennio aut quadriennio vix integro omnem ſtudiorum curſum, adjecta peregrinarum cognitione accuratiſſima, feliciter abſolvit. Ad ſtudia autem primum acceſſit anno ætatis ſuæ undevigeſimo. Ius in Academia patria cum magna celebritate docuit, maximis ſæculi viris ob ſingularem ingenij ſui amænitatem acceptiſſimus. Hic Ioſephum Scaligerum, horrendæ eruditionis virum, qui tunc in Galliis degebat, ab Henrico Magno,

Leyden[illegible]

Leydenſi Academiæ fataliter impetravit. Animam, vagulam illam & blandulam, anno ſupra milleſimum & ſexcenteſimum decimo Bruxellis, quo animi cauſſa ſe contulerat, cum magno ſuorum dolore exhalavit, annos natus 46. Sepultus in S. Catharinæ, cum hoc honoris ſui titulo,

Si qua peregrinis dignata eſt manibus urna,
Quos procul à patria non ſua claudit humus;
Felicem hunc tumulum! cui jure Batavia mater
Invidet, & tantum vult licuiſſe ſibi.
Conditur hic juris Tuningius *auctor & æqui,*
Facundo, quiſquam ſi prius, ore potens.
Lugdunum peperit, quæ, quarum eſt hoſpita, Muſis
Imbuit: hic legum contigit altus honos.
Mox docuit quidquid didicit, magnæque parenti
Reddidit ingenij dona beata ſui.
Quid niveos mores, intactaque pectora dicam
Sordibus invidiæ, candidiora nive?
Impendit ſibi quiſque virum, dum fata tulerunt,
Et dum fata negant, flet ſibi quiſque virum.
Si fas eſt majora loqui, plus occidit uno,
Hoc tumulo tegitur quiſquis amicus erat.

D. H.

GERARDO. TVNINGIO. LVGDVNO-BATAVO
LEGVM. DOCTORI. ET. IN EADEM. VRBE
EARVMDEM. PRIMARIO. PROFESSORI.
M. H. L. C
IOHANNES. TVNINGIVS
FRATER
CIƆ. IƆ. CX.

Venio nunc ad famigeratum illum Anababtiſtarum Regem, Iohannem Leydenſem, qui opificio ſartor, anno 1534, graviſſimas paſſim in Germania turbas excitavit; & ad poſtremum, capta Monaſterio, urbe Weſtfaliæ præcipua, dignas hujus tam atrocis ſceleris pœnas dedit. De qua miſerabili Monaſterienſium obſidione, excidio, præcipuis rebus tempore obſidionis in urbe geſtis & Ioannis Leydenſis Regis, Knipperdollingi, ac Krechtingi ſociorum ejus extremis libet adſcribere, quæ Antonius Corvinus, qui omnia vidit & diligentiſſime inquiſiuit, elegantiſſima ad Georgium Spalatinum epiſtola olim perſcripſit. Verba ejus ſunt [Seminarium horum malorum Rullius quidam fuit, homo Batavus, ad perfidiam, adque turbandas politicas rationes plane natus. Is quum civitate paulo ante quàm obſidione cingeretur

excedens, alibi perfidiæ ſuæ pœnas dediſſet, collegam habuit Rotmannum, æque ſeditioſum, æque malum, æque perfidum. Hic adiutus opera Knipperdollingi primum in clandeſtinis conventiculis virus Anabaptiſmi ſerere cœpit: deinde quum ſeditioſiſſimum quemq; ſibi adjunxiſſet, ita ut ſe ab adverſariorum injuria facile tutum arbitraretur futurum, cœpit propalam Anabaptiſmum profiteri, adeoque ciendis turbis ſtudere. Et dici non poteſt, quoties poſt hæc in forum concurſum ſit, quoties ad arma conclamatum, quoties ridiculæ ſeditioſorum voces, ad pœnitentiam cohortantium, ni venturam jam jam domini diem experiri velint, exauditæ. Knipperdollingum ferunt, ſæpe veluti Enthuſiaſmo percitum, per omnes civitatis vicos currere ſolitum, adeoque obvium quemque adflando, iis verbis: Accipe Spiritum ſanctum, allocutum eſſe. Quibus præſtigiis, quid poſſet excogitari vel ſtultius vel ridiculum magis? Atque hæc tragœdia eò proceſſit, ac progreſſa eſt, ut nec per illuſtriſſimi principis noſtri Lantgravij legatos, (qui tamen antea turbatas res inter epiſcopum ac civitatem compoſuerant) nec aliarum civitatum literis mitigari potuerit. Ibi tum prophetæ exorti, civitate boni ejecti, aliena bona direpta, adeoque ea deſignata ſunt, quæ ne Turcam quidem, quantumvis immitem ac barbarum, apud ſuos toleraturum fuiſſe, credibile eſt. Quare ſublata omni reſipiſcentiæ ſpe, obſidio ſubſecuta eſt. Et quum parum feliciter, bis atque iterum oppugnatio tentata eſſet, adeoque civitas ipſa erectis caſtellis aliquot per gyrum corona cingeretur, auſi ſunt aliud tentare facinus. uſque adeò inſolentes una atque altera victoria effecit. Nimirum regem creavere, penes quem rei ſummam eſſe voluerunt. plerique à plebe creatum exiſtimant. Sed dixit ipſe mihi rex, ſe à propheta quadam, cui Deus eam rem per viſionem patefecerit, ad id faſtigij evectum eſſe: utcunque ſit, creatus, talem ſe geſſit, ut planè regio more, circa ipſum adminiſtrarentur omnia. Coronam ac diadema regiū geſtabat, equo per urbem vectabatur, aureis calcaribus utens. Iter facientem, duo pueri præcedebant, præter aliam ſatellitum turbam: quorum alter gladiū, alter vetus teſtamentum portabat. Et pœna parata erat prætergredienti non congeniculantibus. Aulam præfecturis ac officiis ita inſtituerat, ut ſi natus rex fuiſſet, prudentius non potuerit. Fuit enim in excogitandis iis, quæ regalem pompam decebant, mirus artifex. Ad hæc in patria lingua facundus, ſubdolus, fraudulentus & verſipellis. Reginam pari ſecum honore habebat, cui etiam cæteras uxores, ſive cōcubinas mavis, ſubjecerat ac parere jubebat. Vnam ex iis, (erant autem numero quatuordecim) ſuapte manu, utpote earum rerum quæ ibi gerebantur contemptricem, adeoque tranſitionem ad hoſtes parantem, interfecit: idque in reginæ palatio, fortaſſis ut cæteris timor incuteretur. Quod facinus quum ego illi poſt perinde atque barbarum ac Scythicum objicerem, reſpondit, ſe, quicquid hujus fecerit, jubente atque imperāte propheta feciſſe. Pari crudelitate omnes, quotquot nephariis ejus vel conſiliis vel cœptis reclamare auſi ſunt, necari juſſit. Cujus rei teſtis adhuc eſt arbor tilia, haud ita procul à Canonicorum eccleſia, ad quam deligati, ac æneis tormentis transfixi ſunt. Addam ſtultitiæ quoddā ac temeritatis exemplum: Mulier quædam obſidionis tempore inventa eſt, quæ ſe Epiſcopo facturā polliceretur, quod Iudith Holoferni olim feciſſet: neque prius in urbem redituram, quàm Epiſcopi caput unà ſecum retuliſſet. Et non defuerunt

fuerunt

fuerunt, qui ſtultiſſimis promiſſis, æque ſtulte fidem haberent, adeoque belle ornatam ad tantum facinus peragendum emittendam cenſerent. Sed ſtatim finem invenit tam inſignis temeritas, vel ſi mavis inſania. deprehenſa enim crimen confeſſa ac necata eſt. Qua de re, ita quum aliquando in rheda Horſtmariam veherer, ſic luſimus.

Forte MonaſterI præſul dum cingeret urbem,
Compleſſetque omnes obſidione vias,
In medio exurgens populi temulenta virago,
Adfero perniciem præſulis hoſtis ait,
Juditæ, Holofernem verbis deluſit & arte,
Remque malam oranti præmia digna dedit.
Ipſe Deus mihi conſilium patefecit in hoſtem,
Quem puto præſentem propiciumque fore.
Vrbe egreſſa igitur caſtris ſeſe intulit audax,
Tempus diſquirens perfidiæque locum.
Sed deprenſa aliud ſimulat fingitque docetque,
Donec tormentis res patefacta fuit.
Tum verò pœnam nacta eſt pro talibus auſis,
Et periit gladio jure necata ſuo.

Hæc omnia, quanquam plus æquo & mala & inaudita fuerint antehac, tamen longè peiora adhuc deſignaturi haud dubie erant, ni tandem, miſerante Deo, & penuria rerum omnium laborare cœpiſſent, & per proditionem urbs ipſa capta fuiſſet. Capta autem eſt per portam crucis, profugo quodam, Epiſcopi milites, aliquot interfectis cuſtodibus, in urbem ducente, qua de re, quum iſtius facti ratio nobis in eo ipſo loco explicaretur, ita ſtatim luſimus nos.

Baptiſmus ſignum eſt mortis, crucis atque doloris,
Crux Anabaptiſtis ſemper in ore fuit.
Idcirco ut propria damnati voce perirent,
Crux fuit inſanis, diruta porta crucis.

Rex ipſe captus eſt, adque principem deductus. Captus eſt & Knipperdollingus una cum Krechtingo quodam, qui à conſiliis regi fuerat. Cæterum, direpta urbe, tum primum, quanta rerum omnium penuria laborarint, etiamſi perfugæ quoque ea de re nonnihil antea indicaſſent, compertum eſt. Prorſus intoleranda ac vehemens Sagunti fames fuit, quum à Pœnis obſidione premeretur. Fuit & Hieroſolymis ingens fames, quum à Veſpaſiano obſiderentur: at nihilo minorem ſenſere Anabaptiſtæ Monaſterienſes. Vidi ipſe multos ibi libros, quorum detracta coria victum miſeris ſuppeditarant, & eo inediæ poſtea ventum eſt, ut nullum corij genus tam fuerit durum, quod non eſculentum illis factum ſit. Imò ſcio pueros quoque comeſos ibi eſſe, id quod ab iis auditum mihi eſt, qui in reliquias quaſdam capta urbe ejus rei teſtes inciderunt. Sed tamen tot tantiſque malis, adeo improbitas perditiſſimorum hominum imminuta non eſt, ut nihilominus & choreas interdum duxerint, & ſpectacula ediderint, & omnia phana, omnes ædes ſacras deſtruxerint ac demoliti ſint. Imaginibus adeò infenſi fuere, ut etiam pictarum in parietibus ac feneſtris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

ſtris, facies, oculos, ac ora miſere fœdarint. Deditionis nulla unquàm apud eos facta eſt mentio: prophetis nimirum obſidionis ſolutionem nunquàm non vaniſſime promittentibus. Ad regem revertor, de quo certi aliquid ſignificari tibi poſtulas. Is poſt captam urbem, quum ſpectaculi vice huc atque illuc ductus eſſet, detruſus tandem eſt in carcerem, non Monaſterii, ſed in arce quadam principis, eaque egregie munita, quam Bevergern vocant, Knipperdollingo ac Krechtingo Horſtmariam miſſis, inque vincula conjectis. Verum poſt, quo conſilio tamdiu in vinculis habiti ſint antea quàm mactarentur, id equidem ignoro, niſi ſorte divina bonitas pœnitentiæ ac reſipiſcentiæ tempus iiſdem obtuliſſe exiſtimanda eſt: certe multis verbis huc provocati ſunt. Iam hunc conflictum, alia cum Knipperdollingo ac Krechtingo lucta excepit, qui ut neque caliditate, neque facundia regi pares fuere, ita majus tædium nobis peperere ac faſtidium. Et aptior futurus Knipperdollingus ad gladiatorium munus erat, quàm ad religionis controverſias tractandas. Porrò ſi quis deſcriptionem ejus hominis requirat, nihil de Catilina ſcripſit Saluſtius, quod non in hunc quadret aptiſſime. Magna vi fuit & corporis & animi, ſed ingenio malo pravoque. Cui etiam ab adoleſcentia bella inteſtina, cædes, rapinæ, diſcordia civilis, grata fuere, ſicque juventutem ſuam exercuit. Animus audax, ſubdolus, varius, cujuſlibet rei ſimulator, & diſſimulator, alieni appetens, ſui profuſus, ardens in cupiditatibus, nonnihil loquentiæ, ſapientiæ parum, vaſtus animus, immoderata, incredibilia, nimis alta ſemper cupiebat. Cæterum poſt hoſce noſtros conflictus, non diu in vinculis habiti, ſed ſtatim Monaſterium mactandi videlicet, ducti ſunt. Altera poſt Agnetis dies, ei negocio deſtinata eſt. Rex pridie quàm mactaretur, interrogatus: Velletne ſacerdotem ad ſe, cui peccata in aurem inſuſurraret, adduci an ſecus. Reſpondit: A prudentis viri colloquio ac conſilio non abhorrere ſe, imò magni beneficii loco habiturum, ſi dominum Ioannem à Siberg, principis ſacellanum, colloquii cauſa ad ſe admittant. Nihil hic petenti negatum. Protinus enim ut haberet, in cujus veluti ſinum omnes animi æſtus effunderet, is quem volebat miſſus eſt. Qui poſtea ad nos reverſus, miram fuiſſe miſeri hominis pœnitentiam renunciavit, adeò, ut etiam ingenue confeſſus ſit: Si decies occidi poſſit, mortem certe decies meritum eſſe ſe. Et tamen induci non potuiſſe, uti errorem de baptiſmo ac humanitate Chriſti recantaret. Ante omnia hoc conqueſtum dicebat. Dolere ſibi vehementiſſime, quod illuſtriſſimi principis Lantgravii fideliſſimum conſilium, toties ac tam ſuperbe aſpernatus ſit, quem nunc tandem intelligat pio zelo, ſocia arma cum epiſcopo contra furorem tum ſuum tum civitatis, quum omnis generis admonitiones aſpernati eſſent, conjunxiſſe. Quod ſi præſens Lantgravius eſſet, ſuppliciter ſe ejus delicti veniam oraturum, id quod nunc à Corvino ac Kymeo, quàm primum in patriam redeant, fieri cupiat. Poſtero igitur die ad tribunal judicis ordine pertracti ſunt, adeo que accuſati. Regem primo egere reum maxima flagitia ac facinora quæ inficialem ſtatum haud quaquam admiſſura erant; utpote toti Germaniæ nota, eidem objicientes, qui ſive ad deſperationem actus, ſive mortis terroribus extra ſe raptus contra magiſtratum quidem peccaſſe ſe, reſpondit, ſed non contra Deum. Quaſi verò non eadem ratione, & in deum & in dei ordinationem peccetur. Confeſſu tamen & Anaba-

ptiſmum,

ptiſmum, & ſeditionis & læſæ majeſtatis crimen, morti adjudicatus eſt. Ad quem modum & in Knipperdollingum & Krechtingum, quum ob eadem crimina accuſarentur, neque inficiari quæ deſignarant, poſſent, lata mortis ſententia eſt. Rex omnium primus, quum ad ſupplicij locum, qui editior aliquanto à terra extructus erat, duceretur, flexis genibus ac manibus conplicatis, hæc tantum effatus; Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum, ad palum deligatus eſt. Poſt ignitis ac candentibus forpicibus aliquandiu excruciatus, ac enectus, magno certe ſacrificorum, quorum valde ferax ſemper fuit Monaſterium, applauſu & lætitia. Cum animam egiſſet rex, ductus ad idem ſupplicium eſt Knipperdollingus, qui tamen ad palum deligatus, an aliquid locutus ſit, neſcio. Certe qui non tam procul à ſupplicij loco aberant quàm nos, dixiſſe eundem ferunt. Deus propicius eſto mihi peccatori. Alias inter cruciatus perpetuum ſilentium fuit. Poſtremo Krechtingus, eodem ſupplicij genere periit, quem adhibitis forcipibus, his, O pater, ô pater, exclamantem audivimus. Multos videre hic fuit, quibus ſpectaculo hoc nihil jucundius accidere potuiſſet. At nobis ac aliis nobiſcum perpendentibus, quicquid factum hujus ſit, propter peccata noſtra factum eſſe haud ita jucundum fuit. Equidem jure ac merito è medio ſublati ſunt: iſtud enim quis ſanæ mentis non fateatur? Sed tamen interim noſtra quoque peccata agnoſcere debemus nos, quorum & enormitatem & magnitudinem deus hiſce ceu flagellis ulciſci voluit. Cum horrendum hoc, dignumque de facinoroſis hominibus ſumptum eſſet ſuppliciū, incluſi tandem ſunt, ſinguli in ſingulas fiſcellas, eaſque & ferreas & cancellatas, ita ut à longe & conſpici & agnoſci poſſent. Ac poſt ad ſummitatem turris divi Lamberti adfixi. Non ſolum ideo ut perpetua harum rerum extet memoria, verumetiam ut omnibus ſeditioſis exemplo ac terrori ſint, ne quid tale vel tentent vel audeant in poſterum. Atque hic fuit peſſimæ hujus tragœdiæ peſſimus exitus. Annum ac diem, in quo acta hæc ſunt, verſibus pluſquam extemporaneis ita nos complexi ſumus.

Quingentos ſi ter numerare fideliter annos
Pergas, dein ſenos addere terque decem.
Regis habes certum tempus tunc jure necati,
Quo vix in terris nequior alter erat.
Inde diem ſi noſſe voles, Vincentius illum
Martyrio fecit tempus in omne ſacrum.

Leydæ ætate noſtra ambitus ſane magnus eſt, figuræ ovali propior, quam rotundæ. Hinc lateritium, inde terreum vallum cingit, crebris turribus interjectis. Ædes ſacras præcipuas tres habet. Quarum princeps eſt D. Petri, clariſſimorum virorum ſepulchralibus monumentis inſignis. Huic dignitate ſecundum eſt D. Pancratio ſacrum templum. Tertium S. Mariæ, in quo conditus ille eruditorum Princeps, Ioſephus Scaliger, cum hoc honoris titulo, quem ipſi Academiæ Curatores, & Vrbis COSS. erexere;

DEO
OPT. MAX.

SACRVM

ET

ÆTERNÆ. MEMORIÆ. IOSEPHI. IVSTI SCALIGERI. IVL. CÆS. A. BVRDEN. F. PRINCIPVM. VERONENSIVM. NEPOTIS. VIRI. QVI. INVICTO. ANIMO. VNA. CVM. PARENTE. HEROE. MAXIMO. CONTRA. FORTVNAM ADSVRGENS. AC. IVS. SVVM. SIBI. PERSEQVENS. IMPERIVM. MAIORIBVS. EREPTVM. INGENIO EXCELSO. LABORE. INDEFESSO. ERVDITIONE INVSITATA. IN. LITTERARIA. REPVB. QVASI FATALITER. RECVPERAVIT. SED. PRÆSERTIM EIVSDEM. MODESTIÆ. QVOD. SIBI. FIERI. VETVIT. IIDEM. QVI. IN. VRBEM. HANC. VOCARVNT. CVRATORES. ACADEMIÆ. AC. VRB. COS. HOC. IN. LOCO MONVMENTVM. P. E. L. C.

IPSE. SIBI. ÆTERNVM. IN. ANIMIS. HOMINVM RELIQVIT.

Ipſe ſarcophago ſuo, præter verba iſta, nihil inſcribi voluit;

IOSEPHVS. IVSTVS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

HIC. EXSPECTO. RESVRRECTIONEM.

Curia præſtantiſſimi operis eſt; in cujus oraculo Icon extremi judicij videtur, Opus pictorum nobiliſſimi Lucæ Leydenſis, pro qua tabula ajunt Rudolphum ſecundum Impetorem, elegantia ejus illectum, tot aureos Hungaricos obtuliſſe, quo ſcilicet aurei ad obtegendam illam tabulam neceſſarij viderentur: Erectum gravioribus Theologiæ, Iuris, Medicinæ, Philoſophiæ & litterarum humaniorum ſtudiis publicum ædificium ſatis elegans eſt; vaſtumque & commodum. Aer lętus eſt & ſuccidus. Ad populi commoditatem non deſunt variis locis ſcatentes aquæ Rheni, Rapenburgi, Marnæ & aliorum limpidiſſimorum fluviorum. Ager circumjectus totius Hollandiæ uberrimus eſt, qui Rhenolandiæ nominę vocitari vulgo conſuevit, cujus caput hodie Leyda eſt.

PAGI CIRCA LEYDAM CELEBRIORES.

RENSBVRGVS. Hic anno MCXXXII Abbatiam monialium Ordinis S. Benedicti Petronella, Lotharij ejus nominis ſecundi imperatoris ſoror, & Florenrij ſecundi vidua celeberrimum fundavit. In hanc moniales quadraginta, non niſi præcipuæ nobilitatis, admittebantur. Vt paret ex bulla Alexandri Papæ anno 1499. In qua, præter alia, verba hæc leguntur.

Lau-

Laudabilis conſuetudo hactenus obſervata fuit, quod Epiſcopus Trajectenſis, qui pro tempore exſtitit, electiones Abbatiſſarum dicti Monaſterij, quæ pro tempore factæ fuerunt, confirmare, nec non Monaſterium ipſum & illius perſonas viſitare & reformare haberet, & quod nulla inibi monialis reciperetur, niſi de nobili genere, ex utroque parente, & quatuor avis procreata exiſteret, nec ultra numerum quadraginta computatam Abbatiſſa aliquam monialem inibi recipere poſſet, quodque Abbatiſſa, pro tempore exiſtens duas, & ſingulæ Moniales ſingulas, ac Rector eccleſiæ ejuſdem monaſterij, ratione curæ ac animarum unam, portiones ex fructibus dicti Monaſterij perciperent, &c.

Diploma hoc integrum habere qui volet, adeat hujus libri cap. 3. pag. 30. ubi totum ex Rensburgenſium archivis deſcripſimus. Illud conſtat Comitum Hollandiæ ſorores & filias Moniales hic fuiſſe conſtitutas; ut de nobiliorum aliis nihil nunc dicam. Quæ Abbatiſſarum dignitate, quæ præcipui nominis olim fuit, functæ ſunt, iſtæ commemorantur;

Cuniſſa, Biechtenſium Comitis ſoror, mortua anno 1178.

Bonifacia, obijt anno 1187.

Sophia, Diderici VI ejus nominis Hollandiæ Comitis filia floruit anno 1212. Dignitatem tradidit cognatæ ſuæ Agneti.

Agnes, Florentij III filia, vixit anno 1222.

Aleydis à Waſſenaer.

Aleydis à Deventer.

Erdiſſa, anno 1233.

Ada, Wilhelmi I. Hollandiæ Comitis filia vitam finiit anno 1257.

Clariſſa.

Aleydis, anno 1287.

Iutta à Deventer, quæ Iohannis I. Hollandiæ Comitis neptis fuiſſe perhibetur, prefuit anno 1296.

Eliſabetha à Wieldrecht hominem exiit anno 1316.

Ada à *Teylingen*, Symonis filia.

Ada, Diderici Burchgravij Leydenſis filia, obijt ad annum 1316.

Sybilla à *Waſſenaer* vitam exuit anno 1329.

Machtildis à *Duvenvoorde*, exſpiravit anno 1349.

Margareta à *Langerack*, moritur anno 1358.

Clariſſa à *Scenien* (ita enim appellatur in diplomatis antiquis, non *Scengen*, quo modo exaratum habet Gouthovius) vixit circa annum 1364.

Agnes ab Heum anno 1392.

Sophia à *Drongelen* floruit anno 1393.

Catharina à *Rommelſwael* dignitate, neſcio qua de cauſſa, exuta obiit anno 1408.

Margareta à *Bueren* præfuit circa annum 1408.

Clementia ab Horſt mortua eſt anno 1432.

Bertradis à *Langerack* obiit anno 1441.

Margareta ab Ooſtende anno 1432.

Margareta à *Brueliis* vitam finiit anno 1470.

Eliſabetha a Mathenes anno 1499.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Beatrix à *Rommerſwael*, anno 1529.
Adriana à *Botlant*, anno 1535.
Maria Schenx à *Toutenburch*, ſoror Epiſcopi Trajectenſis, anno 1552.
Elburga à *Boetſelaer*, anno 1561. hæc ædes ampliſſimas, ad viros nobiliores excipiendos, monaſterio adſtruxit.
Stephana à *Roſſum* filia Iohannis ab Roſſum, qui frater fuit Martini a Roſſum, mortua eſt anno 1603.
Barbara ab Oyenbrugge obiit anno 1611.
Anna à *Berchem*.

Didericus III. ejus nominis Hollandiæ Comes, ſuſcepta in Paleſtinam expeditione, exemptionis, ut vocant, privilegium Rensburgenſi & Egmondenſi Monaſterio Romæ ab Innocentio ſecundo impetravit. Litteræ ipſæ quidem exſtant apud Iohannem Gerbrandi Leydenſem lib. XVII, cap. XVI. ſed adeo depravatæ, & mutilæ, ut commodum nullum ſenſum ex iis ſit elicere. Nos illas plurimis in locis emendatas ac ſuppleta & integras ex membranaceo codice, quo hic de alibi uſi ſumus, repræſentabimus.

Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio, Waltero, Monaſterij Egmondenſis Abbati, ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Nobilis Vir Theodoricus, Comes de Holland, Ieroſolymam proficiſcens, noſtram præſentiam adijt. Inter cætera vero, quæ ſecum de morum correctione, & vitæ ſuæ inſtitutione contulimus, idem illuſtris vir tam vice ſua, quam etiam Petronellæ Comitiſſæ, matris ſuæ, Egmondenſe monaſterium atque Reynsburgenſe beato Petro Apoſtolorum principi, devotionis intuitu, proprietario jure obtulit & condidit. Et nos igitur, quorum præcipue intereſt, jura ejuſdem cælorum clavigeri ſpecialius defenſare, eadem venerabilia loca in proprietatem ac protectionem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ recipimus; eoque cum omnibus ſuis pertinentiis præſentis ſcripti patrocinio communivimus, ſtatuentes, ut quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona tam in eccleſiis, quam in decimis, terris, vineis, aquis, ſylvis, paſcuis, ac aliis quibuſcunque, quæ eadem monaſteria in præſentiarum juſte & canonice poſſident, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principũ, oblatione fidelium, ac aliis juſtis modis, Deo propitio, poterunt adipiſci, firma nobis in perpetuum & illibata permaneant. Decernimus ergo, ut nulli homini omnino liceat præfata monaſteria temere perturbare, aut eorũ poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſive quibuſlibet moleſtiis fatigare: ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Ad inditium autem, quod eadem Monaſteria beati Petri juris exiſtant, ſingulis annis, tam tu, quam ſucceſſores tui quatuor ſolidos Friſingenſis Monetæ nobis noſtriſque ſucceſſoribus cenſus nomine perſolvetis. Si quæ ſane eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona, hujus noſtræ conſtitutionis paginam

ſciens,

ſciens, contra eam temere venire præſumpſerit, ſecundò tertiove commonita, ſi reatum ſuum congrua ſatisfactione non correxerit, à ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei ac Domini Redemtoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem iiſdem locis jura ſua ſervantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud judicem diſtrictum præmia æternæ pacis inveniant. Amen. ſic ſubſcriptum. Ego Innocentius, Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus, Ego Conradus Sabinenſis Epiſcopus. Ego Gerardus preſbyter Cardinalis tituli S. Crucis in Hieruſalem. Ego Theodeminus S. Rufinæ Epiſcopus, Ego Albertus Albanenſis Epiſcopus. Ego Lucas presbyter Cardinalis, titulo ſanctorum Johannis & Paulli. Ego Albertus, Hoſtienſis Epiſcopus. Ego Anſelmus Cardinalis presbyter S. Laurentij in Lucina. Ego Otto Diaconus Cardinalis S. Gregorij ad velum aureum. Ego Gregorius Diaconus Cardinalis ſancti Angeli. Data Lateranis, per manum Emerici Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarij, pridie Calendas Martij, Indictione tertia, Incarnationis Dominicæ anno milleſimo centeſimo triceſimo nono, Pontificatus vero Domini Innocenti ſecundi, Papæ, anno undecimo.

Abbatia hæc monialium ordinis S. Benedicti, Dioceſ. Trajectenſ. *Cluniacenſis ordinis* hæc habet Confirmationis & immunitatis Pontificiæ Diplomata. Clemens datum Avinoni VIII. Kal. Maij, Pontificatus ſui anno octavo. Idem datum ibid. V. idus Aprilis Pontif. ſui anno quarto. Honorius Laterani VI. Kal. Maij, Pontif. ſui anno primo. Alexander Viterbij iij. Idus Decembris, Pontif. ſui anno tertio. Bonifacius Laterani xij. Kal. Novembris, Pontific. ſui anno octavo. Iohannes Avinoni. Idus Decembris, Pontificat. ſui anno primo. Idem Avinoni. Idus Aprilis, Pontificat. ſui anno quarto. Innocentius Lugduni iij. Nonas Decembris, Pontificat. ſui anno octavo. Nicolaus Romæ apud Sanctam Mariam majorem iij. Non Ianuarij, Pontificatus ſui anno primo. Idem Viterbij viij. Kal. octobris, Pontificatus ſui anno ſecundo. Gregorius Lugduni Kal. Iunij, Pontificatus ſui anno tertio, Clemens Avinioni iiij. nono Maij, Pontificat. ſui anno quinto. Idem Ibidem x. Kal. Februari. P. S. anno ſexto. Iohannes Avinioni P. S. anno primo. Innocentius Laterani xv. Kal. April. P. S. anno quarto decimo. Clemens Avinioni XII. Kal. Maij. P. S. anno octavo. Innocentius Peruſij ij. Kal. Octobris, P. S. anno decimo. Vrbanus Viterbij V. Idus Martij P. S. anno primo. Clemens Avinioni XI. Kal. Novemb. P. S. anno octavo. Alexander Litteras de protectione ſpeciali dedit, teſtes

Cunhujus preſbyter Cardi. titulo S. Cerilæ.
Hugo presbyter Cardi. titulo S. Clementis.
Matthæus presbyter Cardi. titulo Marcelli
Theodinus Portuenſis & ſanctæ Rufinæ Epiſcopus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Henricus Albanenſis Epiſcopus.
Verneredus Prænestinus Epiſcopus.
Ardicio Diaconus Cardi. Serth. ordi.
Grananus Diac. Cardi. Sanctorum Coſmæ & Damiani,
Johannes Diaconus Cardi. S. Angeli.
Lamenus Diac. Cardi. S. Adriani.
Matthæus S. Mariæ nomine Diac. Cardi.

Datum Anagnoni per manus Alberti S. Romanæ eccleſiæ preſbyteri Cardi. & Cancellarij non. Novemb. Indictione XIII. *Incarnationis Dominicæ anno* M.CLXXVIIII. *Pontificatus Domini Alexandri Papæ* III. *anno* XXI.

Erant ibi & plura alia Principum diplomata, quibus aut ſplendide dotant, aut præclaras immunitates Monaſterio huic concedunt, quorum præſtantiora ſparſim in hac opella noſtra leguntur. quatuor hæ, quæ ſequuntur tabulæ, ineditæ dignæ nobis viſæ, quæ hoc loco legerentur, quod commodiorem alibi non ſint habituræ.

I.

In nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti Amen. Ego Wilhelmus Comes Hollandiæ notum facio tam præſentibus, quam futuris, quod animæ meæ, & uxoris meæ, nec non & prolis noſtræ ſaluti volens providere; centum menſuras terræ infra officium Oſtcapelle ad eccleſiam S. Mariæ de Rinſburch attinentes, ab omni onere petitionis, reliquoque exactionis gravamine, quantum ad jus Hollandiæ dignoſcitur pertinere, liberas & abſolutas in perpetuum omnimodis dimitto præter terram illam, quam frater meus Theodericus Comes eodem modo eidem eccleſiæ liberam dimiſit: ut autem hoc factum meum ratum & inconcuſſum conſervetur, præſentem paginam ſigilli mei teſtimonio, & teſtium patrocinio duxi muniendam. Teſtium vero nomina, qui ſubſcriptioni huic interfuerunt, ſunt hæc; Petrus de Dunis, Daniel de Tholan, Petrus de Middelborch Abbates, Hugo de Vorne, Godefridus de Breda, Wilhelmus de Riſwic, Theodericus de Theylinge, Iacobus Caſtellanus de Leyden, Wilhelmus de Koudekerck, Walterus de Cruninge, Ægidius de Sabbinge, Symon Nevekin; Actum anno incarnationis Dominicæ milleſimo, ducenteſimo, tertio decimo, menſe Decembri; Datum per manus ſcriptoris mei apud Middelburh.

II.

In nomine patris, filij, & ſpiritus ſancti Amen. Fernandus Comes Flandriæ & Haynoniæ, & Ioanna uxor ejus omnibus præſentem paginam inſpecturis ſalutem.

Notum

Notum ſit univerſis, quod nos in remiſſionem peccatorum noſtrorum, anteceſſorum & ſucceſſorum noſtrorum, centum menſuras terræ infra Officium Oſtcapelle ad eccleſiam Sanctæ Mariæ de Rinſburch attinentes; ab omni onere petitionis, reliquoque exactionis gravamine, quantum ad jus Flandriæ dignoſcitur pertinere, liberas & abſolutas in perpetuum modis omnibus dimittimus. Ut autem hoc factum noſtrum ratum conſervetur præſens ſcriptum ſigillorum noſtrorum appenſionibus fecimus roborari. Actum feria ſecunda ante Natale Domini, anno Dominicæ incarnationis milleſimo ducenteſimo tertio decimo.

III.

Ego Florentius Comes Hollandiæ, Notum facio univerſis præſentem paginam inſpecturis, quod certum atque ratum habeo, Donationem, quam Domina Maria quondam Imperatrix contulit Abbatiſſæ & Conventui S. Mariæ in Rinſburch, videlicet v. lib. annuatim ij ad pitanſam Dominarum, iij lib. in die Ponciani in miſſa animarum bonæ memoriæ patris mei Comitis Hollandiæ Willelmi, & prædictas v. lib. in Officio de Dordreg, quod in vulgari vocatur, Scrotambacht *annuatim recipient præſentium teſtimonio litterarum. Datum Anno gratiæ* MCCXXXII *Apud Leydis, proxima dominica, poſt Matthiæ.*

IV.

Ego Maria, quondam Hollandiæ Comitiſſa, Notum fieri volo, univerſis tam futuris, quam præſentibus, quod pro remedio animæ mariti mei, piæ recordationis, Willelmi, quondam Comitis Hollandiæ, Eccleſiæ beatæ in Rinſborch Mariæ & ſpecialiter ad hoc, ut ad altare quoddam ad pedes ſepulchri ipſius conſtructum, omni die, quo licitum eſt, & fieri ſolet, ei Miſſa pro fidelibus defunctis celebretur. Quinquaginta lib. Hollandenſium ad comparandos reditus infra biennium teneor perſolvere, ita quoque, quod donec eas perſolvero annuatim ad natale domini eidem eccleſiæ quinque lib. ejuſdem monetæ tenebor impertiri. In hujus rei memoriam & firmitatem præſens ſcriptum ſigilli mei appenſione, & teſtium, qui interfuerunt, ſubnotatione, feci communiri. Sigillum Florentij Comitis Hollandiæ, Wilhelmi de Thelingen, Philippi de Waſſenere, Martini de Monſter militum, &c. Florentij capellani, Magiſtri Henrici de Stene, Canonici Brugenſis, & aliorum quamplurium, tam clericorum, quam laicorum. Actum Rinſborch præſente Emeſſa Abbatiſſa, & capitulo de Rinſborch. Anno gratiæ MCCXIII. *Menſe Iunio.*

In templo monaſterij Rensburgenſis Hollandię Principes terræ olim mandabantur. Rudera ejus hodieque perdurant,

ur & tres illæ ſepulchrales inſcriptiones Wilhelmi primi, & uxoris ejus Aleydis, filiæque ejus Adæ.

1. WILHELMVS. PRIMVS. COMES HOLLANDIC. OBIIT. A. MCCXXIII.

2. ALEYDIS. FILIA. COMITIS GELDRIC. VXOR. EIVS. OBIIT. A. MCCXVIII.

3. ADA. FILIA. WILHELMI PRIMI. COMITIS. HOLLANDIC. IN. REINSBVRCH ABBATISS. OBIIT A. MCCLVIII.

Effoſſi hic nuper ſunt nummi aliquot, eamdem præferentes inſcriptionem, quam illi, qui Voorburgi reperiuntur. Lapides etiam tractavi, in quibus tria hæc verba legebantur; LEG. INF. GERM. id eſt; *Legiones inferioris Germaniæ.* Vidi etiam lampada fictilem, cui inſcriptum erat nomen ATIMETI. Credo veteres nomina ſua ſupellectili olim incidiſſe Atimeti nomine commemoratur quidam libertorum Auguſti. Eruta hic etiam olla collo quidem longo illo, ſed admodum anguſto.

OOSTGEESTA. Cognominis familiæ mentio eſt in his tabulis, quas ea de cauſa adſcribam, quod alibi aut nunquam, aut rarò admodum illa occurrat.

Ego Wilhelmus Comes Hollandiæ notum facio omnibus præſentia inſpecturis, quod contuli dilecto meo, Domino Th. de Oiſtgeſt terram, quæ jacet inter Monſter & Stinckenderwale; quam à me in feodo habuit perpetualiter in allodium. ut ſciant præſentes & poſteri præſenti paginæ ſigillum noſtrum appoſuimus. Datum Leydis Anno Domini M. CC. XLII. *feria quinta poſt Lamberti.*

NOORTVICUS peculium ut nobilitate, ita doctrina illuſtrium Douſarum. Ianus Douſa pater amæniſſimi & facillimi ingenij heros, ac, ut de eo recte dictum eſt, alter Bataviæ ſuæ Varro, poſt perſecuta Lyræ in Brabantia & Delfis ſtudia, ad rempublicam gerendam admotus eſt. Donec per quoſdam velut honorum gradus, in ſupremum Curiæ patriæ Senatum adoptatus eſt. Academiæ Leydenſi, quæ ipſi plurimum debet, annos præfuit triginta & novem. nec tamen dum commiſſa ſibi Reipublicæ negotia ſedulò tractat, à Muſis ſuis abſtinuit. Scriptis enim ſuis aureolis, clariſſimam nominis ſui famam per Europam univerſam, etiam Aſiam apud Græcos Europæos excitavit. Ita nulli gravis, ſed comis omnibus & acceptus vixit uſque ad annum currentis ſæculi quartum, ætatis quinquageſimum & nonum, quo exſpiravit. Pro funere ipſi, ut Gratiarum, ita Vnicum Douſæ corculum, Daniel Heinſius dixit. Defuncto etiam ſcriptum eſt hoc Epitaphium;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Siſtas viator: Douſici manes rogant
Tempus exiguum, moramque parvam.
Quem terra novit, Troicique pallida
Mater Memnonis, integerque Phœbus,
Quique emerentem ſurripit terræ diem.
Non iſti gemituſque tibiæque
Inane murmur, ſordidamque næniam
Mendicant cineres, vagumque leſſum,
Fractique raucos æneatoris modos;
Sed plenas tibi lachrymas remittunt.
Cui tota luctum deſtinat tellus ſuum,
Unius ſcelus eſt ciere voce.

Iani, Georgij, ac Franciſci Douſarum, parens fuit. Ianus poëta fuit & philologus inſignis. Sepultus Hagæ Comitis in templo primario cum hoc titulo;

I. DOVSA. IANI F. HIC
CVBAT. QVI VIXIT. ANN.
XXV. MENSES. XI. DIES. IV.

Georgius, Oriente peragrato, Epiſtolam dedit de Itinere ſuo Conſtantinopolitano, cum inſcriptionibus aliquot, quæ adhuc reliquæ in Græcia.

RODANBVRGVS arx munitiſſima olim fuit, à Romanis prope Leydam conſtructa; cujus reliquiæ nullæ hodie ſuperſunt. *Rodanburgum* quaſi *Romanorum burgum* nonnulli dictum volunt. Ego nomen ipſi à tegulis rubeis ſeu auratis adhæſiſſe opinor. His ut plurimum utebantur Romani. Ecce tibi Viennæ Allobrogum inſcriptionem, quæ auratarum ejuſmodi tegularum clariſſimam facit mentionem;

D. D. FLAMMINICA
VIENNÆ
TEGVLAS. ÆNEAS
AVRATAS. CVM
CARPVSCVLIS. ET.
VESTITVRIS. BA
SIVM. ET. SIGNA
CASTORIS. ET. POL
LVCIS. CVM. EQVIS
ET. SIGNA. HER
CVLIS. ET. MERCV
RI. D. S. P.

Prætorium Agrippinæ, cujus mentio eſt in Tabulis Peutingerianis, Rodanburgum eſſe, exiſtimat Antiquariorum præſtantiſſimus Marcus Velſerus, & eum alij ſecuti. Certe inter Lugdunum Batavorum & Caſtra Albiniana, de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

quibus mox dicemus, diſertim collocatur, & millia paſſuum decem numerantur. Quod ſpatium optime Rodanburgo huic convenit, ſi ſtandum ſit Philippo Cluvero, quem vide cap. XVI. de Rheni alveis. Nec adeo vero diſſimile Agrippinam auguſtam, uxorem Claudij Imperatoris, quæ Vbiorum opido, ut narrat Tacitus, nomen ſuum indidit, huic etiam loco Agrippinæ cognomentum indidiſſe. *Prætorium* autem nihil aliud heic deſignat, quam villam urbanam. Quo modo accipienda eſt vox hæc apud Ælium Lampridium in Antonino Heliogabalo. *Fertur & promiſſiſſe Phænicem conviviis, vel pro eo libras auri mille, ut in prætorio eum dimitteret.* Ita enim ex veterrimi Codicis veſtigiis reponendum monuit excellentiſſimæ eruditionis vir, Claudius Salmaſius. Ex quo loco præterea facile colligere eſt; in pretoriis hujuſmodi & villis Principum phaſianos, gallinas ruſticas, meleagrides, pſittacos, & aves alias rariores non ſolum ad gulam aut culinam, ſed & voluptatem & delitias aluiſſe. Poſſet etiam *Prætorium Agrippinæ* hic non inepte *tentorium* explicari. Prætorum & conſulum, qui bella olim adminiſtrabant, *tentorium*, *Prætorium* olim dictum fuiſſe, docet Feſtus in *Porta Prætoria*. Caſtrenſium ejuſmodi Prætoriorum meminit Varro lib. IV. de L. L. *In hoc*, de cavo ædium agit, *locus ſi nullus relictus erat, ſub Divo qui eſſet, dicebatur teſtudo à teſtudinis ſimilitudinee, ut eſt in Prætorio in caſtris.* Verum redeo ad inſtitutum. Rodanburgi antiquitatem, præter imbrices litteratos, aliaque figlina Romanæ ſupellectilis opera, quæ magno numero patrum noſtrorum memoria eruta hic ſunt, illuſtris Inſcriptio iſta oſtendit; quam hoc eodem in loco, Cornelio Aurelio & Gerardo Neomago teſtantibus, conſtat eſſe repertam. Libet iſtam hic audire;

IMP. CÆS. L. SEPTIMIVS. SEVERVS
AVG. ET. M. ANTONINVS. CÆS
COH. XV. VOL. ARMAMENTARIVM VE-
TVSTATE. CONLABSVM. RESTI-
TVERVNT. SVB. VAL. PVDENTE LEG.
AVG. PR. PR. CVRANTE CÆ-
CIL. BATOE. PRÆF.
GENS. BATAVORVM. AMICI. ET FRATRES
ROMANI. IMPERII.

Sed vitio typographi duæ inſcriptiones hic in unam coaluere. Teſtatur enim diſertim Aurelius hoc vetuſti lapidis fragmentum majoribus litteris ſeorſim ſic conceptum ſe legiſſe;

GENS
BATAVORVM
AMICI. ET. FRATRES
ROMANI. IMPERII

Amici & fratres, nihil aliud hic eſt, quam fæderati Populi Romani. Quantum autem hoc tunc temporis fuerit indicat

Tacitus

Tacitus Annal. lib. XI. *Primi Hedui*, inquit, *Senatorum jus in urbe adepti ſunt, datum id fœderi antiquo, & quia ſoli Gallorum fraternitatis nomen cum Populo Rom. uſurpant.* Sic Burgundos *Sobolem eſſe Romanam* indicat Ammianus lib. XXVIII.

In lapidis ſuperioris altero pede ſic ſcriptum erat;

S. NERVÆ. TRAIA. CÆS. GER
DACICO. TRIB. P. P. P. COS. V
LVCENSIVM. PRÆF. TRAIANO.
TRIB. POT. LVCENSIVM.

Effoſſum hic & aliud marmor, e quo binas iſtas inſcriptiones dedit idem Aurelius;

I.

SEVERVS. PIVS. PERTINAX. AVG.
IMP. TRIB. POT. VIII. IMP.

II.

AVG. PIVS. PONT. MAX.
P. L. SEPTIM. SEVER
COH. XV. VOL. P. P.

Falſi autem ſunt Cornelius Aurelius, & eum ſequutus Bonaventura Vulcanius, Scholam hoc in loco tam Romanorum, quam Batavorum ſtudiis jam olim fuiſſe excitatam aſſerentes. Cujus rei origo non alia eſt, quam quod inſcriptiones hic quædam repertæ ſint, quæ *Scholarum* facerent mentionem; ut acute & docte obſervat eruditiſſimus Scriverius, quem de hac re pluribus diſſerentem vide in Tabulario Batavicarum Antiquitatum. *Scholæ militares* multæ erant, & quidem tempore Iuſtiniani Imperatoris. Qui his nomen dederant dicebantur *Scholares*. de quibus vide Agathiam lib. V. & Vegetium de re milit. lib. II. cap. 8. & II. Ammianus lib. XIV. *Soliſque ſcholis juſſit eſſe contentum palatinis & protectorum, tum ſcutarijs & gentilibus.* Corippus lib. III.

Ornata eſt Auguſta domus, juſſuque regentis.
Acciti proceres omnes, ſcholaque palati eſt
Juſſa ſuis adſtare locis.

ALFENVM, pagus antiquiſſimus; *Caſtra Albiniana* in Tabulis Peutingeri. Quæ ita indubie vocitata ab Alpheno Varo, quem Batavorum præfectum, in locum Cæcinæ in præfectum Pretorij à Vitellio ſuffectum narrat lib. II. & III Hiſtoriarum Cornelius Tacitus. Propius tamen nomen *Alfini*, cujus mentio in illuſtri hoc lapide.

T. APPALIO. T. F. VEL. ALFINO. SECVNDO
PROC. AVG. XX. HERED. PROC. ALPI. A-
TRECTIANAR. PRÆF. VEHICVL. SVB. PRÆF
CLASS. PRÆT. RAVENN. PR. ALÆ. I AVG.
THRAC. TRIB. COH. I. ÆLIÆ BRITTON.
PRÆF. COHOR. IIII. GALLOR. PATRON.
COLON. FLAMINI. DIVOR. OMNIVM. AV-
GVR. II. VIR. QVINQ. BIS. OB.
MERITA. EIVS
D. D.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Aruſenium agnoſco in iſta inſcriptione:

TERENTIO. L. F
ARVFENIO C. F
L. TVRPINO. C. F
M. ALBANO. L F
T. MVNATIO. T. F.
QVAISTORES
AIRE. MOLTATI
DEDERONT.

Quid ſi tamen *Caſtra Albiniana* à Clodio Albino, qui ſub Severo Imperatore in Gallia defecit, dixerim denominata? Sub Galliarum enim nomine, & totum hunc Bataviæ tractum comprehenſum olim fuiſſe, nemo harum rerum peritus dubitabit. In Gallia autem militaſſe Albinum, præter alia, hoc Apollinis Cumani de ipſo editum oraculum oſtendit;

Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Siſtet eques, ſternet Pœnos, Gallumque rebellem.

De quo plura qui volet, adeat quæ Iulius Capitolinus in ejus vita, & Ælius Spartianus in Severo prodiderunt. quæ omnia huc congerere non eſt noſtri inſtituti. Porro *caſtra* hic pro caſtellis & burgis ponuntur; quæ in limitibus & fluviorum ripis ad arcendos hoſtes exſtruebantur, & à caſtellanis militibus præſidij gratia ſervabantur. Sic uſurpat Auſonius;

Sed modo ſecuris non caſtra, ſed horrea Belgis.

Cujus verſiculi non alia mens eſt; quam caſtella & burgos olim ad defendendos limites in ripa Moſellæ excitatos, nunc, pace ubique firmata, depulſiſque hoſtibus horreorum loco Belgis jam ſecuris & nihil timentibus eſſe. Nec aliter uſurpat Ammianus lib. 14. *Caſtris*, inquit, *oppleta validis & caſtellis.* Et munimenta *perfectum opus caſtrorum* appellat lib. XVI. Sic in lege Iuliani Cod. Theod. *de Erogat. militaris Annonæ. Sicut fieri per omnes limites ſalubri proſpectione præcipimus ſpecies annonarias à vicinioris limitis Provincialibus ordinabis ad caſtra conferri, ut in limitaneis caſtris conſtituti milites duas alimoniarum partes ibidem de conditis ſumant, nec amplius, quam tertiam partem ipſi vehere cogantur.* Agitur hic de *conditis militaribus*, quæ aſſervabantur in limitaneis civitatibus, & prout magnæ, aut parvæ eſſent illæ urbes limitaneæ, plurium aut pauciorum menſium habebant condita. Ideo autem in urbibus limitaneis illa condita, quod longe major pars militum in limitibus conſtituta, quibus annona erogabatur, promenda ex horreis publicis, quæ in illis urbibus habebantur. ut docte & curate ad Ælium Spartianum explicat eruditiſſimus Salmaſius. Porro caſtris iſtiuſmodi Rhenus olim à Romanis paſſim erat inſtructus. Hæc qui inſederant milites, *Caſtriciani* & *Ripárienſes* appellabantur. Quorum obvia mentio apud Auguſtæ Rei Scriptores. Apud Flavium Vopiſcum, in Aureliano, Aurelianus ad Vlpium Crinitum ſcribit; *Hi compreſſi ſunt, ſeptem millibus Hiberorum Riparienſium & Caſtrianorum & Daciſcorum interemptis.* Vbi fruſtra ſunt viri eruditi, qui *riparienſes* & *caſtrianos* gentium eſſe nomina crediderunt. Riparij dicti, qui ripam inhabitabant, legiones autem quæ prætendebant apud riparios, riparienſes vocitatæ. Miror autem Caſaubono, viro illi conſummatiſſimæ eruditionis, unde caſtriani appellati ſint, non liquere. A

caſtris,

caſtris, in quibus præſidij loco collocabantur, nomen habent, ut jam diximus. Inter *Riparienſes* autem & *caſtrianos* milites non alia differentia eſt, quam quod *riparienſes* omnes ſint caſtriani, caſtriani autem non ſint omnes *riparienſes*. quod ipſum, quia pauci animadvertunt, alibi, commodiore, ſi Deus volet, loco fuſius docebimus. De *caſtrianis* & *riparienſibus* ejuſmodi militibus indubie egit Author Panegyrici Conſtantino olim dicti. Verba ejus ſunt; *Cum tamen hæc tu magis ad gloriam imperij tui, & ornatum limitis facias, quam ad facultatem, quoties velis in hoſtem tranſeundi, quippe cum totus armatis navibus Rhenus inſtructus ſit, & ripis omnibus uſque ad oceanum diſpoſitus miles immineat.* Atque iſta quidem ſemel putavi dicenda, ut appareat veteres caſtra olim ad defendendos provinciarum limites, in ripis potiſſimorum, ut plurimum, fluminum excitaſſe, & in Germania fere ad Rhenum, ut clare liquet ex illo Panegyriſtæ loco, quem jam adduximus. Inter caſtella autem iſta, quibus Rhenus paſſim erat inſtructus, *caſtra* hæc *Albiniana*, *Romæoburgus*, de quo jam diximus, & *armamentarium* illud *Romanum*, quod *Britannicæ arcis* titulo à plebe ornatur, de quo mox dicemus, non dubium eſt quin debeant referri. In caſtris autem his Albinianis, præter alia antiqua monumenta, ut nommiſmata ærea argenteaque, quæ ſibi donata abſtulit Maximilianus Auguſtus anno cIↃ IↃ VIII, & accuratè enumerat diligentiſſimus Batavicæ Antiquitatis antiſtes Hadrianus Iunius, effoſſum hic nuper eſt vetuſti lapidis fragmentum, cujus verba hæc ætatis injuriam effugerant; LEG. I. N. id eſt, LEGIONIS. I. MINERVIÆ. Cætera ignorantur. Alfenum patriam agnoſcit *Guilhelmus Heda*, vir, ut loquitur Valerius Andreas, ampliſſimus pariter & doctiſſimus, in hiſtoriis verſatiſſimus, in antiquitatibus vero perquirendis ac ſcrutandis ſolertiſſimus, & Philippo I, Auſtriæ Archiduci, Hiſpaniarum Regi à ſecretis. Cum quo ex Hiſpaniis circa annum Domini cIↃ IↃ III, in Belgium reverſus, Eccleſiaſticum ordinem amplexus eſt, & Præpoſitus atque Archidiaconus Arnhemi in D. Walburgis conſtitutus; poſt Decanus ad S. Iohannem Trajecti. Præter *Caroli V Genealogiam* magna ex parte, ut cenſet idem Andreas, fabuloſam, condidit *Chronicon Comitum Hollandiæ, & Epiſcoporum Vltrajectinorum*, à primis initiis uſque ad tempora Henrici Epiſcoporum quinquageſimi octavi; qui ad hanc dignitatem in locum Philippi promotus eſt anno MDXXIV. Scripſit opus ſuum juſſu & auctoritate Epiſcopi, aliorumque Procerum Diœceſis Trajectinæ, ut ipſe præfatione *ad Sanctam & venerabilem Eccleſiam Vltrajectinam* teſtatur: *Sic proinde*, inquit, *juſſiſtis, ut ex gremio veſtro adjunctis nonnullis viris utique litteratis, ac bonarum artium cultoribus Bernardo ſcilicet Harlem, Iohanne Vterwick, Iohanne Solmis, Gherardo Beyer ſcrinia belliateraſque inverteremus* (ſcribe *bibliothecaſque inverteremus*) *& ſi quę temporum iniquitate, ut fit, ſqualore obſita, ſive injuria majorum rejecta, urbis inſigniſque veſtrę Vltrajectenſis eccleſię originem amplitudinemve concernentia inveniremus, &c.* Quem Hedæ locum eo libentius exſcripſi, quod mentionem eorum faciat, quorum opera in hiſtoria hac ſua conſignanda uſus fuit, interque eos *Bernardi Harlemenſis*, ſupra, cum de claris Harlemenſibus ageremus, à nobis prætermiſſi. Quod monere hic viſum. Chronicon hoc Hedæ, cum Hiſtoria Iohannis Bekæ, ejuſdem argumenti, editum eſt Franequeræ anno cIↃ IↃCXII. ſed ut corruptum paſſim, ita etiam mutilum. Mutilum dixi. De quo nemo dubitabit, qui præter alia

infinita, locum hunc è capite IV petitum, propius inſpexerit. Verba ibi ſunt: *Succeſſor quoque ejus*, nempe Trajani, *Hadrianus id ipſum factitavit & poſteriores imperatores, quos* (forte *quod*) *licet conſpicere ex fragmentis & titulis ad veterem Rheni alveum & loca vicina noſtra ætate inventis, quæ exempli gratia & pro memoria poſterorum in parte hic duximus annotanda.* Vbi nunc, quæſo, in vulgata editione fragmenta iſta & tituli inſcriptionum, quos in poſterorum gratiam enotare ſe velle dicit Heda, comparent? Nuſquam certe; cum tamen potiſſima ejuſmodi monumentorum ratio fuerit habenda. Qui hæc poſſident, diutius publico non invideant, nec carbones, quod vulgo ajunt, pro theſauris nobis obtrudant. Vivere deſiit Heda Antverpiæ anno CIↃ IↃ XXVI, conditus in Æde Deiparæ Virginis.

CATVICUS.

Catvicus ad Rhenum vulgo dicitur, à Rheni fluminis præterlapſu. Tribus miliaribus Leyda diſtat, pagus & populi & ædium frequentia ſpectabilis: cui proxime adjacet ejuſdem nominis pagus Catvicus ad mare, *Catwijck op Zee* vulgo dictus; ob arcem præſtantiſſimam hic à Romanis ad oſtium Rheni olim exſtructam memorabilem. *Britannicam* vulgo vocant, Belgæ *het huys te Britten*. Nunc maris inundatione obruta eſt, ſuperioribus annis, recedente longius à littore Oceano, palam omnibus rudera & fundamenta ejus fuere conſpicua; quadrata fere forma, ducentos & quadraginta pedes quolibet latere complexa; ut teſtati ſunt, qui tunc temporis demenſi fuere, & liquido apparet ex ejus ichnographia, quam accurate æri inciſam atque deſcriptam videre eſt apud Iunium in Batavia, & Cl. Scriverium in Tabulario antiquitatum Batavicarum, atque alios; Conditorem ejus plerique faciunt C. Cæſarem Caligulam, uſi auctoritate Suetonij Tranquilli, ita de expeditione ejus in Germaniam ſcribentis in ejus vita, *Poſtremo quaſi perpetraturus bellum, directa acie in littore Oceani, ac baliſtis machiniſque diſpoſitis, nemine gnaro ac opinante quidnam capturus eſſet, repente ut conchas legerent, galeaſque & ſinus replerent, imperavit: ſpolia Oceani vocans, capitolio palatioque debita.* *Et indicium* (ita ſcribendum omiſſo *in*) *victoriæ altiſſimam turrem excitavit: ex quo, ut ex Pharo, noctibus, ad regendos navium curſus, ignes emicarent.* Verum levis iſta eſt conjectura; præſertim cum nulla Batavorum iſtoc in loco à Suetonio facta ſit mentio. Halucinantur etiam Ortelius & Goltſius, qui ex fragmento ſequentis inſcriptionis auctorem ejus D. Claudium facere conantur. Hæc in arcis ruderibus reperta in hanc formam vulgo exhibetur.

...... TANNIC. GERMANIC. PIVS. FELIX.
AVGVSTVS

...... MAX. TRIB. POT. XVIII. COSS. III.
P. P. IMP. III.

.... RAM. A. DIVO. CLAVDIO. ET.
POSTEA

.... ERO. PATRE. SVO. RESTITVTAM.

Inſcriptio hæc, ut dixi, mutila eſt, adeo ut vix commodum

& pla-

& planum ex ea ſenſum ſit elicere; quam ita tamen hoc modo integritati ſuæ reſtituere, & omnino reſtituiſſe videri volunt Viri eruditi:

IMP. CAES. M. AVREL. ANTONINVS
BRITANNIC. GERMANIC. PIVS. FELIX.
AVGVSTVS
PONT. MAX. TRIB. POT. XVIII. COSS. IIII.
P.P. IMP. III.
ARAM. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA
A. DIVO. SEVERO. PATRE. SVO. RESTITVTAM.

Aram Divus Claudius poſuiſſe dicitur, non armamentarium. Niſi pro RAM in lapide ſcriptum fuerit RIVM, ut ſit fragmentum vocis *armamentarium*. hoc populi Romani armamentarium, primo quidem exſtructum à D. Claudio, deinde à D. Severo reſtitutum, ac tertio vetuſtate conlapſum ab Antonino fuit refectum. Poſtrema enim verba deſunt, quod miramur non animadvertiſſe viros eruditos, & reſtituenda ſunt in has, ac ſimiles formas. TERTIVM FECIT, quomodo legitur Romæ in Fontiſpicio templi, quod Pantheón dicebatur.

M. AGRIPPA. F. L. COS. TERTIVM FECIT,

aut, VETVSTATE CORRVPTVM CVM OMNI CVLTV RESTITVIT, ſive etiam litteræ ſingulariæ fuerint P. S. F. C. id eſt PROPRIIS SVMPTIBVS FIERI CVRAVIT, aut D. D. Primum tamen magis adridet, & optime convenit cum ſententia. Longum enim fuerit omnes formulas perſequi, quæ huic loco poſſint aptari. Inſcriptionem igitur iſtam ſic lego, &, ſi quid judico, integram præſto.

IMP. CÆS. M. AVREL. ANTONINVS
BRITANNIC. GERMANIC. PIVS. FELIX. AVGVSTVS
PONT. MAX. TRIB. POT. XVIII. COS. IIII. P. P.
IMP. III. ARMAMENTARIVM A DIVO CLAVDIO
POSITVM. ET. A. DIVO SEVERO PATRE. SVO
RESTITVTVM TERTIVM. FECIT.

Conjecturam noſtram confirmat lapis ille, in quo Armamentarium hoc à L. Septimio Severo & M. Aurelio Antonino reſtitutum fuiſſe diſertim habetur, hoc eodem in loco repertus; & exſtare dicitur Hagæ-Comitis in auguſtis ædibus Waſſenariorum; crutus ad annum MDII.

IMP. CÆS. L. SEPTIMVS. SEVERVS. AVGVSTVS.
ET. M. AVRELIVS. ANTONINVS. CÆS. COH. XV.
VOL. ARMAMENTARIVM. VETVSTATE. CONLABSVM. RESTITVERVNT. SVB. VA. PVDENTE.
LEG. AVG. PR. PR. CVRANTE. CÆCIL.
BATOE. PRÆ.

Eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Eſt & alius lapis ad annum M D XX, in Armamentarij hujus ruderibus inventus, itidem mutilus.

..... EVER. PIVS. PERT. AV.....
..... MAX. TRIB. POT. XIII .....
..... NTONIN. PIVS. AV. ......
ER. MILIT. LEGIO. I. ME....
.... ENIDIORV......

FALCKOBVRGUS, Equorum mercatu celeberrimus.

SASSENHEMUM Saxonum colonia. *Heim* ædem Germanis notat, hic diſtrictum.

COUDEKERCKIA Cauchorum item colonia.

LEEUWENHORSTA Abbatia magni nominis inſignis.

ARCES IN RHENOLANDIA CELEBRIORES.

DOESA à cognominis fluminis præterlapſu nomen habet. Doeſicæ familiæ originem ſuam debent Noortwikani.

RAPHORSTUS antiquiſſimæ & nobiliſſimæ ſtirpis Raphorſtianæ, quæ adhuc ſupereſt, peculium amœniſſimum.

TEYLINGA juxta Saſſenhemum poſita Teylingiorum ſedes in id tempus uſque fuit, quo his parricidij Velſeniani in Florentium quintum conſciis, Hollandiæ Comitum fiſco fuit adſcripta. A quibus venationibus dicata ſemper fuit. Anno 1339 Symoni Benthemio Equiti Albertus Bavarus eam adſignavit. Famigerata etiam arx iſta eſt morte Iacobæ Bavaræ, quæ hic exſtincta eſt circa annum 1436. Atque hæc quidem *novæ Teylingæ* nomen habet. Eſt & altera prope Warmontium, cui *veteris* olim, nunc *Lockhorſtę* cognomentum.

POELGEESTA. Hoorna olim dicta fuit, ad Hoemadæ & Caukerckiæ dynaſtas jam pervenit.

SWEETA, *Warmontia, Wijngaerda, Duyvenvoorda, Sandthorſta, Suycka, Croonenſteynium, Endegeeſta, Stoopa, Lipſa, Bouckhorſta, Roucoopa, Rooſenburgum* cognominum nobiliſſimarum familiarum ſedes etiam hic poſitæ ſunt. Olim plures videbantur, interque eas, *Waerda, Syla, Alckmada, Paddenpoelia, Boshuyſia, Coebelia, Meerenburgum, Berendrechtum, Mya, Toorenvlieta, Sonnevelta, Weera*, aliæque nunc aut temporum aut bellorum injuria disjectæ. Ita durabile aliquid in hoc orbe, nihil æternum.

INSERENDA SVIS LOCIS.

Anno M D C XII, aucta iterum Vrbis pomæria ſunt, à Porta illa, quæ *Alba* vulgo vocitatur, uſque ad *Zylenſem*. Eaque *novę civitatis* cognomenrum habet. Tantum ambitu ſuo complectitur: inſeſſa ferè à Flandris & Walonibus, qui texturam exercent.

Leyda in *Bonnas* ſeu diſtrictus finditur viginti, quarum una-

unaquæque Magiſtrum ſeu præfectum habet. *Bonnæ, Bunæ, bunæria & bonarij* in antiquis diplomatibus nuncupantur; ac quædam ſunt terræ portiones. Gallicæ Belgij provinciæ *Bonniers*, Teutonicæ *Bunders* vocitant. Mille ac ſexcentos pedes in quadrum obeundo, ut plurimum ſingula continent. In advocatione, ut appellatur, Walgarij ſacerdotis, quam fecit eccleſiæ Ciſonienſi, & Capellæ Heertbergenſi, inter alia, ſic legitur; *Ergo dono in jam dicto pago Tornacenſi, in loco, qui dicitur Wernetlunigus eccleſiam unam cum ornamento ibidem competenti; ubi adjacent inter terram arabilem & pratum bunaria triginta, & manſum unum cum caſa ſuperpoſita, ſeu & cætera caſtricia.*

Hodie, ut & olim, floret Leyda pannorum, qua denſorum, qua tenuium (ſajettas & burettas vocant) mercatu, cui ædes ampliſſimæ, *Hallæ* vulgo nuncupantur, deſtinatæ ſunt.

Vt Caſtellanorum ſeu Burchgraviorum Leydenſium dignitas melius cognoſcatur, placet adſcribere, quæ Iohannes Buzelinus de Caſtellanorum origine doctiſſime conſignavit lib. 3. cap. 20, Gallo-Flandriæ.

De Caſtellanis Inſulenſibus, plurima ſuppetunt nobis tum vetera, tum recentia monumenta. Sed priuſquam de his ſingillatim agimus, haud leviter inquirendum eſt, quid Caſtellani nomine cenſeatur. Fueritne Caſtellanus reipublicæ adminiſtrationi & judiciis adhibitus? Idne nomen officio incumbens fuerit aſſecutus, & poſtea curis vacuus beneficio Principum obtinuerit? Quin fluxerit à Caſtello Caſtellani nomen, nulli dubium eſt. Quid eo ſignificetur, alius aliter cenſet. Illos eo comprehendi, qui præfecti ſint arcibus, vel caſtellis, ad loci defenſionem, & cum præſidio militum inſideant, negari non poteſt. Quoſdam ita nominari jura feudorum inſinuant, qui feudi beneficio caſtra poſſident, & non gratia tuendi. Claudius Faucherus Baronibus Caſtellanos olim ſubjungi ſolitos refert, ut illis ordine nobilitatis & gradus proximi eſſent. Eo vero nomine deſignari omnes, quibus caſtra obtinendi jus obvenerit. Inter claras Franciæ familias eo præſertim titulo emicuiſſe Caſtellanos du Puiſet in Beauſſia, de Couſſy, de Cortenay, de Montleherry; junctos omnes per nuptias Capeticæ regum familiæ. Vti Caſtellaniam inſtituere quis poſſit, quodam in Francia Senatus regij decreto ſancitum, intra fines ejus Abbatiam, vel Prioratum conventualem, furnum indictitium, & alia quædam comprehendi debere. Ceterum ipſemet ejus eſt opinionis, haud aliud Caſtellanos olim fuiſſe, quàm oppidorum minorum arte, vel ingenio munitorum, Capitaneos; cum majora Comites inſiderent: ut ipſi quaſi Comitum in iis vicem ſuſtinuerint. E Speculatore Iuriſconſulto facile eſt deprehendere, ſolis nominibus, non officio, diſtingui Caſtellanos & Vicecomites. Primum enim ei Vicecomes dicitur ille, *cui dominus temporalis committit executionem juriſdictionis ſuæ in aliquibus caſtris*, quod optimè Caſtellanis convenit. Deinde non alia formula Caſtellanum, quam Vicecomitem, officio docet admoveri. Speculatori prorſus adhæret Florentius Vanderharius, D. Petri Inſulæ Canonicus & Theſaurarius, cum de Caſtellanis Inſulenſibus agit: eamque omnino induit opinionem, haud alios fuiſſe olim Caſtellanos, quam Burcgravius, & Vicecomites, ac primos Comitum Vicarios, qui de cauſis tum civilibns, tum criminalibus cognoſcerent; ideoque Caſtellanos dici ſolitos, quòd iis in oppidis jus dicerent, ubi caſtra exiſterent, ipſaque caſtrorum nomine cierentur. Quam-

quam iſta mihi non diſpliceant, judico tamen audiendum maximè Baldericum Noviomenſem & Tornacenſem Epiſcopum. Is enim cum ſæpius in Chronico ſuo de Caſtellanis Cameracenſibus, eorumque ſævis facinoribus illa memorat, quæ partim vidit, partim ab oculatis teſtibus accepit; non ſemel indicat, quod fuerit ejus urbis Caſtellani officium. Duos tantum inde locos decerpam, quibus de Waltero Secundo agit, Cameraci omnia peſſimis artibus corrumpente. Igitur fœdis ejus facinoribus enarratis hæc ſubjungit: *Creberrimè deplorantium civium conqueſtiones invicem conferuntur, miſeros ſe non habere patronum, ſed expilatorem publicum.* Alibi referens Imperatorem Henricum Comitibus imperaſſe, uti Caſtellanum eundem ad ſe pro meritis caſtigandum deducerent, hæc de eodem Cæſare ſubjungit: *Certe ſatis admirans, quod cum ſe Caſtellanum, Advocatumque civitatis ajebat, nunquam aulam regiam frequentaret.* His de locis id ſcilicet conficio, impoſitum fuiſſe Cameraco Caſtellanum, ut tradita ſibi ab Epiſcopo poteſtate, cives urbemque tueretur. Id enim patroni nomina & Advocati prorſus indicant: quoniam iis temporibus vel urbes, vel eccleſias, vel monaſteria viri potentes Advocatorum, vel Patronorum vocabulo adverſus aliorum infeſtationes providè defendebant, ut poſtea videbimus. Et vero Canon Salvator, cauſa 1. quæſt. 3. dum Chalcedonenſem explicat Synodum, videtur Advocatum & Caſtellanum pro eodem cenſere, dum inquit: *Nomine Procuratoris intelligit præfata Synodus quemlibet eccleſiaſticarum rerum procuratorem, ut verbi gratia Præpoſitum, Oeconomum, Vicedominum; defenſoris nomine Advocatum, ſive Caſtaldium, & Iudicem.* Omninoque putat cum Advocato eundem eſſe Caſtellanum Gualbertus Marrianenſis Monachus in Politico cap. 10, cum ait: *Caſtellani, id eſt, Advocati, auctoritas.*

Placet nunc clariſſimi Scriverij noſtri de Lugdunenſi Academia & viris in ea eruditis, quos ille in Muſarum caſtris veteranus quadraginta propemodum annorum curriculo amicos habuit, elegiam attexere.

P. SCRI-

P. SCRIVERII

LVGDVNVM BATAVORVM.

LEYDA, quid exſpectes à deſultore poëtâ,
DI cui difficiles otia tota negant?
Nunc Caſtrum Albini, nunc me ſibi Liſſa requirit:
Nunc domus Amſtellæ, nunc quoque Sparna rapit.
Longe alia & quondam felicior hora refulſit,
SCALIGERO à Gallis huc veniente ſuis,
Poſt triſtes abitus LIPSI; cùm fama tenellum
Me quoque Pegaſeas quærere ſuaſit aquas,
Pieridumque choros, & Lugdunenſe Lycæum,
Egreſſum Janos poſt tria luſtra duos.
Iam tum viſa pedum via; jam tum Pulcher Apollo
Iuſſerat imparibus nectere verba modis.
Tentatum jam carmen erat, tritusque Palæmon;
Hiſtoriæ jam tum me ſtimulabat amor.
Ire per Annales, urbanos ire per Actus
Iuvit, & hiſtoricâ cuncta ligare fide.
Has quondam Engiſtus (ſic fama eſt) appulit oras,
Durateoque Horſus per mare vectus equo.
Pyrgus & in mediâ qui nunc oſtenditur urbe,
Creditur Engiſti bellipotentis opus.
Claudius heic, ſanguis regum, Civilis agebat:
Nec procul hinc Sacrum (cætera mitto,) Nemus.
Jactat Adalwinus Civilem regibus ortum;
Waſnariique decus ſtemmatis inde petunt.
Non nego victrices aquilas Romanaque ſigna,
Heic ubi Romanâ verba notata manu;
FRATRESque IMPERII referentia ſaxa BATAVOS;
Jn quibus & priſcæ mentio facta SCHOLÆ.
At non (quod viſum doctis) ea ſacra Camœnis:
Palladis haud templum, ſed Schola Martis erat.
Nunc Schola quæ Martis fuerat, quæ Martis arena
Nuper adhuc, Phœbi publica facta Schola eſt.
Vindice quam DOVSA, Thetis undis, ſanguine civis
Emit; & hinc rupto libera Muſa jugo.
Cujus ego famâ, cujus ſuccenſus amore,
Acceſſi colles, maxima Leyda, tuos.
Non ipſi ingratus DOVSÆ, cui pulpita debent,
Debet & aſſertas cui Schola noſtra Deas;
Flumina quæ Rheni propter Neptuniaque arva,
Deſerto Leydam nunc Helicone colunt.

Et caſtigatas Heros mihi Scaliger aures
 Præbuit, ad Muſas & leve ſtravit iter.
O, mihi ſi referat luces ſine nube beatas
 Juppiter, antiquos reſtituatque jocos!
Hora, precor, reddat vernantis gaudia vitæ!
 Quæ quondam juveni, nunc placitura ſeni.
Non annos optem, ſed priſtina tempora reddi:
 Annuite, ô Superi; nam moderata peto.
O luces! cum Battiadæ Vulcanius ignes,
 Cùm daret Ennipatris Merula vatis epos;
Naufragij tabulas, disjectaque membra poëtæ,
 Oſſa gravis Rudij, ſed tamen arte rudis.
O luces! cùm Meursiades, cum Grotius acer
 Certatim numeris me coluere ſuis.
Dæmoniumque hominis lateri indivulſus adeſſet
 Heinsius, ille animæ portio magna meæ.
O luces! cum flamma meos depaſceret artus
 Leniter, & fibras jam ſubiiſſet Amor.
Caſtus Amor, ſpondens genialis gaudia lecti:
 Cùm foret & votis ara reperta meis.
Annaque pelliceret vultu matrona pudico:
 Anna tuis, Heinſi, facta peranna modis.
Duplice jure trium natorum nobilis Anna;
 Sed doluit natis quattuor orba parens.
Ne feſtinatis culpem quoque Numina fuſis,
 Hæc prohibent ſancti pignora bina thori.
Nec plures numeras, vir præſtantiſſime, proles:
 Nec quoque tam grandes, deinde nec ambo mares.
Gaudet in amplexu blandæ Rutgerſia natæ,
 Heinſius in nati ſedulitate ſui.
O luces! cum WouwerI labor improbus audet
 Helleſpontiacum ſollicitare Deum,
PetronIque ſales divina vindice dextra
 Aſſerit: & Criſpum Putschia Muſa beat.
O luces! domina cum ſollers Urbe relicta
 Pontanus noſtro figeret orbe pedem,
Ambroſiaſque epulas, longævaque vina pararet;
 Adderet & menſis pòſt Analecta ſuis.
O luces! cum Francisci mens enthea Dousæ
 Funera penſaret fratris acerba ſui.
Iani, eheu! Iani, ſummo vix patre minoris;
 Jani, quo functo viſa Thalia mori.
Franco ſed æterni fratris per inania raptus,
 Æthereo clarum ſidus in orbe micat:
Poſt Luciliaci collecta poëmata naſi,
 Poſt & Iulææ nobile mentis opus.
Et Conſtantini meus ille Georgius urbe
 Redditus, aſtriferi fulgurat axe poli;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Quique Novæ Romæ mores ac ſacra docebat,
Tot libris auctus marmoribuſque, ſilet.
Et primus Jani crudelia fata ſecutus,
Intulit (hei!) ſtudiis tertia damna meis.
Muſarum columella FVIT *Nordvicius Heros;*
Occidit & magnum filius antè patrem.
Et te perdidimus, pelago rapiente, Georgi.
Heîc quid agis? fuerat terra colenda tibi.
Tot dotes dubio potuiſtin credere ponto;
Nominis (ô demens!) nec meminiſſe tui.
Luximus & STEPHANVM: *ſed paucis luxerat annis*
FRANCO *pius; Manes & ſimul ipſe petit.*
Denique tota FVIT *Natorum Douſica Pleias,*
Suſtineas tantum ni THEODORE *decus.*
O luces! cum tu premeres veſtigia patris,
Et Renoburgâ Noſter in arce fores.
Ergò abes, ad veterem nunquam viſurus amicum?
Nunquam ad Hiantæas Douſa redibis aquas?
Tu potes: EYNDIADÆ *fato properante negatum;*
Nec dabit aſperſis carmina docta jocis.
Quis nunc Zelandos æterna nocte ſepultos
Eruet, & Comites Walchria priſca tuos?
O luces! cum Raphorſtam meus ille ſodalis,
Semper Theſæo cultus amore mihi,
Linqueret, & noſtris laribus ſuccederet hoſpes,
Abſentem Caja vix tolerante virum.
Caja, quid inſimulas, obliquaque lumina torques?
Carmen amat, quiſquis carmine digna gerit.
TVNINGO *hoc etiam civi,* ERPENIO*que negatum;*
Abſtulit antè ſuum quos fera Parca diem.
Et TACITI INTERPRES, *non degener incola mundi,*
Prò dolor! exceſſu deſiit eſſe meus.
Blæſula vox, raruſque lepos, Suadæque medulla
Tecum in communem, BAVDI, *abiere locum.*
Raptus & ille meus viridi RVTGERSIVS *ævo,*
Baudiacos poterat qui reparare ſales.
Vulnera tot noſtris (heu!) ſunt inflicta Camœnis,
Ut vix inveniat jam nova plaga locum.
Quæ tamen invidia hæc? quænam hæc violentia, Divi?
En nunquam DYCKI *perfruar ore mei?*
Quem CABELLAVI *morbo graviore teneri*
*Charta ſalutatrix (*DI *prohibete,) refert.*
Extremumque Vale Geticis mihi nunciat oris,
Et conſanguineis ultima verba ſuis.
Hæcne legent ſiccis oculis, nec pectore tunſo?
Illæſas poterunt ungue tenere comas?
Ergo igitur FVERIT *victoris deſtina Regis,*
Harlemi fuerit gloria prima mei!

Et nos ſic cadimus famæ melioris amicis;
Queis ſine, quæ (Muſæ !) vita relicta mihi.
Ilicet, occidimus : mihi vivere nulla voluptas,
Ilicet, ad Stygias præcipitamur aquas,
Si non ſuccurras tu Barthi, tuque Gevarte,
Cara mihi atque iſtis nomina culta locis.
Si non Holsteni properes procul urbe Quirini ;
Si neget & promptam ferre Gebhardus opem;
Nempè Casaubonius nequit, & modò ferre Freherus;
Gruterique mei flebilis umbra natat.
Nî Trajectinâ veniat Buchellus ab urbe,
Et ſolito antiquas more recludat opes.
Etſi ſe totum Barlæus ſubtrahat ingens,
Vossius & Leydæ dememiniſſe volet :
Sed bene : nondum Heinsi carmen regale fatiſcit,
Dum canit Auguſti Principis arma ſui.
Nec tacet eloquij vindex, Geniusque Menippi,
Cunæus, Themidos captus amore ſuæ.

Adde alios : & adhæc Leydam reſpexit Apollo,
Præſidiumque novum Gallia docta dabit.
Cattica flexanimo Pallas viduata Brabanto,
Mox erat (heu !) tenebris immoritura ſuis.
Julia confuſis affulſit Stella Batavis,
Leydaque præſentem ſenſit adeſſe Deum.
Quid mirum? Hectorea cenſemur origine creti,
Et noſtri à Gallis uſque petuntur avi.
Hinc ſociis ſperanda dies, hinc anchora ſacra :
Hinc tua, Lugdunum, mox reparanda ſalus.
His exſpectatus veniet Salmasius oris.
O, mihi tam lætum Phoſphore redde diem.
Quantus in Aönidum (Superi,) penetralibus ille!
Quantus apud Latios vix, puto, Varro fuit.
Phoſphore redde diem : quid gaudia noſtra moraris?
Te cuperem votis ocyus ire meis.
Omnia tunc à te mihi præbita, Phoſphore credam,
Hunc ſiſtas primo ſi mihi vere virum.

AMSTE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

AMSTELODAMVM.

AMſtelodamum. ejus prima incunabula. Arx Amſtelia. Dynaſtæ Amſtelij. eorum genealogia & res geſtæ. Amſtelodamum Hollandiæ adnexum. Ejus incrementa, privilegia, & immunitates. Res domi foriſque, terra marique geſtæ. Hodierna urbis facies, ſitus, amplitudo. Viri illuſtres.

VENIO nunc ad Amſtelodamum, clariſſimum Europæ emporium; Vrbem ut vetuſtate non ita nobilem, ita novitate admodum felicem. quippe & amplitudine, & ſitus commoditate, & hominum frequentia, & opibus, & mercatu, continuiſque in omnes orbis partes navigationibus parem aliam hodie non habet. Parva tamen ejus initia fuere. Adeo ut eum alia nulla, quam Roma, illa gentium & terrarum Dea, quæ originem ſuam non niſi ad Romuli tugurium & paſtorum caſas referebat, eam poſſim comparare. Arx ad Amſtelæ ripam poſita olim fuit; Amſteliorum dynaſtarum ſedes. Locus & tempus, quo condita eſt, pariter ignorantur. Amſteliorum frequens mentio eſt apud Rerum Hollandicarũ conditores; è quibus haud difficulter colligere eſt, magna illos olim gratia & auctoritate apud Principes ſuos floruiſſe. Nullum fere majus prælium olim commiſſum, in quo non Amſteliorum virtus probata eſt. Primus omnium memoratur Godefridus ab Aemſtel, ad annum M C X V I I I, &, mortuo Theoderico, Epiſcoporum Trajectenſium trigeſimus ſecundus creatus eſſe dicitur. Fugit hic & veterum & recentiorum omnium ſcriptorum diligentiam: & abſque Heda eſſet, ut ne nomen quidem ejus hodie exſtaret. Ille Monaſteriorum Trajectenſium archiva, diligentiſſime, ſi quis alius, ſcrutatus, candide fatetur legiſſe ſe alibi Godefridum hunc, in ejus, quem jam dixi, Epiſcopi locum ſurrogatum fuiſſe; at vero, quem vitæ ſuæ, & honorum finem habuerit, invenire nunquam potuiſſe. Et tam alti de eo ſilentij cauſſam aliam adferre non poſſum, quam quod dignitate & honoribus ineſcatus, nihil magnopere ad promovendam eccleſiam ſuam geſſerit, aut quod rebus, dum vixit & rexit, tranquillis uſus, occaſionem non habuerit exſerendarum virtutum. Egberti Amſtelij mentio eſt ad annum 1152. Filium habuit Giſbertum ad annum 1176; quem ingentis animi virum fuiſſe res geſtæ loquuntur. Cum enim, mortuo Theoderico, Comite Hollandiæ ejus nominis ſexto frater ejus Florentius, Friſiæ Orientalis Comes, ſucceſſor ei deſtinaretur, & Comes Looenſis, accepta in uxorem Ada, Theoderici filia, Comitatum ſibi propterea deberi ratus, exturbare Wilhelmum conaretur, fugatus autem à Nobilibus in Amſte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1


AMSTELREDAM
1. Twee Doelens
2. 't Wees huys
3. Niewe ſyds Capel
4. De Borſe
5. De Viſch mart
6. Den Dam
7. De Waagh
8. Het Stadthuys
9. Nieuwe kerck
10. Weſter kerck
11. Carthuyſers
12. Noorder kerck
13. Weſt Indiſch huys
14. De Oude kerck
15. Antonis marckt
16. De Suyder kerck
17. Het Princen hof
18. De Turf marckt
De Amſtel
HET Y

Amſtelandiam ſeſe recepiſſet, Giſbertus ejus partes ſequeretur, & Trajectum uſque ſalvum perduxiſſet, Kenmariorum in ſe iram concitavit, qui oppoſitum Amſtelandiæ aggerem perrupere, agris omnibus & paſcuis, quæ territorio huic ſuberant, inundatis. Nec id tantum, ſed & arcem ipſam, funditus omnibus deletis, incendere. Hanc Giſberti cladem, & ſimul magnæ Vrbis elogium, an oraculum, elegantiſſima hac elegia proſecutus eſt politiſſimus noſtri ſæculi Poëtarum Douſa, libro Hollandicorum Annalium, quos verſu contexuit, decimo.

Arx valida Amſtellæ ad ripas, cognominis iſtinc
Deſpiciens portum fluminis, inde Thyam,
Editiore loco, ſaxo fundata vetuſto,
Municipi ſtabat invidioſa ſuo.
Hanc, circumquaque acceſſum præbentibus undis,
Aggreſſi, injecto funditus igne cremant.
Cauſſa, quod Harlemi deprenſo pæne Loiſo
Cum ſocru, ut in manibus jam fere præda foret,
Securum profugis auſus præbere receptum
Hoſtibus, & tutas Dux aperire vias.
Namque ejus ſine præſidio ductuque fuiſſet
Quæ ſpes effugij his, quod patuiſſet iter?
Regna Ghiſelberti domitrices urite flammæ
Dum licet: hic magnæ nam locus Vrbis erit.
Amſtelij ponant cujus ſola prima nepotes;
Cladibus exſurget ditior illa ſuis.
Jam tanti miranda operis faſtigia cerno,
Heu, Mindenæ ubi tot Nobilitatis avi?
Tempus erit fiſtucatis cum denique palis
Roboreo ſtabunt mœnia fulta ſolo.
Fallor? an hæc Cymbræ celebrabunt oſtia claſſes;
Belgicaque agnoſcet hanc penus eſſe ſuam?

Giſbertus filios habuit, Engelbertum & Wilhelmum Amſtelios, quorum anno 1235 annales noſtri meminere. Ex Wilhelmo natus eſt Goſewinus ab Aemſtel, Trajectinæ Diœceſios Epiſcoporum trigeſimus & ſeptimus. Sed parum caute hoc ſuum munus adminiſtravit. quam ob cauſſam & loco ceſſit, vix anno rerum potitus, dato ipſi ſucceſſore Henrico Vianenſi. Cauſſam & hiſtoriam breviter ita deſcribit Heda. *Ottone*, inquit, *vita defuncto, Goeſwinus ex familia Nobilium de Aemſtel Præpoſitus S. Iohannis* XXXVII *eligitur Epiſcopus, vir manſuetus & ſimplex, ineptus ad tantæ dignitatis munia ſupportanda; per cujus negligentiam publica res minus proſpere uno anno adminiſtrabatur, ſed rurſum declinabat. Acceſſit etiam quod nimis gratus erat Wilhetmo Regi, propter gentiles, unde in publica Synodo, præſente Rege ac Cardinalis Portuenſ. legato, Epiſcopatui renunciavit, minus valens, uti creditur.* Quo in loco non video quid ſit, quod *nimus gratus Wilhelmo* Regi, ab eo tamen dignitate exutus dicatur, quæ duo inter ſe pugnant: niſi pro *nimis* legatur *minus*: quæ non tam conjectura noſtra eſt, quam res ipſa. Et Goeſwino quidem Epiſcopatu privato, accedente hæreditario in Vianenſes odio, Amſteliorum &, qui ſanguinis affinitate propius ipſos contingebant, Woerdenſium animi adeo fuere exulcerati, ut, conſpiratione facta cum Ottone,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Gelrorum Comite, bellum Henrico Epiſcopo intulerunt; à quo tamen capti, & poſtmodum, intercedente Wilhelmo Rege, dimiſſi ſunt. Engelbertus liberos binos ſuſtulit, filiam Badelogam, Wilhelmi Egmondenſium Dynaſtæ conjugem, & filium unicum Giſbertum, quem Amſtelandiæ Præfectum vocitant annales. Giſberti hujus, ut & Ecberti Amſtelij, ejuſque filiorum meminerunt tabulæ iſtæ, quas ex Renſburgenſis Monaſterij archivis depromſi.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Wilhelmus, Dei gratia, Comes Hollandiæ notum volo fieri tam præſentibus, quam futuris, quod ego pro remedio animæ meæ & prædeceſſorum meorum eccleſiæ Sanctæ Mariæ in Rinſburg centum libras aſſignavi, accipiendas in primis reditibus noſtris in Delf & in Pinacker, & in Maſlant, & in Flerdlinc, ſub tali forma, quod primo anno ſolvantur quinquaginta libræ, & ſecundo anno quinquaginta. Cum dictis centum libris ipſa Abbatiſſa bona noſtra in Buckeſcop à Domino Giſelberto de Ameſtel ad ſui Monaſterij redimet proprietatem & dicta bona ipſum Monaſterium Rinſburgenſe integro jure, ſicut à nobis & prædeceſſoribus noſtris poſſeſſa ſunt, in perpetuum poſſidebit. Inſuper Domina Abbatiſſa quinquaginta libras filiis Domini Ecberti de Ameſtel perſolvet, & ſic prædictum Monaſterium Rinſburgenſe omne jus & redditus in Buckeſcop tam de cultis, quam de incultis in perpetuum obtinebit. Pro iſtis vero Elemoſinis Domina Abbatiſſa ſacerdotem ad ſpeciale altare in memoriam noſtri, & Aleidis uxoris noſtræ, & prædeceßorum noſtrorum celebraturum conſtituet. Ut igitur tam rationabile factum noſtrum firmum & ratum permaneat & inconcußum à ſucceſſoribus noſtris ſervetur, præſens ſcriptum ſigillo noſtro firmari fecimus. Actum anno gratiæ M. CC. XXII. *ſub banno hujus rei teſtes ſunt Abbas Ecmundenſis, Terekinus Monachus, Gerardus Decanus Kinmariæ, Wilhelmus Decanus Rinlandiæ, Wilhelmus perſona de Vorholt, Heinricus de Norghe, Albertus Cappellanus, ſacerdotes: Laici vero, Maria Comitißa, Iſbrandus, Bartolomæus, Ibeloc de Harlem, Theodricus de Waſnar, Iacobus Kaſtellanus, Wilhelmus de Ecmunda, & alij quam plures.*

Giſbertus ille, qui in Florentium quintum, anno 1296, cum Hermanno Woerdano, & Gerardo Velſeno conſpiravit Giſelberri hujus filius potuerit fuiſſe. Hiſtoriam iſtam, cum in promtu omnibus ſit, longius enarrare hic ſuperſedeo alibi fuſius dicendam. Certe Florentius quintus Amſtelodamenſes à teloniis ſolvendis liberos his litteris pronunciavit.

Florentius Comes Hollandiæ univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem. Noverit univerſitas veſtra, quod

quod nos homines manentes apud Amſtelredamme, in reſtitutionem damnorum, quæ nos & homines noſtri ipſis fecimus, abhinc deinceps ab omni exactione noſtri telonij cum bonis ſuis propriis, quæ ducunt ſeu deducunt per totam terram noſtram, duximus eximendos. In cujus rei teſtimonium præſens ſcriptum ſigillo noſtro fecimus communiri. Datum apud Leydis Dominica die ante Symonis & Iudæ Apoſtolorum. Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quinto.

Amſtelio, pœnæ metu, in alias oras jam profugo Iohannes Comes Guidoni fratri ſuo omne Amſtelij peculium donavit. Sed Guidone, qui Epiſcopus Trajectenſis factus eſt, jam defuncto, Guilhelmus cognomento Pius omnia denuo repetiit & occupavit. Id verbis iſtis narrat Iohannes Leydenſis;

Porro Wilhelmus bonus, Comes Hannoniæ & Hollandiæ, defuncto Guidone Epiſcopo, patruo ſuo, dominia de Aemſtel & de Woerden cum ſuis opidulis ditioni ſuę ſubjiciens, Hollandię Comitatui incorporavit. In quibus ex parte ſua Balivos ſeu Villicos deputavit; aſſerens quod eadem dominia ſæpe dicto Pontifici pro patrimonio ſuo fuerunt adſignata, poſtquam fuerunt ad Hollandiæ Comitatum devoluta, pro eo, quod priſcis temporibus Giſbertus de Aemſtel, & Hermannus de Woerden arbitrium Florentij quondam Comitis Hollandiæ, non ſervaverunt. Amſtelredam ergo, poſt hæc proficiens, crevit in eximium opidum, ita quod quidam poëta noſtris temporibus de eo quoque ediderit epigramma;

Amſterdam ſalve, tellus ſpecioſa hilariſque,
Finitimæ ſalve lux, decus atque plagæ.
Opida mercando ſuperare propinqua videris,
Unde tibi gaſæ copia multa fluit.
Eſt maris [a] ingenuus portus tibi, namque feruntur
Jn te diverſis quo bona multa locis.
Grandibus es multis etiam munita carinis,
Quæ ſolitæ merces ſunt tibi ferre graves.
Mœnibus & muris tibi non opus eſt ſpatioſis,
Nam cingens fortem te ſatis unda facit.
Damna quod enormem tibi nata fuere per [b] ignem
Credere, vel poſſet dicere nemo ſatis.
Pulchrior es multo nunc, quam conſueveris eſſe,
Sed non tam locuples es modo, quam fueras.
Prædita es egregiis templis, clauſtriſque decoris,
Sanctos ac humiles quæ retinent homines.
Eccleſia inſignis una eſt, mirique decoris
Sancta parens Domini ſtructa in honore tui.
Callet alumnorum mire pars magna tuorum,
Concinna blandos fundere voce modos.
Tales [c] ac vota non inveniuntur in hora
Claritones quales conſpicor eſſe tibi.
Quas dedimus laudes reliquis præ urbibus, omnes
Has merito tribui cenſeo poſſe tibi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Magna & amæna ſatis vicis ſtratiſque plateis,
Et domibuſque caſis es redimita bonis.
Sunt utriuſque tibi ſexus homines ſpecioſi,
Comes, humani, fraude, dolo vacui.
Nec dominas formæ tibi cerno deeſſe venuſtæ
Aevo maturas, ac juvenes[d] *pueras.*
Aſpera quos rigidi genuiſsent[e] *& juga Ponti*
Et Scythia & Colchis, fœdus avernus eos;
Te melius pugnas molitur nemo marinas,
Doctior eſt tumidis currere te vel aquis.
Ex rebus multis laudari digna videris,
Ordine prolixum quas memorare foret.
In felice ſtatu diuturno tempore ſervet
Te rogo, ſydereos qui[f] *regit ille polos.*
Corporis atque animæ diſcrimine ſemper ab omni
Conſerva Amſterdam, Virgo Maria, tuam.

a] Malim *ingenitus*. Sic enim alibi loquitur.
b] anno 1496.
c] Scribe *hac tota*. Nihil certius.
d] Forte *pueros*. Quamquam & prius Latinum; docente Scaligero filio ad Catalecta.
e] Reſcribe *jurgia Ponti*.
f] Emenda, *qui regis ipſe*.

Anno MCCCXL Wilhelmus quartus, Hollandiæ Comes, Amſtelodamenſes jure municipali, aliiſque privilegiis dotavit, quorum præcipua his ejus tabulis continentur.

In nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Ego Wilhelmus, Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, ac Dominus Friſiæ notum facio univerſis; quod ex conſilio ſapientum pro me & ſucceſsoribus meis, opidanis noſtris in Amſteldam jura & privilegia conceſſi, quæ infra ſunt perſcripta.

Ac primo quidem limites juriſdictionis municipalis extendent ab oriente uſque ad Iohannis Wittij prædium; ab aquilone vero uſque ad terram, quæ ad magnum monaſterium pertinere dignoſcitur, ab occidente ad exitum uſque angiportus qui jacet in meridiali parte Agri Iſbrandiani, tenditque ad meridionalem partem Angiportus Neſſani, eo, quo foſsa circuit, modo. A portu autem juriſdictio extendetur, uſque ad Yæ fluminis meditullium, & exinde verſus Auſtrum ejuſdem Yæ, juxta aggerem ejus, quinquaginta decempedarum ſpatio ſupra Molendinum, quod à Domino VVilhelmo ab Ooſchoorne, nomine noſtro, ibi exſtructum eſt.

Porro immunes erunt ab omnibus teloniis noſtris, terra marique.

Si aliquis opidanorum homicidij reus in ipſo facinore comprehenſus fuerit morte & viginti librarum Hollandicarum pœna plectendus eſt.

Si quis alteri vulnus intulerit, aut manus amputatione, aut pœna quinque librarum plectendus eſt. Qui alteri pedem, vel manum, vel brachium amputaverit, vel oculum extraxerit, decem librarum pæna plectetur.

Si quis pacem violaverit vita boniſque omnibus mulctabitur.

Si quis domum cujuſdam de die impugnaverit quinque, ſi de nocte, decem librarum pœna plectetur.

Qui alteri vulnus intulerit, quod Coorwonde *appellatur, trium librarum* Hollandicarum *pœna plectetur.*

Quicunque requiſitus à Prætore & duobus Scabinis treugas dare renuerit, quinque librarum pæna plectendus eſt toties, quoties requiſitus fuerit. Requiretur autem ter, atque ei, qui treugas petit, juſtitia mediante, ſatisfiet.

Quacunqne de re Scabini judicabunt, quam ipſi non capiunt, Harlemum, *vel alio, ubi conſultiſſimum videbitur, ſe conferent, hac tamen cautione adhibita, ne ultra ſex hebdomadas ſententia vel judicium differatur.*

Quæcunque Coræ per Prætorem & Scabinos ſtatutæ & ordinatæ fuerint, ſervabuntur, quatenus ad promotionem & utilitatem opidi pertinere dignoſcentur; ſalvo tamen nobis jure noſtro, & ut quotannis renoventur.

Quicunque vir bonus, nec infamia aliqua reſperſus intra opidum à prætore & Scabinis receptus fuerit, fiet me volente.

Opidani bonorum ſuorum, ubicunque tandem ſita illa ſint, nomine non alibi, quam Amſtelodami caligias conferent; atque Amſtelodami non alias mihi conferent caligias, quam quæ vulgo Iaerſchot, Bottinge, Zvvijnbede, Wederbede, *atque aliis ejuſmodi nominibus dicuntur; & aggerum, viarum, fluentorum, & cataractarum nomine perſolvuntur.*

Si aliquis opidanorum, rapinæ, incendij vel furti convictus fuerit, decem librarum Hollandicarum *pæna plectetur, & opidanorum jure privabitur.*

De omnibus iſtis, quæcunque in Amſtelodamenſi juriſdictione commiſſa fuerint, Prætor & Scabini urbani judicabunt, exceptis illis, quæ adverſus Dominium noſtrum commiſſa ſunt.

Vt autem hæc, quæ præmiſſa ſunt, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris, perpetuæ firmitatis robur obtineant præſens ſcriptum majori ſigillo noſtro firmavimus. Actum Hagæ IX *Decembris, anno Domini* MCCÇXL.

Anno MCCCXLVI Margareta Auguſta inſigne diploma, de Amſtelodamo nunquam deinceps ab Hollandici Comitatus corpore divellendo, indulſit. Idque ipſum ejus filius, Guilhelmus V, ratum gratumque ſe habere publicis litteris anno 1355 teſtatus eſt. Sed & hæ, quia alia ſcitu haud indigna continent, adſcribi hic merentur.

Nos Wilhelmus, Dux Bavariæ, Comes Hollandiæ, Zelandiæ, & Dominus Friſiæ, notum facimus univerſis, nos quod ad nos & ſucceſſores noſtros dilectos & fideles noſtros opidanos in Amſterdam gratia hac, quæ infra perſcripta eſt, proſecutos eſſe ſpeciali.

Ac primo quidem concedimus, ut quiſquis Amſtelodamenſium opidanorum capitali delicto reus teneretur, non niſi dimidia bonorum ſuorum parte mulctetur; & altera bonorum ejus pars vel uxori, vel liberis, vel aliis quibuslibet legitimis heredibus ejus cedat.

Porro ſi quæ opidi Amſtelodamenſis diplomata, vel temporis injuria ſuppreſſa, vel alia quavis occaſione diſperdita fuerint, ea, ſi copiæ authenticæ legitimorum teſtium ſigillo communitæ oſtenſæ nobis fuerint, renovabimus, eiſque ſigillum noſtrum propriis ſumtibus appendi faciemus.

Item indemnes & ſecuros eos omnes præſtabimus, quibus durante hoc inter nos & adiutores noſtros, ac Dominam matrem noſtram, adiutoreſque ejus, bello, cædis, incendij, rapinæ, tributi per vim exacti, captivationis, & cujusvis oppugnationis violentæ crimen poſſit intendi, nulla nobis Bottinga ejus rei cauſſa perſoluta.

Porro opidi Amſtelodamenſi ſancte promittimus nos illud nunquam vel partim, vel totaliter, alienaturos, aut divulſuros à Comitatu noſtro Hollandico, ſed è contra perpetuis temporibus præfato Comitatui noſtro annexum ſervaturum.

Promittimus præterea, & juramento confirmamus nos omnia illa privilegia, & immunitates, quæ fidelibus & dilectis opidanis noſtris in Amſterdam à Wilhelmo patruo noſtro, qui à Friſiis cæſus eſt, cujus animæ Deus ſit propicius, ejuſque anteceſſoribus pro ſe & ſucceſſoribus ſuis conceſſa ſunt, integra & inviolata omnimodis ſemper ſervaturos. In cujus rei teſtimonium litteras iſtas ſigillo noſtro communiri juſſimus. Datum Hagæ-Comitis XIII Maji, anno MCCCLV.

Bellum, cujus hic meminit, eſt graviſſimum illud, quo de Hollandiæ principatu Margareta & Albertus, mater illa, hic filius, contendebant. Finitum illud eſt anno milleſimo trecenteſimo, quinquageſimo & primo, memorabili illo & acerrimo in Moſa juxta Brielam conflictu, quo ſuperior fuit Albertus, Margareta tantiſper in Angliam concedente. Sed paullo poſt in gratiam redierunt, convenitque, ut Margareta Hannoniæ, Guilhelmus Hollandiæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Zelandiæ, Friſiæque præeſſet. Porro, fuerintne Amſtelodamenſes Guilhelmo his motibus addicti, difficulter admodum ex litteris iſtis eſt colligere. Siquidem an ſuo eos, an vero matris nomine pronunciet indemnes, non comparet. Conjectare tamen libet Guilhelmum eos potius eſſe ſecutos, cum vicini eorum omnes, Caninefates, VVaterlandos, atque etiam Friſios ejuſdem partibus conſtet faviſſe.

Circa annum M CCC LXXVII Albertus Bojus Carthuſienſe monaſterium impenſis ſuis Amſtelodami excitavit.

Idem anno M CCC LXXX poteſtatem extendendi ampliandique urbis pomœria Amſtelodamenſibus fecit, litteris ejuſmodi indultis;

Nos Albertus, Dei gratia, Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, Tutor Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, ac Friſiæ in omnium notitiam tenore præſentium volumus pervenire. Cupientes dilectos & fideles noſtros opidanos in Amſtelredam, propter grata ipſorum obſequia, quæ nobis & noſtris anteceſſoribus frequentius impenderunt, & adhuc impendere conabuntur, favore & gratia proſequi ſpeciali, ipſis tenore præſentium duximus concedendum, ut liceat ipſis urbis ſuæ pomæria extendere, ampliareque ad decempedas centum ſupra juriſdictionem, quam ab antiquo obtinuerunt, terra marique circum civitatem; facta ipſis totum hoc ſpatium ædibus exſtructis inhabitandi poteſtate; prout commodo ſuo expedire ipſi judicabunt. Si qui vero tractum præfatum jam inhabitant, aut deinceps inhabitaturi ſunt, eodem jure, privilegiis & immunitatibus, quibus opidani Amſtelodamenſes, ab anteceßoribus noſtris vel nobis ſibi indultis gaudent fruunturque, fruentur & gaudebunt in æternum. Quod quatenus ſtabile in perpetuum & inviolabile in æternum permaneat, & nullus ſtatutum meum confringere præſumat, ſigilli mei impreſſione & authoritate confirmavi. Actum anno MCCCLXXX,

Anno M CCC LXXXVII idem Albertus Amſtelandiæ ac Goylandiæ univerſæ varia jura & privilegia bene longis tabulis irrogavit, interque ea illuſtria hæc duo, quæ Amſtelodamenſes propius ſpectant;

In nullis Goylandiæ vel Amſtelandiæ pagis à ſententia ſemel lata provocare licebit. Sed ſi is quo cum controverſia eſt, petat, Scabini ejus loci Amſtelodami appellationem inſtituent, ejus ſumtibus, qui cauſſa cadet. Ac quidquid à Scabinis Amſtelodamenſibus ſtatutum fuerit, fixum immotumque ſervabitur.

Balivus, priuſquam munere fungatur, Amſtelodami in manibus urbis ſenatorum, ac duorum ſcabinorum uniuſcujuſque opidi vel pagi in præfatis terris noſtris ſituati, ſolenne juramentum præſtabit, &c.

Teſtes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Teſtes commemorantur; *Wilhelmus Bavarus, &c. Comes de Ooſtervant, Iohannes ab Arckel, Dominus in Hagheſteyn, Renaldus Dominus de Brederode, & Gennip, Arnoldus, Dominus Egmondæ & Iſelſteynij, Johannes Dominus de Gommegius, Wilhelmus Præpoſitus montium Hannoniæ, Philippus de Waſſenaer, & VValterus à Mynden, Equites.*

Cum Baillivorum mentio hic fiat, ut & alibi ſæpiſſime, eorumque adhuc hodie magna per univerſam Hollandiam dignitas ſit, unde dicti, & quod eorum officium ſit ſemel hic dicam, ſed verbis Iacobi Marchantij, quæ in Flandria ejus ita ſonant; *Baillivi nomen à* Baila *voce Gallica tutelam cuſtodiamque ſignificante, originem elicere videtur. Nam illud deducere à Græco* Βάλιος, *quod maculoſum ſignat, turpe: à* Βάλλω, *quod petere & impetere denotat, odioſum: & quia virgas manuſque injectionem Baillivi habent, dicenti periculoſum. Scabinos Baillivi dignitate & loco præeunt, unde forſitan à cupidis amictus Latini Prætores communiter appellantur; nulla ſimilitudine functionis; quum Scabini potius Romanos Prętores, juris dicendi condendique potentes, eminus referre videantur. Noſtris vero moribus Baillivi Scultethique hoc modo, his officiis a Scabinis differunt. Scabini judicant, Baillivi judicatum, & Scabinorum ſcita, Principumque conſtitutiones exequuntur: illi vocationem habent, hi prehenſionem, miſſionem in carcerem, accuſationem; illis quotannis honorarium; ab his Principi annua pecunia dependitur, ex mulctarum ſorte compenſatis: illi annuæ aut biennij mutationi obnoxij ſunt; hi mandati diuturnioris limitibus: denique Scabini jura populi, hi principis magis reſpiciunt, eorumque Dynaſtarum, a quibus committuntur, & Scabinos ad jus in propatulo tribunali dicendum rite & neceſſario ſubmonent, atque tribunalis locum poteſtatemque velut aperiunt, unde etiam tribunalia noſtrati vocabulo* **Vierſchaeren**, *hoc eſt,* quadriturbæ *nominantur: quia nimirum quatuor perſonarum illic uſus eſt, Actoris, Rei, Judicis, & Baillivi.* Amſtelandiæ Goylandiæque Baillivus, non intra opidorum muros, ſed per pagos circumjectos & in eorum incolas poteſtatem & juriſdictionem ſuam porrigebat; Non aliter atque à Rhenolandiæ Balivo hodieque fit. Vt autem Dordracum Hollandiæ Auſtralis, Leida Rhenolandiæ, Harlemum Kenemariæ, ita Amſtelodamum Amſtelandiæ caput fuit; in qua Balivus jus olim dicebat, & facinoroſos carcere, atque aliis pœnis coercebat.

Circa annum MCCCXCI admodum celebris fuit Hollandorum, interque eos præcipue Amſtelodamenſium frequentia piſcatio halecaria apud Scanienſes. Fidem ejus rei fecerit diploma ejus, de quo proxime jam diximus, Alberti, quo Amſtelodamenſibus, ut propenſo erat in eos animo, jus præfectum eo in Scaniæ tractu, quem Danorum Regis beneficio haberent, conſtituendi indulſit. Tabulæ ita Latine redditæ leguntur à Cl. V. Iohanne Iſacio Pontano lib. IX, Rerum Danicarum.

Nos Albertus, Dei gratia, Comes Palatinus, Dux Bavariæ, Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Friſiæque Dominus, omnibus notum facimus, nos dilectis ac fidelibus noſtris Scabinis ac Senatoribus Urbis noſtræ Amſtelodamenſis donaſſe, iſtoque chirographo, quod ad

nos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

nos & poſteros noſtros, donare ac concedere, ut quotannis, idque in perpetuum, præfectum conſtituant, terraſque, quas in Scania poſſident, aut poſtmodum à Rege Daniæ obtinentes poſſeſſuri ſunt, ſecundum leges, ac jura ſua componant, gubernentque. Hoc ſignatum ad æram anni M CCCXCI.

Præfecti illius, cujus conſtituendi mentio hic fit, munus aliud non erat, quam ortas inter ſuos lites componere, ſeduloque providere, ne quid Amſtelodamenſium res ibi caperent detrimenti. Erant autem fere iis in locis, in quibus peregrini frequentius agebant, *Advocati* ſeu præfecti duo; quorum ille, qui à peregrinis ipſis conſtitutus erat, eorum *proprius*; alter *regius*, quod Regis nomine præeſſet, vocabatur. Ad illum tamen non omnes, ſed tantum levioris momenti controverſiæ, ad hunc, graviores omnes diſcutiendæ referebantur. Si quis cum altero manus conſeruiſſet, eumque læſiſſet, de hoc *Advocatus proprius* judicabat. At vero ſi inter pugnandum aut manus amputata, aut homicidium eſſet commiſſum, ad *Advocatum regium* id omne dijudicandum ſpectabat; Vt non obſcure innuit præclarum diploma illud, quo Waldemarus Danorum Slavorumque Rex, anno 1326, Hardervicenſibus varia, in Scania quod ad halecum piſcationem, & mercaturam inibi exercendam attinet, immunitates indulſit. Verba ibi, quæ propius huc ſpectant, ſic ſe habent.

Item de omnibus & ſingulis querimoniis & controverſiis ac læſionibus, quas inter ipſos Burgenſes de Harderwijck mutuo commiſerint, Advocatus proprius *in Skanor habet diſcutere & judicare, niſi hujuſmodi læſionis emenda ad vitæ vel manus amiſſionem ſe extendat. Item ſi ita contigerit, vid. ſi aliquis alium interfecerit aut gladio, ſecuri, lancea, ſeu cultello, ſeu aliquo armorum inſtrumento ſecando vel tundendo vulneravit, ſeu haſta, baculo, ſive lapide percutiens membrum fregerit, aut ad effuſionem ſanguinem vulnus inflixerit, de hujuſmodi* Advocatus noſter, *qui eſt, & qui pro tempore fuerit, habeat judicare. Item ſi aliquis ex ipſis Dacum aliquem pro debitis novis vel de aliquibus annis præteritis incuſaverit*, Advocatus noſter *ipſi de Harderwijck dicta debita ſua juxta leges terræ ſine aliqua mulcta aut aliquo ejus damno adjudicabit, &c.*

Ex his, quæ jam diximus, facile eſt falſi arguere Pontum Heuterum Delfenſem, qui, tamquam hiſtoriæ omnis ignarus, Hollandis, interque eos Amſtelodamenſibus ignaviam velut quamdam & ſegnitie impudenter nimis adfingit. Ait illos ad annum 1492, Friſiæ Saxoniæque tantum maritima legere aſſuetos, Cymbicam Cherſoneſum, Dacos, Gothos, totumque illum borealem tractum ex auditu tantum cognitum habuiſſe, & halecum capturam plane ignoraſſe. Quibus nihil falſius fingi poſſe; ea, quæ à nobis jam dicta ſunt, luculenter ſatis oſtendunt. Et aliud haud dubie egit, cum iſta ſcriberet, vir alias in hiſtoria noſtra verſatiſſimus. Certe juſta indignatio Cl. V. Iohanni Iſacio Pon-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

tano, qui eruditiſſimo, eoque politiſſimo commentario Amſtelodamenſium res illuſtravit, elegantiſſimam hanc epiſtolam non minus ad te, mi lector, quam me perſcriptam extorſit.

ORnatiſſime cognate, Theatrum tuum Hollandiæ ejuſque urbium in Orbis propediem theatrum Muſis faventibus proditurum ex tuis jam indies libens intelligo. Præter cetera, & quæ alias & de aliis huc ſpectantia commonuiſſe memini, nunc unum occurrit haud quaquam involvendum ſilentio. Nam ipſe dum Gelriæ res & ejus Ducatus, ut & Comitatus Zutphaniæ, archiva, ut Danica nunc mittam, percurro, haud unum præterea authorem ad idem argumentum eamque exornandam ſpartam arceſſo. Et in his, qui tempora noſtra quam proxime accedit, reſque pace belloque ab Auſtriæ principibus in Belgio geſtas recenſet, Pontus Heuterus Delphenſis eſt, Præpoſitus, ut ſemet appellat, Arnhemienſis. Is ad annum 1492 Hiſtoriæ ſuæ ea, inter alia, de Hollandiâ deque Amſterodamo Enchusâque memorat, quæ officij omnino mei ſit, qui Amſterodamum edito olim commentario celebravi, haud intacta omittere, præſertim cum talia ſint, quæ à rei non tantum veritate exorbitent, ſed gentis quoque laudatiſſimæ earumque urbium antiquum decus ac gloriam decolorent. Quis enim qui Hollandiæ annales vetuſtiores eumque de Amſterodamo, quem dixi, commentarium noſtrum propius inſpexerit, verba Heuteri ferat, quæ poſita loco & anno jam dicto, iſta ſcilicet? *Brugenſes ac Sluſani opibus ac mercatura, eo tempore florentes, re nautica vicinos omnes facile ſuperabant, imprimis Zelandos Hollandoſque navium multitudine navigandique audacia præcedebant.* Et ibidem: *Hollandi ultra Angliam Scotiamque tentare ad occidentem & ſeptentrionem maria auſi nondum fuerant, nec tam audacter Amſterodami & Enchuſij eorumque vicini (inteſtinis tantum ſeditionibus iiſque continuis dediti, ac proinde Friſiæ Saxoniæque tantum maritima legere aſſueti) ad orientem vela converterant, Cimbricam Cherſoneſum, Dacos, Gothos, Suecos, Iſlandos, Norvegos, Prutenos, Moſchos ex auditu tantum noverant, halecum capturam plane ignorabant, majores aſellos (Cabeljau vocant) in proprium ſolum uſum leviter ſiccabant, aut aëre ac vento ſaliebant, qui nunc hieme capti ſaleque conditi per univerſam Europam diſtribuuntur. Munitiſſimæ nunc Hollandiæ Zelandiæque civitates oppidula tantum erant, piſcatorum ac obſcuriorum aliquot mercatorum habitacula. Vliſſinga, &c.* Quis inquam Heuteri hæc ferat, adeo in laudes Sluſanorum ac Brugenſium liberalis, in Hollandos populares ſuos, præparci oppido atque aridi, ne dicam injurij? Quibus enim perſuadeat Heuterus, qui vel obiter tantum annales Hollandiæ & illam, de qua injeci, rerum Amſterodamenſium hiſtoriam, noſtram percurrent, ea tempeſtate Hollandos haud ultra Angliam Scotiamque tentare ad occidentem & ſeptentrionem maria auſos fuiſſe? Et Amſterodamos Enchuſioſque ad orientem tum nondum vela vertiſſe, & Danos, Gothos, Suecos, Moſchos ac illam, quæ Ptolomæo dicta, Cimbrica Cherſoneſus, nunc Iutlandiam dicimus, ac ceteram illam, verſus Norvegiam, Boreæ oram fando tantum atque auditu noviſſe? Nam ſanè qui res Danorum, & eum Amſterodamenſium Commentarium noſtrum conſulet, reperiet integro, & quod excurrit, ſeculo jam

ante

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

ante Amſterodamenſes Orientis eam plagam eaſque Daniæ Sueciæq; oras navigationibus frequentaſſe; & variis à boreæ Regibus per idem id tempus,qui fuit annus Chriſti 1368, donatos immunitatibus. Et exſtat diploma ipſius Hollandiæ Comitis Alberti Boij, quo oſtenditur poſſediſſe Amſterodamenſis, ſub annum Chriſti 1391, certo Schanienſium apud Danos diſtrictu territorium, halecum captura celebre, idque Regis Daniæ indultu, ubi præfectum conſtituendi jus aliaſque prærogativas haberent. Atque inde ſub Burgundiæ principibus legimus Amſterodamenſium ac Hollandorum nonnullas naves inſolentius à Vandalis, vel, ut vulgo vocabant, Oſterlingis, id eſt, Hamburgenſibus, Lubecenſibus aliiſque Balthici illius ſeu Orientalis oceani accolis invaſas direptaſque; & eos; cum omnem rerum reſtitutionem, etiam compellati, recuſarent, cum Venetis, Hiſpanis Pruteniſque, qui tum in oceano hoc boreali frequentes etiam erant, mutuum iniiſſe fœdus, eoque ſtatuiſſe, Hollandos omnes junctis viribus è mari exturbare: atque inde Hollandorum ubivis naves, non modo in aperto oceano impetiſſe, omniaque in eorum detrimentum egiſſe; ſed eos etiam, qui bona fide in portus eorum appellerent, detinuiſſe, ac manus in bona eorundem ac mercimonia injicere cœpiſſe. Ducem verò Burgundiæ de omnibus certiorem redditum Oſterlingis cauſæ cognoſcendæ diem dixiſſe: & acceſſiſſe ex urbium Vandalicarum legatis Henricum Rapeſilverum Dantiſcanum, nec non Henricum Voraet Lubecenſem, utrumque equitem; Hollandos autem miſiſſe etiam ſuos, quos inter pręcipue nominatur Everardus Iacobęus, quem ablegaverant Amſterodamenſes tum conſulem. Additur Vandalicos, cum promittere bonorum, quæ eripuerant Hollandis, reſtitutionem nollent, apertum illis bellum indictum: atque ita Burgundi auſpiciis, Amſterodami confeſtim aliquot prætoriis navibus deproperatis, quibus & ſuas addidêre Zelandi Hollandique ceteri, ad arma & manus ventum: ac prima expeditione viginti hoſtium naves captas, Hiſpaniæ littus infeſtum ubivis redditum, & quidquid ex portubus ſolvebat in prædam veniſſe; Venetis etiam (qui tum, ut dixi, frequentes hic navigabant) pacem nuſpiam fuiſſe. eorumque inſtructiſſimam exoticis mercimoniis onerariam ab Hollandis captam ac flammis, poſtquam eſſet direpta, funditus exuſtam. Sicque exiguo Amſterodamenſes Hollandoſque temporis ſpatio illata ſibi damna facillime reparaſſe, paſſimque terroris tantum adverſariis intuliſſe, ut pene ſoli ea oceani parte regnarint: ac eo etiam nomine ex ſummis in malo ſuarum navium corbibus ſcopas prętuliſſe, quaſi ij eſſent, qui mare, piratis talibuſque harpiis infeſtum, purgarent. Poſtremo & hoc adjiciunt Hollandiæ annales vernaculi, hanc cladem prædixiſſe Vandalicis Henricum Rapeſilverum Dantiſcanum, jam modo memoratum, dixiſſeque (ubi de cauſa cognoſceretur, nec auſcultare melioribus conſiliis ceteri vellent) *dormire ac quieſcere leonem, caverent vero ne ſuo malo excitatum irritarent.* Habeo authorem anonymum, qui ante annos pluſquam centum Amſterodamenſia nonnulla brevi ſyntagmate contexuit, referentem eo in bello ſolos Amſterodamenſes claſſem expediviſſe viginti navium, præter eas, quæ ab Hollandis ubivis ceteris Zelandiſque procuratæ: & tantum tum Amſterodamici ſolius nominis terrore remotiſſimas etiam invaſiſſe provincias,

»» ut plurimi non oppidum, ſed provinciam ejus nominis
»» exiſtimarint: & tamen dimidia ſui parte exſtitiſſe tum
»» minus, quam cum muro exinde latritio, ſub annum ſci-
»» licet cIↃ CCCC LXXXII cingeretur, apud omnes in
»» confeſſo ſit.

»» Quis modo inficietur planeque non videat, victitaſſe
»» hic lolio Heuterum; aut ſucco adactum, quem ille dicit,
»» nigræ loliginis ea ſcriptitaſſe? Nam ad gentis quoq; anti-
»» quiſſimum ævum ſi me referam, & ex eo, veluti ex ungue
»» leonem, qui ſequutus eſt, populum æſtimare inſtituam,
»» nonne mari etiam valuiſſe Batavos Veſpaſiani jam tēpore
»» Tacitus dicet? Qui de Caninefatibus ſive Kenemerlandis,
»» ut hodie vocamus, agens, eos memorat, cum Civilis me-
»» tueret, ne quarta decima Romanorum legio adjuncta ſibi,
»» quam exſpectabat, claſſe Britannica, Batavos, qua oceano
»» ambiuntur, afflictaret, ea inquam occaſione Caninefates
»» Britannicam eam claſſem, quam primum accurrentem
»» animadverterent, & ultro aggreſſos majorumque navium
»» partem aut depreſſiſſe aut cepiſſe. Quin & ipſos Bata-
»» vos refert idem, pulſis à Friſiis & Caninefatibus Roma-
»» norum præſidiariis, qui caſtella circa Flevum, Friſiis op-
»» poſita, tenebant, ſua opera effeciſſe ut quatuor & vi-
»» ginti navium vela, quæ Romanorum fuerant, ad Civi-
»» lem Batavum vel transfugerent vel à Batavis intercipe-
»» rentur. Sed hæc taliaque alibi, & ſuo loco, propius ex-
»» ſequutus hic repetere aut commemorare prolixius de-
»» ſiſto. Suffecerit modo vel obiter adduxiſſe, quæ aut re-
»» futando hac parte Heutero eſſent, aut ejus vel malitiam
»» vel inſcitiam demonſtrarent. Tu mi cognate, tuque lector
»» quiſquis es ita habe, & fave aveque. Dab. Hardervici
»» Gelrorum ipſis Kalend. Novemb. 1631.

T. cognatus

IOH. ISACIVS PONTANVS.

Anno M CCCC XCIV ſolennibus tabulis cavit Albertus, ne quis Amſtelodami Prætor, Scabinus, vel Senator creetur, niſi prius civitate donatus annis ſeptem continuis ibi vixiſſet.

Anno M CCC XCIX cum Orientales Friſij rupto, quod paullo ante pactum erat, fœdere, ſecundò jam ab Alberto deſciviſſent, hic omnes copias ſuas Amſtelodamum convenire juſſit, inde in Stauriam ſoluturas. Atque eâ in expeditione Amſtelodamenſium, qui & omni pene commeatu claſſem probe inſtruxerant, virtus ſub Gerardo Heemſkerckio probata eſt; ut haud difficulter colligere eſt ex diplomate ejuſdem Alberti, quo Amſtelodamenſes, ob præclara eorum in ſe merita, ab oneribus omnibus & victigalibus, terra marique ſibi tamquam Bleſenſi Comiti, & Goudæ Schoonhoviæque Dynaſtæ pendendis immunes in æternum futuros pronunciavit. Obtinuerant jam idem privilegium à Guidone, Comitum Bleſenſium ultimo, qui obiit anno 1398, certam tamen pecuniæ ſummam quotannis ipſi pendere tenebantur, quam omnem Albertus iis remiſit.

Anno eodem idem Albertus hanc de Senatorum electione formulam Amſtelodamenſibus præſcripſit;

Nove-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Noverint univerſi, quod nos dilectis Scabinis & Burgenſibus noſtris de Amſtelodamo conceſſimus; quod omnes illi, qui Scabini & Senatoris munere Amſtelodami functi ſunt, quotannis Purificationis feſto, plurium ſuffragiis, debent eligere tres bonos viros in Senatores in hunc modum. Videlicet ut nati ſint annos quadraginta. Et dicti tres ſenatores tunc facti eligent unum ex iis, qui ſuperiore anno ſenatoris munere functi fuerunt, qui de novis tribus ſenatoribus recipere debet juramentum. Atque hac in re neque Ballivus, neque Prætor noſter Amſtelodamenſis jus ſuffragij obtinebunt.

Anno M CCCC IX, Guilhelmus, qui Alberto patri in imperio jam ſucceſſerat, Amſtelodamenſes, quos ſingulari favore ſuo & benevolentia, patris ſui exemplum ſequutus, complectebatur, variis eiſque haud levis momenti immunitatibus ornavit. Inter alia enim cavit, ut à ſolennium anni mercatuum (*fora* vulgo vocant) vectigalibus in æternum haberentur immunes; voluitque civitati jurisdictionem in Ya flumine, Voelwijckam uſque extendi; aliis nonnullis in Vrbis & Vrbani Prætoris favorem adjectis.

Anno M CCCC XI idem Guilhelmus civitate aliquem donandi poteſtatem Scabinis Amſtelodamenſibus his fere verbis fecit.

Item quilibet homo abhinc deinceps, qui volet & petet recipi in opidanum dictæ villæ de Amſterdam, idem per Senatores & duos vel tres Scabinos præfatæ villæ ad hoc recipi debet, conſenſu noſtro non requiſito, & dare debet in ſignum receptionis ſuæ prædictæ quinque libras Hollandiæ. Si vero aliquis dicto modo receptorum adverſus nos jam ante aliquid commiſiſſet, ſecundum communem juſtitiam terræ, in qua facinus commiſſum eſt, nobis emendabit. Ita tamen ut, ſi intra annum à prædicta receptione ſua proximum ejus cauſſa conventus non fuerit, maneat abſolutus.

Anno M CCCCVIII, vel, ſi habenda fides aliis, M CCCCXIV, Novi lateris Ædes Parochialis, quæ nova hodie nuncupatus, exſtrui cœpta, integro poſt ſæculo perfecta eſt. Pulcherrimi, ſi quæ alia, operis eſt, variis iiſque prætioſiſſimis ornamentis olim ſpectabilis. Dicata eſt in honorem S S. Mariæ Virginis & Catharinæ. Authorem habuit Guilhelmum Eggardum mercatorem opibus, & gratia apud Guilhelmum ſextum ejus nominis Hollandiæ Comitem, à quo Theſaurarij & quæſtoris dignitate ornatus eſt, admodum florentem. Obiit hic anno 1417. Corpus ejus in ipſa hac æde terræ mandatum eſt, docente, quæ ibi legitur, inſcriptione.

Circa annum M CCCCXVI, durantibus graviſſimis ſub Iacoba motibus, de quibus alibi diximus, patruum ejus Iohannem Bavarum Amſtelodamenſes, cum aliis aliquot ſequebantur, ſuamque ipſi virtutem, neceſſitate eam exigente, ſtrenue domi foriſque probabant.

Anno M CCCC XX, Trajectenſes, qui Bavaro infeſti erant, Amſtelodamenſibus inſidias ſtruxere, quibus detectis retrocedere ſunt coacti. Amſtelodamenſium tamen ducentos & quinquaginta partim cæſos, partim captos fuiſſe, notat Heda. Addit idem hac tam ſubita irruptione Amſtelodamenſes adeo fuiſſe percuſſos, ut bonis omnibus in naves conjectis non niſi de fuga jam cogitarent, & Trajectenſes, ſi magno animo fuiſſent adorti, Vrbem procul dubio in poteſtatem ſuam redegiſſent.

Anno M CCCC XXI ortum ſubito incendium potiorem Vrbis partem abſumſit.

Anno M CCCC XXVII Philippus Burgundus horrendi operis navigium Amſtelodami exſtrui curavit. Id in Emma fluvio conſtitutum, prohibendis Trajectenſium eruptionibus. *Cattum* vulgo appellabant, quo nomine loca omnia editiora apud Belgas deſignari ſolent.

Anno M CCCC XXXVIII, exorto inter Hollandos & Vandalos bello, magnas paſſim res Amſterodamenſes geſſere; viginti navium claſſe inſtructa.

Anno M CCCC XLV Amſtelodamum Hoexiorum & Cabeljaviorum motibus haud leviter concuſſum eſt, quibus tamen obviam ivit Philippus Burgundus, Conſulibus ex utraque factione binis creatis.

Anno M CCCC LII Amſtelodamenſibus, quod ad Auſtrini maris oſtia, quæ cum alii, tum vero præcipue Pruteni frequentius navibus legerent, tonnas, quibus vada & ſyrtes indicabantur, atque etiam ſpeculas, è quibus ignes emicabant ad regendos navium curſus, navigantium commoditati jam olim conſtituiſſent, & etiamnum magnis ſuis ſumtibus reficerent, portorij illîus, quod *paelgelde* vulgo nuncupatur, & à nautis præternavigantibus pendi conſueverat, in uſus ſuos augendi immunitatem Philippus Burgundus conceſſit; *Grota*, ut tunc vocabant, *Flandrica*, pro *medio Philippæo* inſtituta. Quo opes civitatis, florentibus jam magis magiſque commerciis & navigationibus, haud mediocriter auctæ ſunt.

Anno M CCCC LXXIV Amſtelodamenſes Carolo Burgundo, Noveſium acriter obſidenti, una civium turma, quibus Senatorij ordinis Vir Henricus Ackermannus præfuit, ſuppetias tulere.

Anno M CCCC LXXXIX Amſtelodamum, Trajectenſibus infeſtis per vicina armis jam graſſantibus, muro lateritio cingi cæptum eſt. David Burgundus Trajectenſium antiſtes tuncerat & Emmeneſſam, arcem opere validiſſimam, Hollandi jam expugnaverant. Ad quam recuperandam omnes copias ſuas Epiſcopus eduxit. Sed adverſam ſibi fortunam habuit; plurimis ſuorum cæſis & captis. Amſtelodamenſes vexillum hoſtium manibus ereptum in urbem ſuam detuliſſe; ibique in veteri Aede ſuſpendiſſe dicuntur, æternum rei fortiter à ſe patratæ monumentum. Notatum apud Hedam invenio, ſolos Amſtelodamenſes Abcoudam & Vredelandiam munitiſſimas arces vi cepiſſe; eaſque poſtea certis conditionibus tradidiſſe. Atq; hoc tempore factum credam, ut turri iſti, quæ prope Hortos Colubrinos, vulgo *de Cloeviniers Doelen*, exſtructa hodieque exſtat, verba hæc, quæ Trajectenſibus hanc cladem exprobrare videntur, inſcripta ſint; SWIICHT VTRECHT; quod idem eſt, ac ſi dicas;

Trajectum infami digito compeſce labellum.

Quanto

Quanto autem tunc temporis in æſtimio apud Principem ſum Maximilianum auguſtum fuerint, multa indicant, præcipue tamen diploma hoc, quo inſignia ſua imperiali corona exornandi poteſtatem ipſis facit, digniſſimum, ſi quod aliud, quod hic legatur;

Maximilianus, Dei gratia, Romanorum Rex ſemper Auguſtus, omnibus haſce inſpecturis ſalutem. Ob fidem, promtitudinem nec non merita ac beneficia multiplicia, quæ cum erga nos, tum erga proavos filij noſtri Philippi Regis, diverſis occaſionibus, tam cives, quam civitas Amſtelodamenſes præſtitere; quæque durantibus iſtis, quibus nunc fato quodam involvimur, armis, dum nimirum municipium noſtrum Roterodamenſe, itemque arcem atque Urbem Voerdenſem ad pacis atque obedientiæ conditiones revocare ſtudemus, ſedulo etiamnum maximiſque impendiis præſtant; Decreto iſto ſanctum cupimus dictam Amſtelodamenſium civitatem, cum præſertim terra marique longe lateque mercaturam exerceat, nec iis decoretur, quæ ejuſmodi civitatem deceant, inſignibus, decreto, inquam, ſancimus, noſtraque auctoritate ac gratia concedimus, indulgemus atque jubemus, ut deinceps Amſtelodamum noſtrum, in perpetuam rei ac favoris noſtri memoriam, IMPERIALI CORONA *inſignia ſua adornet atque muniat. Atque id cum nunc atque in omnem poſteritatem firmum ratumque haberi cupiamus, haſce litteras proprij nominis chirographo ſubſignavimus. Datæ in Urbe noſtra Schiedamenſi decimo Februarij, anno milleſimo quadragenteſimo nonageſimo.*

Anno M D XII ſubitam in Amſtelodamum irruptionem Gelri fecere. Sed cum urbem ex voto penetrare non poſſent, navibus, quæ magno munero extra Harlemenſem portam anchoris tenebantur, incendere.

Anno M D XXV, Anabaptiſtarum furoribus Amſtelodamum varie agitatum eſt; quod ſub poteſtatem ſuam redigere ſumma illi ope conabantur. Sed partim pœnis in ejus factionis homines ſtatutis & editis, partim edictis publicis, quibus cives peregrinos Anabaptiſtas ſub gravi pœna hoſpitio excipere vetabantur, aliquamdiu obviam itum eſt. Donec ſub initium anni M D XXXV, eò inſaniæ pervenerunt, ut, veſtibus omnibus exutis, ac ne iſtis quidem partibus, quas velatas natura voluit, tectis, nudi per urbem diſcurrerent, horrendo clamore omnia miſcentes. De quibus omnibus capitale ſupplicium ſumtum eſt. Atque in perennem Anabaptiſtici hujus furoris memoriam Epigraphe hæc in Templo, quod Amſtelodami novum vocant, miniatis litteris trabi inſcripta eſt;

DOE MEN SCHREEF DUYSENT VIIF HONDERT
VIIF EN DERTICH, WILT DIT ONTHOUWEN,
DOE LIEPEN HIER NAECKT MANS EN VROUWEN.

Quod Latinis Senariis ita eleganter à ſe redditum ad nos tranſmiſit Clariſſimus Ioh. Iſacius Pontanus.

Trige-

Trigeſimo quinto (velim hunc annum notes)
Si mille jungis, inde quingentos ſimul,
Prodire viſæ & publice hic diſcurrere
Vicos per urbis fœminæ nudæ & viri.

Gelenſis interea, dicam verbis ejuſdem Ponrani, quem à Rege Amſtelodamum inque Hollandiam Friſiamque ablegatum conſtat, quum alio longe habitu ac modo offendiſſet omnia, quam Monaſterio decedens à Rege perſuaſus acceperat, animo nihilominus res magnas agitare cœpit. Nam poſtquam in Friſiam advenit, atque inde in Hollandiam nullas copias offendit. E Friſia tamen priuſquam decederet, ejus artibus effectum, ut turbæ non minimæ præſertim Bolſwardiæ datæ fuerint. Quibus ſedatis, Amſtelodamum fugit, divertitque ignoto Mercatoris habitu apud Guilielmum Cornelium. Et ne proderetur indicio, nomen mutarat. Ex confeſſione enim eorum, de quibus in Friſia variæ quæſtiones habitæ fuerant, Gelenſe nomen per Hollandicas urbes celebre tum erat. Diu hic ſecreta colloquia cum iis habere, quos ſibi oportunos perſpexerat; per hos ſibi alios atque alios adjungere; cum his ſeria miſcere; magna de Monaſterienſium Regno promittere: horum vivendi libertatem vehere. Ad poſtremum animos ſpe novarum rerum implet, & ad memorabile facinus audendum accendit. Nam fama Monaſterienſium rerum tantam mortalibus ſacra prophanaque invadendi cupiditatem per id temporis injecerat, ut brevi Amſtelodami paſſim illa lues latius, quam credi potuit, proſerperet. Erat in urbe *Henricus Groetbelitus*, homo decenti ſtatura & corpore robuſto, qui in multis bellis rem militarem ſecutus, magnum inter ſuos nomen virtute adeptus; iiſdemque temporibus Anabaptiſtarum ſacris inter alios initiatus fuerat. Hunc Gelenſis ſecreti colloquii ſocium ſumit: Sed nihil æquè metuebat, atque ne indicio proderetur: nam ab aliquo agnitus ob mutati nominis conſilium, in præſens capitis periculum fuerat perventurus: Perſuaſus tandem à fidis quibuſdam amicis, inter quos *Goetbelitus* erat, capit in arena conſilium. Idque ejuſmodi fuit. Curiam Brabanticam, dum res adhuc integræ eſſent, quamprimum peteret: veniam admiſſi, quacunque ratione, à Regina Maria Caroli Imperatoris ſorore, quæ tum Provinciarum Gubernatrix erat, exoraret: qua impetrata (erat homini grandis pecunia, quam Monaſterio exiens à Rege acceperat, ut aliis memoratum eſt) in Hollandiam regreſſus, Amſtelodamum reverteretur, ut periculorum ſecurus inter cives & mercatores, proprio viciſſim reſumto nomine, verſaretur: Conſilium non fruſtra fuit: Nam amicorum ope & ſuis variis promiſſis fretus, veniam eſt conſecutus, hac præſertim lege, ut urbem Monaſterium Carolo Imperatori, quibuſcunque artibus, traderet. Cætera inter ſe ſecreto tranſegerunt. His de rebus traduntur homini tabulæ magno ſigillo impreſſæ; & addita eſt eidem pecunia ad conſcribendas copias. Redit Amſtelodamum ſucceſſu exultans, & admodum lætus, ubi non, ut antea, in occulto verſari, ſed palam, & partæ condonationis fiducia ultrò etiam apud quoſlibet ſe rebaptizatum confiteri, nomen natiuum edere: nihil denique ſimulare aut diſſimulare. Fidem ei maximè conciliarunt apud urbis Primores & Senatum, promiſſa magnifica de proditione inter cæteras conditiones tabulis expreſſa. Mutat hoſpitium, migratque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

que in ædes, quæ Hiſpaniarum titulo inſcribuntur. Innotuerat jam omnibus, & familiarior eſſe cœpit Principibus civitatis, cum ob lapſus pœnitudinem, & admiſſorum impetratam condonationem; tum propter ſuſceptæ Provinciæ magnitudinem, perpetrandæque difficultatem. In hac animorum ſecuritate facinus arduum parare aggreditur. Conjurat cum ſua gente de invadenda urbe, & ſimili Monaſterienſi Republica conſtituenda. Omnium primum conſilij hujus ſocium aſſumſit *Henricum Goetbelitum*, quem ſuorum Signiferum fecit. Inde res ad reliquam gentem refert, quam in ædium interiora *Petri Galæ* in Vico Pilano coëgerat. Approbatur conſilium, maximè negotij facilitate à Gelenſi propoſita. Addidit opportuna omnia, noctis beneficium, propenſos totius civitatis in ſe animos, extra paucos bibones, gulæ & abdomini deditos, præſentem numinis favorem, oraculum *Henrici Hilderſum*. Deſtinantur ibi ad cædes hoſtes Anabaptiſtarum: partiuntur inter ſe domos opulentiorum, omine non bono, ante partam victoriam. Conſtituitur patrando facinori ſextus Id. Maj. Numeratur ſingulis nummus Aureus, pignus ſocietatis. Signum ad concurrendum foret, nolæ pulſus in Curia. Sed conjuratio caſu magis, ſeu Numinis potius providentia, quam vigilantia, aut Conſulum induſtria, in ipſo prope rei agendæ puncto detecta fuit. Nam priſco more Crucis ſodalitium luxu magnifico in Curia obſonare id temporis conſueverat. Quo etiam convocari moris erat Magiſtratum omnem & pleramq; civitatis opulentiam, inque noctem multam compotationem extrahere. Circa ſerum diei, jam medio foro funalibus & vaſis picatis in triumphi ſpeciem accenſis, adoleſcens fortè ad quendam, cui nomen fuit *Petro Honichio*, acceſſit, narratque Anabaptiſtas ad ſexcentos tota ſe urbe colligere, ut eam invadant. Honichius nulla interpoſita mora rem ad Nicolaum Dodeſium & Theodoricum Hildebrandi filium Tribunos refert. Hi tres conſociati in Forum ad Conſules properant, aperiuntque illis rem haud ſine exaggeratione, ut acceperant, monentque, ut maturè proſpicerent, ne quid detrimenti reſpublica caperet. Conſules apud ſe tranquillitatem præſentem urbis reputantes, non ſatis induci valuerunt, ut crederent tantam mortalium multitudinem ſine indicio cogi; aut conjurationem tectam, ne proderetur haberi potuiſſe, cum inter duos vix ferè facinus celaretur. Ad Conſules Index adducitur, quo ex eo exploratiora cognoſcerent. Affirmat is identidem & pertinaciter, ſic ſe rem habere, nec eſſe temerarium, ſeque in vinculis teneri imperat, ſi minus facta relatis reſponderent. Signa multa, & inter ea illud argumento eſſe, tres bombardas manuarias duplicis generis pulvere tormentario debitè oneratas in ſupero conclavi Rhetorum, qui vulgò appellatur *Rhetorijck-Kamer*, eos inventuros. Erat autem tum illud in Foro in ſummo Libræ tabulato, contra tranſverſam curiam. Cæterum deprehenditur res à Conſulibus, perinde ut ab Indice acceperant. Sodales interim crucis ſolito maturius è curia diſcedunt, quæ res ipſis ſaluti fuit. Habita aliquamdiu inter Conſules conſultatio, qua ratione per ſilentium cives cogerentur, ut quàm minimo motu ad curiam in armis Anabaptiſtarum adventum expectaturi, adeſſent. Aliis aliter cenſentibus, dum ſententiis variantibus tempus eximitur (erat noctis prima fax) Anabaptiſtæ armorum omni genere inſtructi, Vico Pilano ex ædibus Petri Galæ magnis clamoribus, præeuntibus ſignis & tympano,

 tumul-

tumultuoſe in forum irrumpunt. Curiam invadunt: vigiles partim cædunt; partim capiunt: cæſuſque in principio ſtatim fuit Vigilum Præfectus *Simon Puttius*. Ad primos clamores lictorum unus excitatus, qui in Curia adprime potus, inter ſedilia & ſcamna humi exporrectus jacebat dormiens, in ſuperiora tabulata ſe abripuit, ac funem nolæ, ne ad terrorem urbi augendum ſignum daretur, ignarus omnium, forte fortuito ſubduxit. Ægre evadunt Conſules & tota urbe cives excitant jubentque in armis fauces viarum circa forum obſideri, ne illorum robur ulla acceſſione eorum, qui nondum aderant, ullatenus augeretur. Anabaptiſtæ interea, ne vaſorum ardentium, toto foro, luce proderentur, ligna & funalia demoliuntur. Degebat in Vico Pilano homunculus ex Anabaptiſtica conjuratione, nanus gibboſus & Therſites alter; Hic ad primam conclamationem ficta trepidatione excitus, vicinum armatus rogat, ecquæ turbæ, ecquis motus civitatem invaſiſſet. Inde, paucos paſſus progreſſus, vicinum incautum excipit. Repens tumultus totam civitatem pervagatus in muros ad excubias nocturnas pervenit, captam urbem, cædem paſſim fieri. Atrocitatem rei, rumor, horror nocturnus tenebræque ſolito non paullo denſiores, per quas nullum inter hoſtem & amicum diſcrimen dignoſcere poterant, errantibus per viarum anguſtias adauxere. Turbabat item eoſdem ipſos, in quem locum primo occupandum convenirent. Quotquot in Forum primo ſtatim tumultu proſiliebant ad dimicandum, Anabaptiſtarum bombardis ac ſphærulis trajiciebantur. *Nicolaus Aquinas* erat homo temulentus, & potor ſtrenuus, cui cum Henrico Goetbelito multos annos familiaritas interceſſerat, Is ſe in turbam confertam præcipitabat toto foro digladiantium conjuratorum. Rogat ſalſe, quid ſibi vellent: Conſilium ederent ut reconciliarentur: Iubet eum Goetbelitus inde domum faceſſere: periculoſum ibi agi negotium, quod ad ipſum nihil pertineret. Parantibus aliis in eum ferrum ſtringere; Potor magnus hic eſt, inquit Goetbelitus, & mihi familiariter notus, mittatur. Dum reſtitit, volens ſuo more eſſe ridiculus, fruſtra eodem Goetbelito injuriam prohibente, truncatur. Obſederant jam cives vias, quæ in forum excurrunt. Inde convenit inter Coſſ. ne quid ante exortum diei incœptaretur. Conſul tum inter cæteros erat *M. Petrus Colinus* Vir cum doctus, tum pius: hic quod in ſui Conſulatus initio ad ſæviendum ſegnior fuiſſet, ut memorat Lambertus Hortenſius, quem, ut ævi iſtius ſcriptorem ideoque & fide digniſſimum ſequimur, multorum in ſe invidiam conjecerat, quaſi iſtorum hominum, &, quæ agerentur conſiliorum non ignarus, multa diſſimulaſſet. Quo ergo in civium conſpectu communique periculo ſuſpicione ſe liberaret, Dux ſuis in forum, in ipſo ardore, non recte conſilio præparato, præceſſit. Anabaptiſtæ accepto civium adventu Conſuli circa Libram cum infeſtis tormentis manuariis obviam procedunt, ac nullo momento in fugam eos avertunt: Multi in ipſa fuga vulnerātur. Conſul fœde trucidatur. Plurimi inter hæc ſphærulis adulteratis per tenebras ſternuntur. *Goſvinus Recalvus* Vir Conſularis, & rei militaris laude jam olim clarus, vela viis ad forum ducentibus obtendi imperat, & advolvi ſaccos ingentes lupulo graves, pone quos, ceu ſub pluteis, latitarunt adverſus Anabaptiſtarum vim. Cum autem animadverteret idem Recalvus haud tuto in univerſum cum ſola civium manu rem agi, convocat in forum Piſcarium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

rium circa aggerem, quò utrimque vis fluminis coercetur, voluntarios, ad faciendum in eum diem ſtipendium menſtruum ſub Coſſ. Amſtelodamenſibus. Erant hi fere militares, & qui in prȩliis antea res fortiter geſſerant. Hi ſacramento ita inauthorantur, ut diſturbatis Anabaptiſtis impetum in curiam facerent primi; hos deinde cives ſequerentur. Tum Goetbelitus, ubi advertit vias ad forum interceptas, ne copiis ſuorum augerentur: & altum ſilentium civium: nimirum ô Gelenſis, hoc illud eſt, quod ſemper male metui, ne nos noſtrum inceptum cum tam exigua manu in exitium adduceret. Quid nunc reliquum niſi ut pugnando cadamus? Ad ea ille; Haud ita cadet res: ante decimam ſequentis diei horam urbe potiemur, & quidem ſine ſanguine, ſi quid Prophetæ credendum eſt. Civibus altum ſilentium agentibus, reliquum illi noctis cantu ſacrarum Odarum abſumpſerunt. Et hujus facinoris autores haud ultra quadraginta fuiſſe creduntur.

Poſtquam autem ſubluceſcente aurora quædam diſcurrentium ſimulacra per umbram apparere civibus cœpere, cum jam globulis alii poſt alios ex inſidiis ferirentur, in Curiam ſe è publico abripuerunt. Cives foro pulſos conſpicati Anabaptiſtas, Conclave Rhetorum non ſegniter occupant adprohibendos illos è publico oportunum. Inde per feneſtras Curiæ tanta vi tormentorum fulminatum in aulam, quam vernaculo idiomate magnam vocant, ut per curiam totam ſe, multis ſparſim cadentibus, divellere cogerentur. Tum Goſvinus Recalvus duos integros ſerpentarios, & aliud tormentum majoris generis, ad aggerem fluminis moveri imperat. Oritur ibi conſentiens prope clamor, nihil referre ſi una cum hoſtibus unica Domus evertatur: multo magnificentiorem Curiam Senatoriam ſe excitaturos. Ad ea Recalvus; ſat futurum, ſi dejectis foribus feneſtra verſus interiora aperiretur: ſimulque imperat inauthoritatis ut ad jactum globi intenti, impetum in Curiam faciant. Emiſſo tormento aberrat in oſtium Xenodochii D. Elizabethæ globus aditumq; patentem facit. Adductis perinde duobus reliquis, multò majore vi & jactu certiore oſtium & poſtes Curia disjiciuntur; ac ſimul adſiliunt inauthoritati agmine infeſto, parique ferocitate proxime ſecuti Cives altum clamantes in Curiam impreſſionem fecere. Pulſis Anabaptiſtis in eam Curiæ partem, quæ nova eſt appellata, offenduntur in primo ſtatim limine ſparſa cadavera, partim è Rhetorum conclavi, partim majoribus bombardis neci data. Nonnulli ſpiritum adhuc trahentes à ferociente Cive interfecti. Occupaverant Anabaptiſtæ Curiam interiorem ad viginti quinque. Hic tanta virtute Cives, dum aditus undique tentant, à limine repulerunt, ut nemo viam vi facere potuerit. Captatur ex tempore & loco præſens pariter & neceſſarium conſilium, ut Civium ac Militum pars de via feneſtras ſcanderent, hoſtemque à lateribus adorirentur. Atque ita dum undiquaque oppugnantur, multis pugnando cadentibus, inter quos & Goetbelitus fuit, capiuntur duodecim, Turricula præceps eſt è ſummo Curiæ faſtigio in cœlum educta, ſub cujus ſummo tecto nola ad convocandum Senatum & Senatuſconſulta promulganda, & alios Reipublicæ uſus dependebat. Infra hanc galea erat (tranſitum vulgo vocant) in hanc ſubducta ſcala, ſtatim poſt captam à Civibus Curiam confugerat Ioh. Gelenſis. Expendens apud ſe atrocitatem ſupplicij ſi in poteſtatem vivus veniret; contra forum ſe erexit viris armatis circumquaque

refertum. Qui hominem conſpicati, manuaria bombarda trajiciunt, indeque paullo poſt adhuc palpitans in ſubjectum forum præcipitatus eſt. Multi noctis tenebroſæ beneficio dilapſi, quique ad ſignum intenti ſteterant, in poſterum latuerunt. Atque ad iſtum maxime modum hoc celeberrimum emporium ab inſana tum conjuratione vindicatum eſt. Vnum præcipue, volente ſic numine, obfuiſſe videtur, quo minus ſperatum eventum ſortiretur hoc facinus, campanulæ nimirum funis à poto lictore, ut antea memoratum, ſubductio.

Anno M D LXXXV aucta iterum ſunt Vrbis pomœria, quod verbis iſtis elegantiſſimis proſequitur ſæpe jam laudatus & adhuc merito ſuo laudandus Iſacius Pontanus lib. 2, cap. 26, Rerum & Vrbis Amſtelodamenſium.

Priuſquam de cataractis, plateis, portis, pontibus, Burſa, Bibliotheca aliiſque publicis locis atque ædificiis, quæ ad Vrbis adhuc ornatum enarranda ſuperius promiſimus, ſermonem deinceps ingrediar, illud præmittendum tantum eſt, Anno 1585. quomodo & ſuperius obiter innuimus, produci urbis pomæria, valloque terreo & foſſa, communiri cœpta; Eaque paucis poſt annis irrita atque immutata fuiſſe, latiuſque tunc ac ſerio urbis terminos, & quo hodieque conſpiciuntur loco, poſitos, additâ circumquaque foſſa quam latiſſimâ, ejuſque in meditullio, loricæ quaſi loco, palos impactos. Quantum verò ſpacii tunc in univerſum acceſſerit, ex eo colligi poteſt, quod 9100 circiter paſſus oppidi nunc circuitus contineat, cum antea, dum adhuc muris cingeretur, 4920 tantum, ut ſupra meminimus, complecteretur. Quibus ſi accedat ſuburbii complexus, & ille ampliandæ urbi terminus nuper poſitus, quantus & quam ingens hic ambitus fiet! Muri vero lateritii qui aliquandiu poſt urbis utramque extenſionem integri etiamnum perdurarunt, quonam tempore ſolo æquati ſint, verſiculus, qui idiomate vernaculo tum conceptus, & ad rerum quoque aliarum, quas complectitur, memoriam adſcribi meretur, ita loquitur: *In't jaer ſeſthien hondert een, werden des Stadts Veſten gheſlecht, de Toren gherecht: ende ghemaeckt dry Sluyſen, en wel ſes hondert huyſen.* Atque ita eodem dè rhythmo tres CATARACTAS ſeu emiſſaria, ſive, ut vulgo vocant, Sluſas, ſuperioribus, de quibus primo libro egimus, additas fuiſſe liquet; Harlemenſem novam; Antonianam, & eam, quæ eſt circa portam viæ ſacræ, *Boeren verdriet* appellatam. Sunt hæ cataractæ novo & inuſitato gentibus aliis modo fabrefactæ. Fundus primum eo loci, quo jaciendum fundamentum eſt, pro muri, qui quinque aut ſex Paſſuum, ut plurimum, latitudinem continet, craſſitie, palis firmiſſimè per fiſtucas ſolo infixis conſtituitur, atque inde murus ex ſaxo quadrato aut coctili utrimque ſuperimponitur: interius ſolum ex tabulato aſſerum magnarumque trabium ſolidiſſimè ſtratum, undam nuſpiam admittit; valvaſque habent bifores, quæ una tantum parte, mare nimirum Auſtrinum verſus, panduntur. Cum enim undarum vis maxima ab Auſtrino Yæ ſinu ingruat, valvæ eædem quam primum foriſecus æſtus intumeſcat, ſponte concidunt clauduntur que; ut ita declivia illa, quæ ſunt intra aggerem, prata, ab impetu undarum conſerventur: Vbi vero nimio humore hiberniſque pluviis eadem arva internique lacus humectati ſunt, ſpirante, ſub vernum tempus, Auſtrali vento defluere aquæ lacuſque incipiunt,

cipiunt, patentibuſque cataractarum valuis in Yam cum impetu devolvuntur, & agros humore totos innatantes paulatim exhauriunt uſuique idoneos reddunt. Adeo ut unæ eædemque cataractæ & Exonerandi & Coercendi vim habeant. Hæ novæ fornicibus, ut reliquæ, de quibus ſuperius dictum, tectæ non ſunt, ſed penſilesq́ pontes habent: quibus ſubductis, etiam grandioribus & onerariis navibus erecto malo tranſitus patet. Eſtque ſingulis conſtitutus unus aliquis, qui, obſervato æſtus tempore, prout ratio poſtulaverit aperiendis claudendiſque foribus pontique ſubducendo curam gerit. Plateæ etiam quæ noviter acceſſerunt ad normam priorum continuo ductu diriguntur: Et eſt inter ceteras ampla ſpatioſaque, quæ & ideo lata nominata à porta Antonia veteri ad novam recta ducit. Ceteræ ut vitelina, & agger novus ſimili ſe modo habent, præterquam Burchvalli, qui amnibus ex Amſtela ſe ſpargentibus interluuntur, viſunturque amœnis paſſim arbuſculis ad oram amnium concinno ordine interſtincti, magnamque adferentes tranſeuntibus voluptatem. Pontes ſunt, ut plurimum, ex ligno, ſed ita fabrefacti ut ſolidum opus dicas: fornicibus ac magnitudine viſenda ſunt, præſertim qui Amſtelam & Dameracum pertranſeunt. Nam & onerariæ facillime ſuffluunt. Portæ præcipuæ ſunt Antonia, Regularis & Haerlemenſis: intermediæ viæ ſacræ; & Iohannis Romii: Verſus Yæ fluentum, ubi totum id urbis latus duplici palorum ordine, valli in modum munitum eſſe, ſuperius memoratum eſt, plures ingreſſus navibus ac cymbis patent; quamvis grandioribus navigiis, & quæ ſe erectis ac ſtantibus malis intra palorum hoc ſeptum inferre laborant, certis tantum locis ingredi fas ſit, tigno trabali aut ferreo fune per tranſverſum palis ſuperne impoſito, reliqui aditus ita intercludantur, ut cymbæ tantum & lintres grandiores, aliaque navigia, depoſitis malis, admittantur. Hos omnes ingreſſus vulgo *De Boomen*, ab ipſa re, quod trabibus ſeu tignis aquis innatantibus obſepiantur, vocitare mos obtinuit.

Anno MDXCIV prima ad Chinam & Moluccas boreali via ab Amſtelodamenſibus navigatio & ſimul ad reliquas omnes, ignotaſque hactenus Batavis oras inſtituta eſt. Atque hæc eſt illa ætas, qua aſſiduis commerciis uberrimum illum auri argentique imbrem in Hollandæ Danaes ſinum derivarunt. Argonautas dixeris; ad petendum vellus illud aureum, cum totius terrarum orbis ſtupore emiſſos. Qui ſingula accurate volet, adeat lectiſſimum Iohannis Iſacij Pontani de Rebus Amſtelodamenſibus commentarium, ubi fuſe deducta ea omnia inveniet, quæ nos verbo tantum indicamus.

Anno MDCXXXII Amſtelodamenſes pro ſuo in litterariam Rempublicam affectu illuſtre Gymnaſium excitaverunt, evocatis eò, magnis præmiis, Clariſſimis, & Doctiſſimis Viris, Gerardo Ioanne Voſſio, & Caſparo Barlæo.

Amſtelodamo oriundi ſunt

Nicolaus Amſterdam floruit circa annum 1446. Meminit ejus Iohannes Bertelius in Hiſtoria Luxenburgenſi, ubi Theologiæ Baccalaureum ipſum appellat, additque acriter eum Ferrandi cujuſdam hæreſim impugnaſſe.

Hervicus de Amſterodamis præter Theologos alios clariores, cauſſæ Iohannis de Veſalia, cui hæreſeos crimen intende-

tendebatur, ad annum 1489 interfuit; interque Doctores Heidelbergenſes nominatur.

Iohannes Amſterodamenſis familiariſſime uſus eſt Veſſelo, quem Lucem mundi ſua ætate nuncupatum fuiſſe, alibi diximus, ut litteræ, quas inter ſe commutarunt, quæque Veſſeli operibus inſertæ ſunt, clare ſatis loquuntur.

Alardus Amſtelodamus varia, eaque elegantiſſima, ut doctiſſimus erat, ingenij ſui monumenta reliquit. Magno apud eum in pretio Rodolphus Agricola fuit; cujus ſcripta plurima, aut ſcholiis & brevioribus notis illuſtravit, aut in compendium contraxit. Vnde effigies ejus adjunctum hoc diſtichon habebat;

Si Logicâ laus eſt præcellere in arte, Rodolphum
Par laus Agricolam debita, meque manet.

Græca nonnulla in Latinum ſermonem convertit. Ad poſtremum etiam ſacris ſtylum & ingenium ſuum applicuit. Quam politus Poëta fuerit, præter Panegyrim Carolo V Cæſari ſcriptam, varia ejus carmina teſtantur, quæ in commendationem auctorum ſparſim leguntur. Vir fuit ſermone lingua explicando, quam auribus excipiendo promtior. Surdaſter enim fuit. Vnde Eraſmus eleganter de eo dixit, eum id, quod auribus deminutum eſſet, lingua penſare. Vivere deſiit Lovanij anno 1541, ſepultus in æde S. Franciſci. Non aliud ſibi epitaphium ſcripſit, quam iſtud;

Tota tegit tellus, qui tellus tota vocatur.

Ad vernaculam nominis ſui etymologiam, *Al-aerdt*, indubie reſpexit.

Johannes Monſenus, S. Theologiæ Licentiatus, floruit anno 1546, quo Coloniæ typis Gaſpari Gennepæi de Euchariſtiæ ſacramento librum edidit.

Cornelius Crocus Lovanij humanioribus litteris ſub Adriano Barlando, Eloquentiæ Profeſſore, tam ſtrenuam operam navavit; ut Scholæ Vrbis patriæ præficeretur. In quo munere dum verſatur, colloquiorum formulas aliaque ad juvanda teneriorum ſtudia in lucem emiſit. Erant hæc tanta ſermonis politie exculta, ut omnes Terentianæ & Tullianæ elegantiæ numeros impleſſe videretur. Scripta, quibus Religionis & pietatis negotium promovit, pluria exſtant. Aetate jam provectus Romam profectus Ieſuitarum ordini, recens tunc ab Ignatio Loiola inſtituto, nomen dedit. Vbi magna modeſtiæ fama vixit, uſque ad annum 1550, qui ipſum terris invidit. Vitam ejus omnem proſecutus eſt Nicolaus Cannius.

Giſbertus Horſtius, eodem, quo Crocus, tempore, in Vrbe urbium vixit. Fuit hic celeberrimi nominis Medicus, ſcripto de Turpeto & Thapſia commentario inſignis. Magno hic in æſtimio fuit apud Romanos. Obiit Romæ anno 1556. Sepultus in æde Deiparæ Virginis.

Iohannes Sartorius Scholæ patriæ Rector ſcriptis editis optimè de lingua Latina, & ſimul vernacula ſua, meritus eſt. Oſtendit certe, falſo linguam Belgicam ruſticitatis inſimulari; habereque ipſam, quæ cum Græcorum Romanorumque Adagiis & elegantiis poſſint componi. In Prophetas Minores commentatus eſt, ſed mutato nomine, pro *Sartorius*, *Toſarrius* reſcripto. Adagiorum Chiliades tres patrio ſermone elegantiſſime reddidit. Quod opus hoc non inficetum Epigramma Cornelio Muſio extorſit.

Multa

Multa quidem magnus proverbia ſcripſit Eraſmus,
Quo non utilius condidit alter opus.
Si tamen in Batavam voluiſſet vertere linguam,
Fructus haud dubiè plus pariturus erat.
Quod tibi cum pulchrè præſtet Sartorius, uſum
Rara Teutonicum dexteritate docens:
Illi quid debes, quid & huic æquiſſime Lector
Expende, & laudem divide cuique ſuam.

Mortuus eſt Sartorius Delfis, anno 1567, v Kalend. Apriles.

Iohannes Timannus non obſcuri nominis Theologus, Eccleſiæ Bremenſis paſtor, & magno illi Philippo Melancthoni familiariſſimus, vixit circa annum 1555.

Nicolaus Cannius, cujus opera in Græcis deſcribendis uſus eſt Eraſmus; quod ex bene longa ejus ad Cannium epiſtola comparet; in qua, præter alia, Amſtelodamum ζῶον θαλάσσιον ac propemodum in fluctibus natum eleganter, ut omnia, appellat. Cannius præpoſitus fuit Virginibus D. Vrſulæ. Colloquia in tyronum gratiam conſcripſit. à Valerio Andrea in Bibliotheca Belgica prætermiſſus.

Nicolaus Everhardus I. C. inſignis, quo nomine à Carolo Cæſare Spirenſis Curiæ Conſiliarius evocatus eſt. Profeſſoris etiam dignitate in Academia Ingolſtadienſi functus eſt. Præter *Iſagogen ad Iuriſprudentiam*, tractatum ampliſſimum *de Teſtibus & fide inſtrumentorum* edidit.

Sibrandus Occo humaniorum litterarum cognitione tinctus celebriores Europæ regiones viſitavit, & magnorum virorum amicitia floruit. Alciatus, magnus ille Iuriſconſultus, unice ipſum delexit. Quanti eum fecerit Ianus Secundus, elegantiſſimo propemptico poſteris notum fecit.

Theodorus Volcardus Coornhartius vir ingenij facillimi; qui annos jam natus quadraginta utriuſque linguæ, & humaniorum litterarum cognitione ita ſe imbuit, ut graviſſimos quoſque auctores non explicaverit modo, ſed & vernaculæ ſuæ tranſcripſerit. Lingua vernacula, qua excelluit, Theologica pluria eleganter & diſerte conſignavit; ad carpenda aliorum ſcripta factus. In Lipſium etiam ſtyli ſui mucronem ſtrinxit; ſed & hic, Dialogiſtæ nomine ipſum perſtringens, reſpondit.

Cornelius Haemrodius præter vernacula nonnulla, Bataviam veterem, Hollandiamque univerſam non inficete, ut tempora tunc erant, deſcripſit. Eam cum Amſtelodamenſium hiſtoria Iohannes Iſacius Pontanus publici juris fecit.

Petrus Opmeerus Lovanij ſtudia proſecutus, Petro Nannio præcipue operam dedit. Vnde, rebus ita ferentibus, in patriam revocatus, reliquam ſtudiorum telam ſine præceptoris opera domi ipſe pertexuit. Theologiæ, Iuriſprudentiæ, Medicinæ, & Litteris Græcis aſſiduam operam navavit. Quantus in Hiſtoria fuerit, *Opus* ejus *Chronographicum*, ab orbe condito ad annum 1580 deductum, luculenter oſtendit. Alia ejus enarrare nimis longum foret. Obiit Delfis anno 1595.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Opmeeri auten mentio injicit *Petrum ab Opmeer* Amſtelodamenſem, virum ampliſſimis in Brabantia dignitatibus functum; ut loquitur inſcriptio, quæ Antverpiæ in D. Franciſci ejuſmodi legitur;

PETRVS AB OPMEER PVLSVS PATRIA OB
FIDEM DEO AC PRINCIPI SVO SERVATAM
ET PER ANNOS PLVS MINVS XX VARIIS
IACTATVS CASIBVS, FISCALIS ATQVE
CONSILIARIVS ADMIRALITATIS HISP.
ET INDIARVM CATHOLICÆ REG. MAIEST.
FACTVS HANC VITREAM FENESTRAM
F. C. M. L. AN. DOMINI MDXCIII.

Martinus Æditius Medicus celeberrimus Archiatri munere apud Fredericum ſecundum Daniæ Regem functus eſt. Hic ille eſt, cui Comæ encomium Hadrianus Iunius inſcripſit.

Matthias Boſſemius Academiæ Duacenſis Cancellarius fuit. Cum ejus ſcribit Elogium Aubertus Myræus, hunc in modum loquitur; *Excipiat Galenum Boſſemius, Zelandum Batavus. Cancellarius enim Academiæ Duacenæ proxime ſequutus eſt; qua dignitate nec opinantem, nedum ambientem Philippus II Rex ultro donavit. Domo Amſtelodamus fuit; quæ urbs mercatu potius faciundo, quam ingeniis excolendis dedita, habuit tamen Theologos ut illis temporibus non vulgares, Alardum, Crocum (quem Boſſemius puer audivit) Opmeerum, ceteros. Severus imprimis eccleſiaſticæ ſervator diſciplinæ, & rigidus in Clerum cenſor exſtitit: ut & utilem de domeſtica mulierum ſocietate ſacerdoti vitanda commentarium relinqueret: ſecutus, ut opinor, magnum illud Eccleſiæ lumen D. Auguſtinum, qui ne ſororis quidem contubernium ferret, ne, quæ ad illam ventitarent, mulierculæ, aliquam ignominiæ notam Præſuli inurerent. Piè ac prudenter ſane uterque. Doctor una cum Guilhelmo Alano, poſt Cardinale, Thoma Stapletono Britannis & Iohanne Rubo Hannone renunciatus, annos ipſos XXXIII publicum profitendi munus cum laude ſuſtinuit. Præter multiplicem eruditionem, ſingularem prudentiam, ceteraque ingenij bona, ea fuit in homine jam inde à primis annis pietas, & innocentiſſimorum ſanctitas morum, atque perpetuus tenor vitæ, ut ab omnibus voluptatum illecebris disjunctus, ut priſcorum eccleſiæ patrum eximium in eo ſpecimen eluceret; omneſque, qui ex piorum inſtituto vivere cuperent, ſeſe in illius mores, velut perfectiſſimi exempli, conformarent. Vt felix inprimis urbs Amſtelodamenſis fuerit, quæ omnibus fere temporibus talia eccleſiæ lumina tulerit. Facultates ſuas, quas amplas eſt conſecutus, Baſilicæ B. Amati præpoſitus, alendæ in bonum publicum juventuti teſtamento legavit, Collegio Duaci ſub tutela Deiparæ Virginis inſtituto, & vectigalibus inſtructo.* Huic inſtitutæ à Myræo laudationi unicum hoc addit Iohannes Buzelinus, lib. I. Gallo-Flandriæ cap. XXXVII, cum de illis agit, qui aliunde profecti Duacum doctrina aut virtutibus illuſtraverunt; tantæ hominem puritatis & in corpus acerbitatis fuiſſe, ut nunquam vel famulo permiſerit anguſtum id cubiculum intrare, ubi noctu ſomnum capere ſolebat: aut ne qua ratione in cognitionem eorum veniret inſtrumentorum, quibus membra ſæviter atterebat; aut ut omnem adverſam caſtitati opinionem amoliretur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Iohannes Borius Paſtor Antverpiæ ad Andreæ; cujus nihil invenio, præter honorificum hunc titulum, qui ibidem legitur;

D. O. M.

REVER. D. IOANNES BORIVS AMSTERODAM.
ET CIVIS ET PASTOR
HVIVS DENIQ; ECCLESIÆ IN EADEM FVNCTIONE
PER TREDECIM ANNOS MERITISSIMVS;
PRIDIE QVAM ÆTATIS SVÆ AN. LXIII. ATTINGERET
XIII. KAL. FEBR. CIↃ IↃC IV
OVES SVAS CVM VITA DESERVIT
RESVRRECTIONEM BEATAM HIC EXSPECTANS.

Iacobus ab Heemſkerck vir ſuſceptis in notas ignotaſque regiones navigationibus clariſſimus merito ſuo locum hic meretur. Virtutem ejus, res geſtas, & extrema breviter loquitur Inſcriptio hæc, quam Heroi optime de patria & vita & morte ſua merito Patriæ patres Amſtelodami in nova æde poſuerunt.

HONORI ET ÆTERNITATI.
IACOBO AB HEEMSKERCK
AMSTELODAMENSI.
VIRO FORTISS. ET OPTIME DE PATRIA MERITO.
QVI
POST VARIAS IN NOTAS IGNOTASQVE NAVIGATIONES IN NOVAM ZEMBLAM SVB POLO ARCTICO DVAS IN INDIAM ORIENTALEM VERSVS ANTARCTICVM TOTIDEM INDEQVE OPTIMIS SPOLIIS ANN. 1604.
REVERSVS VICTOR
TANDEM
EXPEDITIONIS MARITIMÆ ADVERSVS HISPAN. PRÆFECTVS EORVNDEM VALIDAM CLASSEM HERCVLEO AVSV AGGRESSVS IN FRETO HERCVLEO SVB IPSA ARCE ET VRBE GIBRALTAR VIII CAL. MAII. ANN. CIↃIↃCVIII. FVDIT AC PROFLIGAVIT.
IPSE IBIDEM
PRO PATRIA STRENVE DIMICANS GLORIOSE OCCVBVIT.
ANIMA COELO GAVDET. CORPVS HOC LOCO IACET.
AVE LECTOR FAMAMQVE VIRI AMA ET VIRTVTEM.
CUIUS ERGO
AB ILLVSSTRISS. ET POTENTISS. FOEDERAT.
PROVIN. BELGIC. ORDINIBVS P. P.
A. M. P.
Vixit Annos XL. Menſes II. Dies XII.'

Heemſkerck die dvveers door 't ijs in 't ijſer dorſte ſtreven,
Liet d'eer an t' land, hier t' lijf, voor Gibralter het leven.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Adrianus Pauwius Medicinæ Doctor, & ejuſdem facultatis in Leydenſi Batavorum Academia Profeſſor celeberrimus, ſcriptiſque editis orbi notus obiit anno præſentis ſæculi vigeſimo & primo.

Amſtelodamum hodie Iↄxxx jugera, & 362 perticas, ingens ſpatium, & quam arctiſſime inſeſſum, complectitnr. In duas partes finditur. Occidua opidi pars *Novum latus*, quæ ad ortum *vetus* appellatur. Amſtela enim fluvius à meridie urbem ingreſſus mediam ſecat. In veteri latere Aedes ſacræ ſunt *Templum vetus*, *D. Olai ſacellum*, *D. Petri*, cœnobia virorum tria, *Fratrum minorum*, *Paulianorum*, & *Tertianorum*, cœnobia Virginum tredecim; In novo latere *Templum novum*, *D. Iacobi Fanum*, tertiumque *de Heylighe Stee*, dictum. Cœnobia quatuor Monialium D. Gertrudis, Luciæ, Beginarum, & Clariſſarum. Verum hæc omnia in alios melioreſque uſus nunc converſa.

Orphanotrophium circa annum 1580 in Luciæ Monaſterio conſtitutum eſt. Orphani fere ſunt numero quingenti. Annuæ horum expenſæ ſexaginta circiter florenorum millia æſtimantur.

D. Georgij ſacellum, *Sint Ioris hof*, leproſorum olim domicilium, nunc civibus ſenio confectis deſtinatum eſt.

Noſocomium eo in loco eſt, in quo *novarum veterumque monialium* cœnobium olim ſtetit.

Gerontocomium è regione capellæ *de heylige ſtede* circa annum 1550 conſtitutum eſt.

Gyrgathus, ſeu mente captorum domus: cujus fundamenta circa annum 1562, jaci cœpta ſunt.

Ergaſterium marium, vulgo *het Tuchthuys*, inſtitutum ad annum 1595, ad compeſcendam planorum inſolentiam. Monaſterium Clariſſarum his uſibus deſtinatum.

Ergaſterium fœminarum, vulgo *het Spinhuys*, Domus netoria anno 1595 exſtructa, in quam introductæ puellæ ſ lures, antea per compita graſſari & vagari ſolitæ. Harum eſt fila lanea conficere, retia contexere, aliaque lanificij genera exercere.

Curia eſt antiquitate & forma ſpectabilis.

Libra huic proxima eſt, opus affabre elaboratum.

Sagittariorum horti, vulgo *de Doelen*, amœniſſimis viridariis ornati. Eſt & Societatis Indicanæ domus, Aula Principis, Admiralitatis, quæ rebus maritimis præeſt, Collegium, Rhetorum ſchola, Chirurgorum auditorium, opera omnia magnifica & ſplendidiſſima. ædes privatorum cum principum aulis comparandæ. Navium ſtationes hic ſunt tutiſſimæ, fora ampliſſima; pontes innumeri: de quibus plura invenies apud Cl. V. Iohannem Iſacium Pontanum; qui notat ob ſolum paludoſum, & non ita ſtabile, non baſilicas modo ac publica ædificia, ſed civium etiam ędes promiſcue non niſi palis funditus ſolo impactis aut exſtrui aut ſubſiſtere ullatenus poſſe. Iudæi, ut de indigenarum aliis ſileam, hic magno numero ſunt, habent Synagogas tres: quarum prima, בית יעקב, id eſt, *domus Iacobi*; altera, בית שלום, id eſt, *domus Pacis*; tertia, בית ישראל, id eſt, *domus Iſraelis* appellatur. Atque ita quidem hodie ſe habet Vrbs iſta, cujus fama longe lateque per omnes orbis partes cum majeſtate ſe diffundit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

fundit. Vt ob opes maximas, populi multitudinem, & mercaturam merito VRBS VRBIVM, imo orbis poſſit nominari. Sed ecce tibi, colophonis loco, Cl. Scriverij Elegiam, qua urbem hanc nuperrime ornatum ivit;

QVæritis Hanſæas inter cur cenſear urbes?
Emporiumque ingens Amſtela nympha ferar?
Cur mea per totum volitent nunc carbaſa mundum?
Cur ſubeat leges Indus uterque meas?
Cernitis Auguſtam qua ſum decorata coronam,
Et nitidum tollo celſa per aſtra caput.
Non hedera, ut vulgo eſt, furioſave ſtemmata jacto,
Auctorem & cauſſas hæc habuere ſuas.
Inconſulta ſuum petulantia Flandrica Regem
Cepit, & innocuo ſanguine tinxit humum.
Hinc genitor movet arma: ſcelus nec linquit inultum,
Liberet ut natum, trux Fredericus adeſt.
Romanæque adſunt aquilæ, atque exercitus omnis:
Itur in excidium, maxima Bruga, tuum
Protinus obſepto migrant commercia portu:
Amſtela tum Sacro digna favore coli.
Senſit captivus, ſenſit Rex liber Yæos
Amſtelioſque ſuo pectora fida Duci.
Quid faciat? jam tum Grudios cum perdere vellet,
Me caput è Batavis tollere juſſit aquis.
Cæſareæque meos illuſtrans luce coronæ,
Tradite ait terris, tradite jura mari.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

GOVDA.

Gouda quando condita. Unde dicta. Telonium de Moerdrecht. Varia ejus Privilegia & immunitates, Principum tabulis expreſſa. Varia Urbis fortuna & caſus. Viri clari. Situs.

GOUDA ſex præcipuarum Hollandiæ urbium ultima ſub manus jam ſe offert. Nomen habet à fluvio præterlabente, *de Gou* vulgo dicto. Ad annum autem partæ ſalutis MCC Goudam urbem ne nomine quidem cognitam fuiſſe, clare ſatis oſtendunt tabulæ Florentij quarti, quibus Renſburgenſe Cœnobium à Telonio Moerdrechtano liberum pronunciavit. Goudæ nulla mentio. Illæ ita ſe habent.

Florentius Comes Hollandiæ univerſis præſentes litteras viſuris, Salutem. Noverit univerſitas veſtra, quod nos omnes homines apud Rinſburch & apud Buecſcoep manentes, qui attingunt Abbatiſſam & conventum dicti Monaſterij de Rijnſburch ab omni exactione Thelonei apud Theloneum noſtrum de Moerdrech de rebus ſuis ſive bonis, quæ deducunt, quibus in uſum & Domus ſuæ proprium uti volunt, abbhinc deinceps duximus eximendos. Si vero aliqua ab hiis bonis deduxerint venalia, voluimus extunc, ut de hiis bonis ad exhibitionem Thelonei debitam ibidem obligentur. Jn cujus rei teſtimonium præſens ſcriptum ſigillo noſtro fecimus communiri. Datum Anno Domini MCCXXIII *feria quinta poſt decollationem beati Iohannis Baptiſtæ.*

Vrbis autem initia ſic exſequitur Reinerus Snoyus, ipſe Goudanus, Rerum Batavic. lib. 7. Sub hoc Florentio „ *nempe Quinto*, anno proxime dicto, (1272) Gouda Hol-„ landiæ urbs condita, ad littus Iſalæ. Quippe propter „ Leydim obſtructo Rheno, quod aliquoties dixi, corrivati „ ſunt ex eo alioſum fluvij Iſala & Laca in Moſam exone-„ rantes. Itaque quum non pateret navigatio, & exitus „ non tam liber in mare eſſet, quam olim, per alveos & foſ-„ ſas flumina circumducta ſunt, atque eò etiam loci, ubi „ nunc urbs, foſſa laborata eſt admodum flexuoſa, propter „ Alphenum Rheno ſe miſcens, quam pendulæ ex ligno, & „ recidentes per tranſverſum cingunt valvæ, ne fluxus Iſalæ „ campos inundet. Tum ſtatio navium indidem creſcere, ac „ exſtrui diverſoria aliquot, quæ ita brevi augeri, ut georgi „

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

» paluſtria exoſi, ſparſimque ante habitantes propter agge-
» rem Iſalæ coirent, & de transferenda eccleſia cogitarent, &
» locus jam mænia poſcere videretur. Dein Comites Bleſen-
» ſes, quorum ditio ea erat, notantes indies habitatorum nu-
» merum ſubvenire, latiori pomærio civitatis in morem mœ-
» nibus ac foſſis fecerunt, ut cernere eſt. Gaudet urbs perpe-
» tuo fluxu atque refluxu Iſalæ aquis mundiſſimis, defecatis
» atque exoptatiſſimis, excoquendæ cerviſiæ aptiſſimis, qua-
» les tota hæc noſtra Regio nec colore, nec ſapore pares ha-
» bet. Argumento eſt, coctores cerealium ſupra trecentos
» ac quinquaginta in ea fuiſſe, potum non modo Hollandiæ,
» verum etiam Zelandiæ, ac potiſſimum Flandriæ, ad vitæ
» alimoniam, ſubminiſtrantes. A comitate vel apud exteros
» commendata eſt, eſtque inprimis in ea, atque omni fere vi-
» cinitate, aëris temperies incredibilis, ut aliis ſæpe numero
» æſtuantibus peſtilentia urbibus, hic non ſit laboratum. Spe-
» cie omnibus grata, licet latiores magis, quam anguſtiores
» ædes urbis peregrinus mirabitur. Nam veram ſimplicita-
» tem cives, prudentiam magiſtratus tueri. Templum habet
» famoſum ob magnitudinem & vitrorum pulchritudinem,
» in quibus haud Apellis artem deſideres. Macellum adeo fa-
» bricatum, ut par hic non reperias, & quod ad urbis decen-
» tiam facit, medio ac latiſſimo triangularis formæ fori ſpa-
» tio Capitolium, ubi quondam palus erat, eleganti ſpecie ad
» conſultandum peropportunum. Circum vero pomæria
» hortos infinitos habes, vernantes floribus, conſitoſque ar-
» boribus varij generis, vere de ſe per urbem fragrantiam
» quandam ſpirantibus.

Anno MCCLXXII, Florentius quintus varias Goudanis immunitates indulſit, quæ iſtis litteris continentur;

Univerſis præſentes litteras inſpecturis, Iohannes miſeratione divina Epiſcopus Trajectenſis, Salutem. Noverint univerſi vidiſſe nos litteras Florentij Comitis, ſigillo ejus communitas, integras, non abolitas, nec aliqua ſui parte vitiatas, quæ conſcriptæ erant in hæc verba.

Florentius Comes Hollandiæ & Zelandiæ notum facimus univerſitati veſtræ, quod ex libera noſtra voluntate, & ſententia Concilij noſtri conceſſimus nobili viro Nicolao Catſio, propter ſingularia officia, quæ nobis præſtitit, & adhuc præſtare conabitur, quod opidanos noſtros in Gouda abhinc deinceps ab omni exactione noſtri telonij, quæ ducunt ſeu deducunt per totam terram noſtram, duximus eximendos. Eadem etiam jura iiſdem indulſimus, quæ habent Leydenſes. Jtem quacunque de re Scabini Goudani judicabunt, quam ipſi non capiunt ad Scabinos Leydenſes ſe conferent, & quicquid ex horum ſententia ſtatuerint ratum habebitur. Porro Goudani in expeditione noſtra quinque viris ſuis ſumtibus ſervire nobis tenebuntur. Jn cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus appenſum eſt. Datum anno MCCLXXII *Martis die poſt S. Margaretæ. Nos Johannes Miſeratione Dei Epiſcopus Trajectenſis in teſtimonium veritatis ſigillum noſtrum litteris appendi feci.*

fecimus anno MCCCXXXV *proximo Iovis die poſt S S. Petri & Paulli.*

Sub Iohanne, Comite Hollandiæ ejus nominis primo, qui obiit anno M CCC, Gouda cum aliis aliquot Hollandiæ civitatibus in Flandrorum poteſtatem devenit. Qua etiam tempeſtate Hollandi omnes ab Iohanne Reneſſio, ſub quo Flandri militabant, capti in arcem Goudanam, quod validiſſima eſſet, conjecti ſunt.

Anno M CCC LIV Iohannes Hannonius, Beaumondtæ Dynaſta de nothorum in bona paterna ſucceſſione diploma hoc indulſit;

Nos Johannes Hannonius, Dominus de Beaumondt, notum omnibus facimus, nos dilectis & fidelibus noſtris opidanis de Gouda conceſſiſſe, & abhinc in æternum concedere, ut nothi omnes, quotquot ibi nunc habitant, aut deinceps habitaturi ſunt, bonorum ſuorum hæreditatem adeant, quaſi juſtis & legitimis nuptiis eſſet prognati, &c. Datum Schoonhoviæ anno 1354.

Idem diploma anno M CCC XCVIII, III Octobr. Albertus Bavarus confirmavit.

Anno M CCC LXXII, Iohannes Bloyſius, Gelriæ Dux, Goudanos ab omnibus in Gelria & Zutphania vectigalibus perſolvendis liberos declaravit. Litteræ ejus ita ſonant.

Nos Iohannes de Bloys, Gratia Dei, Dux Gelriæ, Comes Zutphaniæ, & Machtildis Ducißa Gelriæ, & Comes Zutphaniæ, notum his litteris fieri volumus universis, nos pro favore & affectu noſtro, quem habemus erga dilectos & fideles noſtros opidanos de Gouda, ob ſingularia officia, quæ nobis præſtiterunt, & adhuc præſtare conabuntur, dediſſe illis & conceſſiſſe, ut per omnes noſtras Gelriæ & Zutphaniæ terras à teloniis & vectigalibus ſint immunes in æternum, abſque ulla aut noſtra, aut poſterorum noſtrorum contradictione. Mandamus propterea omnibus Telonariis noſtris, ut præfatos opidanos de Gouda liberos & immunes, teloniis non ſolutis, dimittant. Quod cum fixum firmumque ſervare nobis conſtitutum ſit, ſigillum noſtrum litteris iſtis appendi fecimus Arnhemi, anno 1372, 16 *Martij.*

Circa annum M CCC LXXV, grave incendium Goudam afflixiſſe colligo ex Alberti Bavari litteris; quibus anno M CCC LXXV, die Martij XXIV; tabulas Florentij, quas ſuo loco jam recitavimus, confirmavit. In his renovationis ejus cauſſam aliam non adducit, quam quod Chirographum nupero urbis incendio eſſet abſumtum.

Anno M CCC XCVIII obiit Ioannes Bleſenſium Comitum ultimus, à quo Goudæ Schoonhoviæque Dominia ad Hollandiæ Comites ſunt devoluta; *Sexennium*, inquit Snoius lib. IX, *ante Alberti mortem è vivis excedere abſque ſtirpe N. Comes*

Bleſenſis,

Bleſenſis, Goudæ Schoonhoviæque imperitans, poſtremus Bleſenſium à Iohanne Beaudmondo deſcendentium, ut prædictæ civitates ad Hollandiæ Comitatum tum fuerint devolutæ. Seminarat nothum Iohannem Bleſenſem, equitem auratum, à quo deſcendunt Treſlongij.

Anno M CCCC VII Wilhelmus ſextus Goudanis privilegia pluria conceſſit, quorum potiora iſtis litteris ſunt inſerta;

Wilhelmus Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, Comes Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ, notum facimus univerſis, quod conceſſimus dilectis & fidelibus noſtris oppidanis de Gouda, Ut æternum liberi ſint & immunes ab omnibus fori Heuſdani, & Worichemienſis Vectigalibus, vulgo Marctollen; *Ut Prætori & Senatoribus hujus Urbis liceat levare & extollere exciſas ſuas, quando ipſis conſultum videbitur, & quidquid exinde pecuniæ redundabit, id omne cedet in uſum Civitatis, hac tamen conditione, ut pro collato hoc beneficio quotannis nobis conferant octoginta duos Francicos ſcutatos. Et quia debitum illud, quod debebat illis felicis memoriæ pater meus liberaliter remiſerunt, inſuper concedo ut bona omnia quæ ad forum rerum venalium deferuntur, ab vectigalibus omnibus ſint immunia, ſin autem non vendantur, ſed iterum efferantur debitum vectigal ſolvere teneantur, ſalvo tamen jure, quod nobis competit in equos, quorum duo fora ſolennia quotannis celebrari ſolent. Datum 1 Maji anno 1407.*

Circa annum M CCCC XX durantibus inter Iacobam Bavaram, maritum ejus Iohannem Brabantiæ Ducem, & Philippum Burgundum, motibus, Iacobæ partes Goudani ſequebantur, magnaſque pro ea per univerſam Hollandiam res geſſerunt. Imo Iacobam Goudæ ſedem ſuam toto illo tempore fixiſſe ſatis apud omnes conſtat.

Eodem fere tempore Gouda fortuito incendio pene abſumta eſt. Ejus hiſtoriam ita prodit Snoys lib. X: *Ingruit miſerabile incendium, Goudam in favillas ac cineres redigens, paucis portus, ac circa Cordigeros ſervatis faſtigiis. Ad portam viæ decimæ primum naſci, ventoque adeo creſcere, ut reſtinguere illud volentium, antequam accurriſſent, ædes flamma accenderet. Prodigia ante apparuere. Nam & globos prunarum, imo igneas aves, ni mavis dæmonas, fano ſuperveniſſe audivi ſenes commemorare. Tantæ calamitatis annum hoc carmen complectitur*

Fletibus id didici quia Gouda cremat Ludovici.

Anno M CCCC LXXXI Quadraginta-Viri his tabulis inſtituti.

Nos Maximilianus & Maria, gratia Dei, Duces Auſtriæ, Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, &c. Comites Hollandiæ & Zelandiæ notum facimus univerſis; quod ſignificarint nobis Conſules, Scabini & Senatores opidi Goudani, quomodo felicis memoriæ Philippus,

Dux

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Dux Burgundiæ, Comes Hollandiæ, &c. Avus noſter, donaverit & conceßerit opido Goudano, ad conſervandam civium quietem & tranquillitatem, ut habeat ſemper quadraginta inſignes & opulentos viros, qui quatuor diebus ante diem iſtum, quo mutari magiſtratus ſolet, eligerent & nominarent, plurium ſuffragiis, octodecim inſignes & pacis amantes viros, ex quorum quatuordecim à locumtenente & concilio noſtro ſeptem Scabini eligantur, & ex reliquis quatuor Conſules duo. Sin autem contingeret, aliquem quadraginta illorum mori, aut alio commigrare, alium in ejus locum ſufficere liceret. Quibus non obſtantibus parens noſter quotannis magiſtratum Goudæ pro libitu arbitrioque quotannis inſtituit, & innovavit; cum autem regiones noſtræ ad nos ſucceſſionis jure eſſent devolutæ, ejuſmodi inſtrumentum Goudanis fieri curavimus.

Nos Maria, gratia Dei, Duciſſa Burgundiæ, Comitiſſa Hollandiæ & Zelandiæ in omnium notitiam volumus pervenire; quod viderimus & legerimus privilegia Goudanis à prædeceſſoribus noſtris, & præſertim avo noſtro Philippo de Quadraginta-viris inſtituendis conceſſa, quæ poſtea à dilecto domino & patre noſtro, felicis memoriæ, antiquata ſunt. Adeo ut ab illo retro tempore magnæ turbæ & diſſenſiones in præfato opido noſtro Goudano excitatæ fuerint; & metuendum ſit, ne plures oriantur, niſi occuratur, ad conſervandam quietem & tranquillitatem dictæ Vrbis noſtræ, ipſi pro nobis & poſteris noſtris nunc & in æternum conſenſimus & conceſſimus, conſentimus & concedimus, ut quadraginta illi, qui adhuc ſuperſtites ſunt ex illis, quos inſtituit avus meus, eligant in aliorum, qui aut obierunt aut alio commigrarunt, locum, alios; donec quadrageſimus numerus ſit completus, ut magiſtratum ibi renovent, eligantque viginti duos Viros doctiſſimos, honeſtiſſimos, & maxime pacificos, in Hollandia natos, quamvis octodecim tantum electi hactenus fuerint, & illi tradent aut nobis, aut Concilio noſtro Hollandico octo Viros, annos natos quadraginta, quamvis ſeptem tantum

electi hactenus fuerint; Deinde eidem Civitati noſtræ concedimus, ut non duos tantum, ſed quatuor æternum habeant Conſules, qui eligentur ex octo illis ſelectis ex viginti duobus, & ex reliquis octodecim ſeligentur à nobis aut concilio noſtro ſeptem Scabini annos nati viginti octo. Quadraginta autem illis viris hæc præcipuè cura incumbet, ut omnia recte adminiſtrentur, & ne quid detrimenti capiat Reſpublica. Quod ſi autem contingat aliquem eorum abeſſe aut opidani jure privari, illi qui reliqui ſunt alium in ejus locum ipſi ſufficient. Mandantes Conſiliariis, officiariis & judicibus noſtris, ad quos hæc res ullo modo pertinebit, ut operam dent, ut omnia hæc ſtrictim ſerventur, & nihil contrarium admittatur. Datum Gandavi XXIII Martij anno 1476, ſubſignante Duciſſa in ſuo concilio; præſentibus Duce Clivenſi, Epiſcopo Leodienſi, Duce de Bullion, Adolpho à Cleve & Marcke, Domino in Raveſteyn, Comite de Winceſter, Domino de Gruythuſe, Magiſtro Ioanne à Bomerye, Domino in Wyerre, atque aliis nobilibus.

Jam vero accidit ut poſt datum hoc privilegium Godefridus Claykerſtant Hermanni, Walterus Maes, & alij eorum complices excitatis magnis turbis concitaverint populum adverſus legitimos Magiſtratus ſuos, adeo ut Magiſtratus, ſibi & vitæ ſuæ metuentes, urbe excedere fuerint coacti, relictis præfatis Duciſſæ noſtræ litteris, quas duo illi Godefridus & Walterus Maes cum ſuis complicibus fregere & ſede perforarunt; tantumque à nobis impetrarunt, ut novas litteras ipſis dederimus de aliis Quadraginta-viris creandis, qua ratione factum eſt, ut ipſi ad Magiſtratus promoti ſunt, & tenuerint regimen donec manifeſtata fraude exſilio puniti ſunt, bonis eorum fiſco addictis. Alij autem illi in priſtinas dignitates & honores ſuos ſint reſtituti, qui metuentes ne alij controverſiam ſimilem moverent, humillime à nobis petierunt, ut abolitis litteris, quas rebellibus iſtis dederamus, cætera illa privilegia novis litteris confirmaremus & approbaremus, nos omnibus in concilio noſtro libratis, cum certis & evidentibus teſtimoniis nobis liqueret, jam recitatas litteras datas eſſe à Duciſſa Maria,

illas

illas denuo confirmavimus, approbavimus, confirmamus & approbamus præſertim his litteris, abolitis & antiquatis illis, quas Godefrido Claeykerſtant, & complicibus ejus dederamus, Mandantes, &c. Datum Bruxellæ 10 *Novemb. anno* 1481.

Anno M CCCC LXXXIV Maximilianus & Philippus Auſtriaci juriſdictionem urbani Magiſtratus ſolennibus litteris indultis ad quartulam miliaris extra urbem porrigendam ampliarunt.

Anno M CCCC LXXXVIII Trajectenſes de Gouda capienda conſilium iniere, captique nautæ quatuor, proditionis conſcij, & capite mulctati. Renaldus Brouchuſius, ſpe occupandæ urbis, cum magnis copiis jam ſupervenerat, ſed, re prodita, ſtatim diſceſſit.

Anno M D II Philippus Auſtriacus fora bina, quorum prius menſe Iulio, alterum Bacchanalibus celebratur, indulſit. Quibus anno M D V tertium, Iovis die poſt Dominicam Lætare inſtituendum adjecit.

Goudæ nati ſunt;

Henricus de Gouda, à patria cognomen trahens, ut ſimplicia tunc erant, & aurea, præ noſtris, tempora, ex ordine Eremitarum S. Auguſtini, in Heydelbergenſi Academia claruit circa annum 1435, & ſuo tempore principatum facile obtinuit, ut loquitur Trithemius, qui Theologica quædam ejus opuſcula enumerat.

Guilhelmus Hermannus utriuſq; linguæ peritiſſimus, Æſopi fabellas è Græcia in Latium tranſtulit. Quantus Poëta fuerit, clare loquuntur varia ejus opuſcula, *De Bello Gelro-Germanico*, *Silva odarum*, *D. Hieronis vita & Taſſio* aliaque vorſa oratione elegantiſſimâ contexta, quæ partim in vulgus edita ſunt, partim Lovanij ad S. Martinum aſſervantur. Vſus eſt familiariſſime magno Eraſmo, qui præclarum ipſi elogium adſcribit, inter doctos optimum, inter optimos doctiſſimum appellans.

Magdalius Iacobus Ordinis Dominicani ſcripſit & floruit circa annum 1500, Græcæ & Hebraicæ linguæ cognitione excellens. Præter *Correctorium Bibliorum*, edidit *Compendium Biblicum metricum* verſibus conſtans quinquaginta ſeptem & ducentis.

Iacobus Goudanus ejuſdem ordinis Coloniæ floruit circa annum 1505, ſcriptis nonnullis ſacris famam conſequutus.

Guilhelmus à Gouda Ordinis Minorum claruit ad annum 1504.

Renerus Snoyus Medicus, Philoſophus, & Hiſtoricus inſignis in Bononienſi Italorum Academia ſupremis in Medicina honoribus ornatus eſt. In patriam reverſus ingenij ſui amatorem & admiratorum invenit Adolphum Burgundum, Veræ in Zelandis Toparcham; qui inſigni ipſum liberalitate proſecutus eſt. Ad Chriſtiernum ſecundum Daniæ regem & Anglos legatione functus eſt. Ad patriæ urbis clavum etiam ſedit. Vir fuit ut lingua promtus, ita ſermonis elegantia ſupra ætatem iſtam excultus. Varia tam proſa, quam verſu ſcripſit, ut erat ingenij varij. Præcipuam famam conſequutus eſt libris tredecim Rerum Batavicarum. Vitam cum morte commutavit Goudæ anno 1537. Et hoc ipſi Epitaphium panxit Alardus Amſtelodamus;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Ecquid in omnigenis naturæ dotibus uſquam eſt,
Ingenij præſes quidve Minerva parit,
Quod non ingenio Snoyus, *ſtudioque frequenti*
Prendit, & abſolvit non ſine judicio?
Quicquid habent nitidi divina poëmata cultus,
Exprimit hoc doctis undique carminibus.
Inſtar apis variis ex libris plurima carpſit;
Melleus hinc blando manat ab ore liquor.
Scivit inurbanum lepido ſeponere dicto,
Plus quam civili præditus ingenio.
Reddere perſonæ ſcit convenientia cuique,
Et, quod juſtitiæ eſt, jus dare cuique ſuum.
Omnia Rhetorici tenuit præcepta nitoris,
Aſtrorum motus, comminitque ſitus.
Novit Atlantiaci metiri pondus Olympi,
Quæque ſub ambobus tenditur ora polis.
Quidquid ab expertis medicis aliquando repertum eſt,
In numerato habuit, ſi quis habere poteſt.
Nemo vir hoc merito fuit experientior uno,
Et plures medica nemo levavit ope.
Quidquid in hiſtoriis ſacris, juxtaque profanis
Scriptum eſt, excuſſit, calluit, edidicit.
Abdita ſcripturæ penetrans myſteria ſacræ
Obſcurum verbis explicat omne tribus.
Ornandis ſtudiis natus, natuſque juvandis
Pauperibus, ſummo quos fovet obſequio.
Lætus uti ſemper vixit, ſic lætus obivit,
Quod bene confidit de bonitate Dei.
Ut cinis, ut pulvis, terræque eſt reddita terra,
In cælos rediit ſpiritus, unde venit.

Cornelius à patria ſua *Aurelius* dictus Canonicus Regularium S. Auguſtini in Hemſdonck, prope Dordrechtum, amicis uſus eſt Guilhelmo Heda, Alardo Amſtelodamo, Reinero Snoyo aliiſque. Tantum inter Poëtas nomen habuit, ut Maximilianus imperator, ingenij ejus ſuavitate illectus, ipſi nihil tale exſpectanti per legatum ſuum Stephanum de Cracovia laurum Apollinarem obtulerit. Præter alia, de veteris Bataviæ ſitu libellos duos pro illa ætate elegantiſſimos conſcripſit; in quibus Hollandiam veteris illius Bataviæ partem eſſe contra Gerardum Noviomagum acriter contendit. Quod opuſculum cum aliis nonnullis publici juris fecit Cl. V. Bonaventura Vulcanius. Magni Eraſmi præceptorem fuiſſe, colligi poſſe videtur ex verbis Epiſtolæ Alardi Amſtelodami ad Aurelium anno 1515 ſcriptæ; In qua ita legas; *Eraſmus Baſileæ agit. Miramur omnes quod tui, ſinceriſſimi ſemper amici, & præceptoris nunquam meminit.*

Hermannus Letmatius Sorbonæ Pariſienſis Doctor primarius, deinde Decanus S. Mariæ Trajecti, & Epiſcopi Vicarius fuit. De quo honorificum hoc Eraſmi Roterodami judicium exſtat epiſtolarum lib. XVII, epiſt. ad Nicolaum Everardum; *Hermannus*, inquit, *cum, antequam ſtudium Theologicum*

gicum ingrederetur, feliciter eſſet auſpicatus Græcarum ac bonarum, ut vocant, litterarum notitiam, ita ſe geſſit in hoc curſu Sorbonicæ Theologiæ, ut omnium punctis primas meruerit, idque in ea ſchola, quæ ſine controverſia in hoc ſtudiorum genere ſemper primas tenuit. Neque vero tantum inſtructus eſt argutiis illis, quibus in ſcholis velitantur, nihil conciliorum, nihil hiſtoriarum, nihil veterum Theologorum non excuſſit, atque adeo habet in promtu. Ingenium velox & rapidum, diſcendi aviditas inexplebilis, judicium præſens & expeditum: quod in hoc genere rarum eſt, nihil habet arrogantiæ, nihil bilis, nihil ſupercilij. Audit patienter quoslibet, cedit etiam inferioribus. Et quæ ibi ſequuntur alia. obiit Trajecti anno 1555, ætatis 63, cum annos viginti quinque decanus fuiſſet.

Cornelius Looſius, alias *Callidius*, Canonicus in patria & deinde Vice-preſbyter Capellæ S. Mariæ Bruxellis multa edidit, præſertim Theologica. Contexuit etiam illuſtrium Germaniæ utriuſque ſcriptorum Catalogum. Quæ *de vera & falſa magia* conſcripſerat, retractavit, ut videre potes apud Martinum Delrium Append. 1. ad lib. v, diſquiſit Magicarum.

Theodoricus Gerardus ut & *Ioachimus Martinus Gergorius*, ambo Goudani, aliquot Galeni libros in linguam Latinam tranſtulerunt.

Cornelius Schonæus, Scholæ Harlemenſis moderator, pulcherrimi & elegantiſſimi ingenij poëta fuit; Loquuntur id Comœdiæ ejus ſacræ; quæ *Terentij Chriſtiani* nomine merito præſcriptæ omnium manibus teruntur. Hadrianus Iunius ſimul & Sconæo & patriæ ejus ſuaviſſimum Acroſtichon hoc ſcripſit;

G *ouda auro potior, referens & nomen ab auro,*
O *fficioſa bonis, ſtudiorum ſedula nutrix,*
V *rbs pietatis amans, docilis paciſque modique,*
D *ebita naſcendi tribuit primordia quondam*
A *uſpicio meliore tibi Sconæe: ſed idem*
V *ſuram lucis genitrici rite reponis,*
R *eque vicem reddis meritis: quando genitalem*
B *elle urbem ſcriptis ornas, prodeſſeque curas,*
S *acraque das numeris cum laude adſtricta profanis.*

Petrus Bockenbergius præceptore Paullo Leopardo uſus, Hollandiæ Weſt-Friſięque Ordinum Hiſtoriographus fuit. In quo munere ſuo ſuſtinendo magna diligentia (utinam pari judicio!) uſus eſt. Æmulos multos habuit; & inter eos etiam Ianum Douſam, qui *Tragoræ* nomine non ſemel ipſum perſtringit. Quo jure, alij viderint. Obiit anno 1617, conditus in D. Petri, cum hoc titulo;

DEO OPT. MAX. S.

Quid Fati invidiam queror
Aut multis moror hoſpitem?
Nomen nobile ſi loquar
Paucis omnia dixero:
BOCKENBERGIVS HIC IACET.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

PETRO
BOCKENBERGIO
HISTORIOGRAPHO
HOLLANDIÆ ZELANDIÆQVE
ETC. PIÆ CONIVGIS OFFICIO-
SVS IN MARITVM DOLOR
MONVM. POS.
NATVS GOVDÆ. A. CIↃIↃXLVIII
DENATVS LEYDÆ A. CIↃIↃCXVII
IANVARII DIE XVII
EGRESSVS ANNVM VITÆ LXVIII
NE VITA SIT TRAGOEDIA.

Gouda civitas, inquit Adrianus Romanus in præcipuarum orbis urbium Theatro, eſt populoſa, diveſque; ad Iſalam fluvium poſita: Ædificia habet tum privata, tum publica præcellenti apparatu conſtructa. Peraugustam imprímis & magnificam Eccleſiam, quæ unica in urbe parochialis eſt, & media quaſi urbe tam ampla conſpicitur, ut ſimilem (unica Harlemenſi excepta) non alibi exhibeat Hollandia; magnitudine enim Metropolitanam Colonienſem Eccleſiam aliquot pedum menſura excedit. Cunctis olim ante conflagationem propter amplitudinem & ornatum admirationi erat, habebat altaria LII. Campanariam habet turrim altitudine & pulchritudine præclaram, in qua Campanarum harmonia pro temporum feſtorumque mutatione varia modulatione editur. Hanc autem tam conſpicuam & amplam Eccleſiam jam ſecundum rabidus deformavit Vulcanus. Anno nimirum 1438. incendio, quod oppido cum Eccleſia erat commune. Et anno ſalutis 1582. fulmine tacta, ſola periit, locis circumquaque vicinis planè illæſis. Poſt hoc autem poſtremum incendium, ſolis oppidanorum impenſis & oblatione annua, quæ dedicationis die (Dominica poſt Decollationis S. Ioannis) penditur, priſtino nitori & magnitudini reſtituta, intus elegantiſſimis præſtantiſſimiſque feneſtris vitreis depictis excellens, quales vix alibi conſpiciuntur ſimiles; Quas quidem feneſtras oppidani funeſta etiam ætate, quæ in picturas & ſtatuas immaniter ſævit, annua reſtauratione conſervant. In foro triangulari, Eccleſiæ parochiali vicino, admodum amplo, ubi ter annuatim celebres habentur nundinæ, inſularis & civica domus eſt, quæ raro ad normam ſecto lapide eleganter conſtructa, cui amplus in circumferentia locus relinquitur: habetque hac prætoria ſua ſic juri dicendo & Senatuſconſultis habendis diſtincta ornata triclinia, ut pulchiori ordine conſtitui non poſſent. Sub ipſa civica domo (aſcenditur enim ad eam per gradus lapideos, eleganti circumferentia ornatos, ubi edicta & plebiſcita publicantur) in poſteriori parte macellum eſt publicum, elegantiſſimis fornicibus ornatum, in anteriori armamentarium. Tanta inſuper aëris ſalubritate Goudani fruuntur, ut rarò peſtis graventur contagio, cui quidem rei aquæ perpetuò fluxu atque refluxu remeantes,

non mediocriter conducunt. Fluviis etiam duobus decorantur, Iſala nimirum, & eo, qui urbi cognominis eſt, Gouda: Quorum alter Lunæ motibus & Oceani æſtu agitatur: alter, ubi mœnia primum latis & peramplis foſſis munivit, ad mare uſque placidiſſimo tractu expatiatur, ac variam negociatoribus commoditatem præbet. Magno etjam civium quæſtu cereviſia Goudæ conficitur, qua Hollandicum ſolum neque colore neque ſapore alibi præſtantiorem propinat. Ad bellorum denique violentiam propulſandam & obſidionem avertendam ſitu & opere Gouda commendatur, cùm majoribus machinis nullus ad eam detur acceſſus, niſi temporibus hybernis, & ne tum quidem ſine magno periculo in duobus tantum aggeribus, quibus munitiſſima ſingulis propugnacula jamdudum objiciuntur. Quin & cataractarum ſolutione viginti quatuor horarum tempore vicinos agros latos inundare poteſt. Quò accedit, quod foveis maximæ & profunditatis & latitudinis cingatur, quæ ab expugnationis metu eam liberant. In his autem foveis juſtæ magnitudinis glebæ ex imo aſcendere, atque in ſuperficie natare videntur. Nunc Clariſſimi Scriverij Elegiam audiamus, quibus ſextam Hollandiæ Metropolim laudavit.

P. SCRIVERII

GOVDA.

Sanguinis Hollandi proceres ſimul Urbis & Arcis
Auctores poſſem, GAVDA, *referre tuos.*
Bleſiacos poſſem Comites, cincreſque beatos,
Publica marmoreo quos tegit urna ſinu.
Has poſſem exequias; prægreſſaque tempora longè,
Cùm pius in pretio Catzius eſſet Eques.
Cùm vicina tibi Princeps concederet arva,
Allueretque tuos Jſala vaſta lares.
Poſſem ædes ſacras, molemque extollere templi,
Hortoſque & læti jugera multa ſoli.
Poſſem mercatus, portoria, priſtina jura,
Sic ut Moerdrechto nulla fuiſſe putes.
Æmula Leidanis poßem velamina telis,
Poſſem & Apellæâ ſtamina texta manu.
Sed nec textores, nec opes, nec cætera curo:
Jnclita Doctorum nomina pluris erunt.

Jn

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

In quibus à patrio dictus CORNELIVS auro,
Clarus Apollineis, Cæſare dante, comis.
Quique Palatinas quondam illuſtrabat Athenas
HENRIC VS, ſacri gloria prima chori.
In quibus æterni cultor GVLIELMVS Eraſmi;
Ille, inquam, HERMANNVS GAVDA poëta tuus.
In quibus & SNOIVS, quo Conſule Braſsica gaudet,
Patriciuſque ſui civis adorat opus.
Burgundus Medicum, Legatum Scotia vidit,
Hiſtoricum Batavi: cætera turba Sophum.
Hoc unum doleo, hunc fœdis erroribus auſum
Hiſtoriam patriæ commaculare ſuæ:
Adde, quod hæc Tragoras non corrigit, indice Vero,
Omnia ſed Lemis turbidiora facit.
Sed quò, quò raperis Scriveri candide? credas
Parciùs hæc doctis objicienda viris.
Hæc fanti adſiſtit Cythereïa Mater, aitque
An neſcis luſus deliciaſque meas?
Quæ ſeptemgemino ſit Margaris edita Monte
Neſcis, Hollando quæ Dea nata ſolo?
Vulnificos neſcis oculos, & dulce venenum,
Blanda quod Eutrapeli circuit ora mei?
Diû quidem inoffenſus noſtris fuit ille ſagittis,
Margaridis tandem captus amore ſuæ,
Succubuit Puero: Dominæ nec turpe putavit
Vincula in ingenuo pectore ſerva pati.
Quid juvat auſteri flammas prohibere parentes:
Provenit, heu, cœco majus ab igne malum.
Tunc furta, & taciti meditantur gaudia lecti.
Non permiſſus amor fanda nefanda patrat.
Sic Roterodamum Gaudâ juvat ire relictâ,
Sic tuus externâ natus ERASMVS humo;
Gauda, tuus: ſed quem totus deſiderat Orbis,
Varronemque ſuum quem pia Roma vocat.
Verùm alia heîc ſacrâ digniſſima nomina cedro
Plura licet poteram, non meliora darem.
Vnice tu Schonæe veni, redivive Terenti;
O quantum eſt uti munere poſſe Dei!
Vſus tam PVLCHRO niſi PRÆCEPTORE fuiſſem,
Non faveat numeris Pulcher Apollo meus.

ROTTERODAMVM.

R*Otterodamum unde dictum. Rotheri fabula exploſa. Quando privilegia municipalia adeptum. Varia ejus fortuna, proſpera & adverſa. Viri illuſtres.*

SEx majores Hollandiæ urbes & majorem hujus operis partem jam abſolvimus. reliquas levi calamo perſequemur. Rotterodamum inter minores Hollandiæ Auſtralis urbes prima, nomen habet à Rotta fluvio, cui adjacet. Nomina enim urbium in *Dam*, *ſtein*, & *mont* deſinentia ad fluvios ſita eſſe notant Topographi. A Rothero Gallorum Rege, quem floruiſſe volunt ad annum ſalutis quadrageſimum ſecundum, conditam & denominatam illi tradunt, quibus nihil prius ſemper fuit, quam ad urbium antiquitatem probandam ejuſmodi heroas comminiſci, qui nunquam nati fuerunt. Quos alibi refutaſſe memini. Quando & à quo exſtructa ſit non tradunt noſtri annales. Vero ſimilimum nobis videtur, ad Rottam flumen, nautas, piſcatores, mercatores atque alios ejus generis homines, ob loci commoditatem, conſediſſe; & magno horum confluxu, in hanc, quam nunc habet, faciem urbem iſtam excreviſſe. Sed hæc dubia. Sequentia magis certa.

Circa annum MCCLXX Rotterodamum vallo munitum, & privilegiis municipalibus ornatum eſt.

Anno MCCCIII Rotterodamum à Flandris captum eſt.

Anno MCCCCXVII Iohannes Bavarus etiam Rotterodamum per inſidias occupavit.

Anno MCCCCXLIV Monaſterium fratrum Ordinis Dominici hic exſtructum eſt.

Anno MCCCCXLIX majoris eccleſiæ turris fundata eſt.

Anno MCCCCLXXXII Monaſterium ſororum Ordinis Carmelitici Rotterodami inſtitutum eſt; ut tabulæ iſtæ loquuntur.

In nomine Domini Amen. Univerſis & ſingulis hoc præſens publicum inſtrumentum inſpecturis pateat evidenter, Quod anno à nativitate ejuſdem MCCCC*octogeſimo ſecundo, Indictione decima quinta, Menſis Novembris die viceſima quinta, hora prima, vel quaſi Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & Domini noſtri, Domini Sixti, divina providentia papæ quarti anno duodecimo, In mei Notarij publici teſtiumque infra*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1


ROTTERDAM
1. Engelſche kerck
2. S.Laurents kerck
3. De Huy bregghe
4. Koperen Erasmus
5. Het Stadt-huys
6. De Viſch markt,
7. De Borße
8. De Hooſt Poort
Pedes Geometrici
360 720 1080
DE MERWE

ſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum præſentia perſonaliter conſtitutæ religioſæ ac devotæ perſonæ Agatha filia Iohannis, mater ſive rectrix, Aef filia Walteri ſubrectrix, & Maria filia Iſbrandi de Haerlem ſorores profeſſæ, Vrſula filia Iacobi, Theodrica filia Alberti, Eems filia Henrici, Eliſabeth Petri, & Magdalena Theodrici, inveſtitæ, Anna filia Henrici, Maria filia Gijſberti, & Fidis Iohannis adhuc pro tunc nondum inveſtitæ cujuſdam novæ plantationis ſive conventus ſororum Ordinis Carmelitarum Rotterodamenſis Trajectenſis Dyœceſis, ſalubriter cupientes & ſummopere deſiderantes ſub brachiis ſanctæ matris eccleſiæ, & cum ſubſidiis contra quaſcunque perturbationes aut pravas ſuggeſtiones confoveri, defendi pariter & tueri. Quapropter tam pro ſe, quam etiam pro ſucceſſoribus futuris humiliter in Chriſto ſupplicaverunt venerabili ac religioſo patri Magiſtro Alberto filio Johannis de Haerlem S. Theologiæ Profeſſori eximio, ut & tamquam in hac præſenti cauſſa Vicario reverendi Domini Magiſtri Provincialis Domini provinciæ Alemaniæ inferioris dicti Ordinis Carmelitarum, ut ipſe eas tunc & in antea præmemoratas levare & earum ſucceſſores præfati conventus Rotterodamenſis ſub tuitione ac regula & ordine beatæ & glorioſæ Virginis Mariæ de monte Carmeli cum omnibus & ſingulis privilegiis & indultis eidem ordini quomodolibet conceſſis benivole recipere, admittere & acceptare dignaretur. Quibus quidem ſupplicationibus, tamquam juſtis & rationi conſonis, prædictus Magiſter Albertus quodammodo inclinatus auctoritate reverendi Domini Magiſtri Provincialis prælibati ſibi deſuper ut apparuit litteratorie commiſſa prætactum conventum una cum ſororibus ejuſdem in quantum in eo fuerit ſub tuitione ac defenſione nec non regula & ordine præſcriptis in Dei nomine acceptavit, recepit & admiſit realiter & cum effectu, ſub talibus tamen conditionibus adjectis, primo videlicet, quod tres primæ ſorores de conventu Harlemenſi pronunciatæ erunt, huic de cætero conventui Rotterodamenſi prædicto incorporatæ ac principaliores, & quodammodo rectrices ejuſdem conventus, ſecundo poſſunt omnes ſorores promentionatæ unanimiter prout conſenſerunt ibidem quod erant omnino contentæ cum eiſdem privilegiis, indultis & conditionibus ex parte dicti ordinis habitis & receptis ac quomodolibet vevendis & recipiendis, veluti & quemadmodum in conventu ſororum Harlemenſium ejuſdem ordinis; promittenteſque ſolenni ſtipulatione ad manus mei NotarI ſubſcripti ſub pœna inobedientiæ nihil in contrarium unquam attentare aut quoquo modo contra facere, ſed ſe hujuſmodi ſororibus dicti conventus

Harlemenſis totaliter in ſingulis conformare debere ſaltem ad ea, quæ ibi debite fiunt ac etiam dimittuntur: tertio quales procurationes ſæpe dicti conventus Rotterodamenſis occaſione debitorum ſuorum qualemcunque obſervabunt cæteros conventus ejuſdem ordinis ob omnibus ſuis debitis & poſteritatis penitus indemnes & immunes: de ipſo cautionem ſufficientem congruo tempore ipſis præſtando ac deſuper diſponendo. Acta ſunt hæc in Camera anteriore Confeſſorum conventus jam dicti, ſub anno, indictione, menſe, die, hora, & Pontificatu, quibus ſupra, præſentibus ibidem providis & honeſtis viris Hugone F. Iacobi Ruſch, & Gerone Alberti Laicis & Oppidanis Rotterodamenſibus.

Anno MCCCCLXXXVIII, extorres Hoexij, duce Franciſco Brederodio, Roterodamum occupaverunt; civibus, pacta vitæ fortunarumque ſuarum incolumitate, ſe dedentibus.

Anno MDLXVI grave incendium, vietoris negligentia exortum, ventique violentia auctum plus quam nongentas ædes, cum navibus aliquot, abſumſit.

Circa idem illud tempus Rotterodamenſes magnas cum Woerdenſibus res geſſere, ut libro nono his verbis indicat Reynerus Snoyus. *Mea ætate, qui annum vitæ quintum & trigeſimum ago, vidi nos Trajectino bello fuiſſe impeditos, ſumptuoſiore que diuturniore, nec ita multo poſt Woerdenos cum Roterodamis conflixiſſe. Quibus in bellis civilis ſanguinis quantum ſit fuſum nemo mecum non cognovit, multi etiam nunc lugent.*

Rotterodami nati ſunt

Arnoldus de Rotterodamis floruit circa annum CIↃ CCCCXXIV. Varia ſcripſit. Quorum præcipuum opus illud, quod, teſte Valerio Andrea, Lovanij ad S. Martinum aſſervatur, Tomis II diſtinctum, & *Vaticani* titulo inſcriptum. Vbi de ſeptem mundi ætatibus, & rebus toto illo tempore per orbem geſtis fuſe agit. In hujus operis initio totum vitæ ſi æ curſum breviter ſic exponit. *Anno* CIↃ CCCC XXIV *circa feſtum Mariæ Magdalenæ per me Arnoldum de Hollandia, de Rotterdam, Decretorum Doctorem, in Viridi Valle profeſſum Canonicorum Regularium Ord. in ſylva Zoniæ, prope Bruxellam, ſcripſi & complevi, & perſonaliter copulavi ex diverſis libris & diverſis Hiſtoriographis, quos vidi & audivi in Italia, tam Bononiæ, quam Paduę, dum eram ibidem ſtudens.*

Magnus *Deſiderius Eraſmus Roterodamus*. Magnum dixi; nam qui eum minorem facere niſi ſunt, hoc tam immaturo judicio ſe ipſos ivere depreſſum. Conceptus Goudæ, Roterodami natus eſt anno 1467. Patrem habuit Gerardum Sevenbergenſem, matrem Margaretam, Petri Medici filiam. Pater, cui uxorem ducere per parentes non licebat, ſacris initiatus eſt; tantæque in dicendis concionibus facundiæ fuiſſe perhibetur, ut Praet vulgò nominaretur. Deſiderius Eraſmus prima ſtudiorum tyrocinia Trajecti, & deinde Daventriæ egit. Parentibus mortuis Canonicis regularibus in Syon prope Delfos in diſciplinam traditur. Vnde in Steynenſe ejus ordinis prope Goudam cœnobium conceſſit; ubi præter humaniorum litterarum, quas ſub Cornelio

Aurelio gnaviter proſequebatur, pingendi artem etiam addidicit. Imago Chriſti crucifixi, ab Eraſmo depicta, olim in Cornelij Muſij Delfenſis Muſæo videbatur, cum hac ſubſcriptione:

Hæc Deſiderius, ne ſpernas, pinxit Eraſmus,
Olim in Steynæo quando latebat agro.

Mox curſu ſtudiorum abſoluto, ſcriptiſque in vulgus editis tantam eruditionis & virtutis famam eſt conſecutus, ut à Regibus & Principibus in Germaniam, Italiam, Angliam, aliaſque Europæ regiones magnis præmiis ſit evocatus. Eruditionis & diligentiæ fuit inexhauſtæ. Tantum doctiſſimorum librorum condidit; ut merito de ipſo, quod olim de Togatorum Doctiſſimo, dici poſſit; tantum eum ſcripſiſſe ut nihil videatur potuiſſe legere, tantum legiſſe ut nihil videatur potuiſſe ſcribere. Sed continere me non poſſum
quin Franciſci Irenici elogium ex lib. 2 cap. 38, Germaniæ
» Exegeſeos petitum his attexam. Vtriuſque linguæ ducatus
» Eraſmo procul omni dubio conſenſu eruditorum delatus
» eſt, quem virtute dicendi, in quâ eminentiſſimus eſt, pauci
» priſcorum ſuperaverunt. Tot enim in uno illo viro diſcipli-
» narum divitiæ, & ſingulari huic tot ſcientiarum ſpecies ex-
» ſuperant, quot diverſæ hominibus diverſis conceſſæ fue-
» runt, ut plures homines unus Eraſmus, ob pluralitatem cu-
» rarum, ſubiiſſe videatur. Et quod longe pulcherrimum eſt,
» nullius diſciplinæ præſtantia, ob felicitatem alterius, in illo
» inclinatur, nec quod uni impenditur, alteri derogatur. Ve-
» rum pari ſemper trutina libratum per ſe unumquodque, ac
» ſi homini ſingulari contigiſſet, valet, ac meretur. Inter
recentiores paucos continet ille acceſſores, pauciores ,,
τῶν ὁμόφρονας, pauciſſimos aut nullos ſuperiores. Facul- ,,
tatem ille, quam pauci attigerunt, arripuit, fuci omnis ,,
impatientem, ac profuſioris lenocinij penitus negligen- ,,
tem. Verum adeo liberam, expolitam, adeo abſolutam, ,,
ut hæc ſemper ſuo tenore profluens, ſuo curſu nitatur, ac ,,
feſtivitate ejus in lectoris animum deſcendens, oppugnan- ,,
tes ducat, commoveat. Hujus numeri ſemper ſibi ſimiles, ,,
pares ac integri provehuntur, lectorem invitant, invita- ,,
tum detinent, detentum æterno vinculo ſibi devincunt. ,,
Stylus vero ejus eſt tam effuſus, candidus, luculentus, ita ,,
proprius, ut κατὰ ὀνοματοποιΐαν cuilibet materiæ verba adeo ,,
accommodet, ita cuilibet rei ſuam reddat dignitatem, ,,
ut ad fingendam orationi venerem, nemo magis aptior, ,,
nemo promtior eo habeatur. Ego puerorum ingeniis ,,
tunc precium affuturum putarem, & ſi veneri Eraſmico ,,
traderentur, penituſque dederentur, ut ad quæcunque ,,
ſtudia alenda comptiores efficerentur. Tanta enim in ,,
Eraſmo meo, immo veſtro, eminentia virtus oratoria ,,
ſurgit, ut tam in foro, quam ludis litterariis probaretur, ,,
nec juvenum nec ſenum ingenia formidaret. Eraſmus, ,,
à Maria Hungarorum regina in Brabantiam evocatus, anno 1536 magno publici egregij damno vitam cum morte commutavit, annos natus 70. Nemini eruditorum epitaphia plura ſcripta ſunt, quam iſti. Vitam ejus Beatus Rhenanus, ſcriptorum ſyllabum Conradus Coclenius & Hadrianus Barlandus, vorſa illa, hic prorſa oratione, conſignarunt. Monumentum poſitum ipſi Baſileæ, & ſtatua ærea Rotterodami in foro; cum hac inſcriptione.

ERASMVS. NATVS
ROTERODAMI
OCTOB. XXVIII.
ANNO M. IV^C. LXVII
OBIIT BASILEÆ
XII IVLII. ANNO
M. D. XXXVI.

Ædes etiam, in quibus primam lucem aſpexit, in eadem urbe adhuc videntur. In harum fronte ita legas:

ÆDIBVS HIS ORTVS MVNDVM DECORAVIT
ERASMVS
ARTIBVS INGENVIS, RELIGIONE, FIDE.

In dit huys is gheboren
Eraſmus vermaert,
Die Godts Woordt uytverkooren
Ons wel heeft verklaert.

EN. ESTA. CASA. ES. NASCIDO
ERASMO. THEOLOGO. CELIBERADO
POR. DOCTRINA. SENNALADO. PVRA
FEE. NOS. A. REVELADO.

Epitaphium ejus hoc legitur Baſileæ.

CHRISTO SERVATORI S.

DES. ERASMO ROTTERODAMO
VIRO

OMNIBVS MODIS MAXIMO, CVIVS INCOMPARABILEM IN OMNI DISCIPLINARVM GENERE ERVDITIONEM PARI CONIVNCTAM PRVDENTIA POSTERI ET ADMIRABVNTVR ET PRÆDICABVNT; BONIFACIVS AMERBACHIVS, HIE. FROBENIVS, NIC. EPISCOPIVS HÆREDES ET NVNCVPATI SVPREMÆ SVÆ VOLVNTATIS VINDICES, PATRONO OPTIMO NON MEMORIÆ, QVAM IMMORTALEM SIBI EDITIS LVCVBRATIONIBVS COMPARAVIT, IIS TANTISPER DVM ORBIS TERRARVM STABIT SVPERFVTVRO AC ERVDITIS VBIQVE GENTIVM COLLOQVVTVRO, SED CORPORIS MORTALIS QVO RECONDITVM SIT ERGO HOC SAXVM POSVERE.

MORTVVS EST 4. EIDVS IVL.
IAM SEPTVAGENARIVS ANN. A CHRISTO NATO
M. D. XXXVI.

Guiliel-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Guilielmus Dyemenus natus eſt Rotterodami anno 1508, nobili è Gelris familia oriundus. Lovanij litteris humanioribus haud leviter imbutus, Iuriſque ſtudium præcipue amplexus à Iuris Baccalaureis Collegij illius Decanus creatus eſt. Mox, poſt alias Europæ Academias luſtratas, Aurelias in Galliam ſe contulit. Vbi Doctor juris creatus in patriam denuo reverſus eſt, Machliniæque cauſſarum patronum aliquamdiu egit. Donec à Carolo V Cæſare in ſuprema veteris Trajecti curia Senator, parvæque, quam appellant, Rotæ Præſes creatus eſt. Quo munere dum annos 48 fungitur, ex hac vita ad cœleſtem commigravit, anno 1583, ad v Idus Novembris. Nemo in Iuriſprudentiæ aditis extricandis promtior, nemo in difficultatibus enodandis facilior. Memoria, judicio, ingenio prope divinis; ut ſcripta ejus ab Arnoldo filio in vulgus edita & adhuc edenda loquuntur.

Rotterodamum Emporium hodie eſt non contemnendum, ad Moſam amnem loco commodiſſimo ſitum. Tantæ amplitudinis eſt, ut CXIIV jugera & CCCCXXXV perticas jam complectatur. Ædes publicæ & privatæ elegantiſſimæ habentur. Mercatu, & cereviſiæ coctura jam inprimis floret. Fora quæ ſingulis ſeptimanis hic celebrantur, frequentiora ſunt, quam annua aliorum.

GORI-



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

GORICHEMVM.

GOrichemum à quo & quando conditum. Unde nominatum. Proſpera & adverſa ejus fortuna. Viri docti.

GORICHEMVM à Iohanne Arckelienſium Dynaſtarum, quorum peculium fuit, octavo conditum eſt, anno 1230, ut verbis iſtis narrat Iohannes Leydenſis: *Igitur prope Arckel erat iſtis diebus quoddam firmum præſidium pertinens ad Iohannem octavum Dominum de Arckel. Circa quod præſidium morabantur quidam piſcatores, eò quod fluvius Merweda cœpit ibi fluere & defluere propter inundationem fluviorum Moſæ & Wachalæ; qui Wachala apud Tielam, Gelriæ opidum, reſtructus fuit, ne antiquum curſum in Longa, dicta Linghen de cætero haberet: ſed poſtmodum profundiore & majore alveo, verſus Bommeliam ſe derivando, in ſuperiore & inferiore Inſulę Bommelanæ parte Moſam allambit & amplectitur. Et quia piſcatores illi prope Arckel degentes dicebantur miſeri piſcatores, Theutonice* Ghorkens (hinc de hominibus pauperrimis hodieque adhuc dici ſolet, *gor en dor:*) *ideo opidum poſtea dicebatur Ghorkum, nunc vero Gorichem. Tunc igitur Dominus de Arckel præcepit villanis in Wolfaria, domos proprias infringere, & adiutorio ſuo eas circa prædictum præſidium in modum civitatis locare. Et præſidium illud mutatum conſacratumque fuit in domum Dei, ſive in eccleſiam parochialem; & adducta ſunt omnia ornamenta cum imaginibus eccleſiæ de Wolfaria in eamdem eccleſiam de Gorichem, quod opidum idem Dominus de Arckel muravit. Inſuper & ædificavit in orientali parte ejuſdem novelli oppidi fortiſſimum caſtrum totius Dominij de Arckel, in quo deinceps ipſe & ſui ſucceſſores, Domini de Arckel, moram faciebant.*

Circa annum MCCCIII Iohannes Brabantiæ Dux Gorichemum expugnavit.

Anno MCCCLXXXVIII tota pene urbs fortuito incendio conflagravit.

Ædes ſacra anno MCCCXCVIII condita, in Parochialem erecta eſt anno MCCCCII.

Anno MCCCCIII graviſſimum inter Iohannem Arckelium & Albertum Bavarum exortum eſt bellum. Arckelius Hollandiæ quæſtor, adminiſtrationis ſuæ rationem principi dare pertinaciter renuebat. Cujus ea de cauſſa iram in ſe concitavit; adeo ut bellum ipſi indiceretur, Haeſtrechta, Vliſta aliiſque per Hollandiam pagis, qui imperio ejus ſuberant, fiſco adſcriptis. Ægerrimo iſta animo Arckelius tulit, & Oudewateram, ſed fruſtra, per inſidias oppugnare aggreſſus eſt. Gyſenburgum, Ablaſſerdamum, aliaque Hollandiæ Auſtralis loca incendit. Quo item tempore &

Oo Gui-

Guilielmo Alberti filio, apud Philippum cognomento Audacem, Burgundiæ Ducem, tunc agenti, litteris bellum denunciavit. Quibus lectis, cujuſvis etiam ignavi eſſe bella indicere, at finire non niſi victoris arbitrio integrum eſſe, placide reſpondit. Sed tamen evocatis undique copiis, facta in Arckelienſem Agrum irruptione, quidquid extra opida munitionum aut caſtrorum eſſet, facile exſcidit. Inter hæc Arckelius, vindictæ avidus, Neoportum invaſit, & flammis abſumſit. Triennio poſt Albertus, aſſiduis utrinque excurſionibus fatigatus, obſeſſo Gorichemo finem bello impoſuit. Ipſe cum filio ad ſeptentrionem caſtra poſuit; Adolphus, Clivenſium Comes, cui Trajectenſium copiæ ſe conjunxerant, orientem inſedit; reliqui ex Zelandia, Friſia, Gelria, Iuliaco, aliiſque oris evocati alias partes inſedere. Tormentorum ac machinarum omne genus quatiendis muris urbi admovebatur. Gorichemienſes urbe egreſſi caſtra Zelandorum magna animi contentione invaſere. Vbi ingenti ſtrage edita Florentium Borſalium, Nicolaum Remmerſwalium, Philippum Everingium, alioſque belli duces, præter gregariorum militum copiam longe maximam, captivos in urbem abduxere. Nec aliter poſt Clivenſes copias cæciderunt, Walravo Brederodio, Ægidio Scengio, Hugone Poſtio, aliiſque pluribus captis. Hæc dum aguntur Iohannes, Electus Leodienſis, Alberti filius, omnem ad reconciliandos animos operam impendit; tantumque effecit, ut Alberto urbem cum exercitu ingreſſo, Arckelius admiſſi veniam ſupplex oraret, & vexillum ducis ex arce, in obtentæ victoriæ ſignum, per totum diem propenderet. Sed paullo poſt, anno nempe MCCCCVIII, Guilhelmo ejus nominis ſexto ad Hollandiæ gubernacula admoto, pax iterum rupta eſt. Guilielmus Iſendorius, auctore Iohanne Arckelio, Woudrichemum per inſidias occupatum incendit, bonis omnibus civium direptis. Comes vindictæ avidus junctis Friderici Trajectenſium Antiſtitis copiis, Gaſparnum, Hagheſteynium, Everſteynium aliaſque arces plures expugnavit, & funditus evertit. Gorichemij cum, agris circumjectis vaſtatis, omnium pene rerum inopia laborarent, quo loco & periculo res ſuæ eſſent probe intelligentes, abdicato Iohanni Arckelio, cui delicti veniam nunquam conceſſurum ſe Comes juraverat, imperio, Guilhelmo Arckelio, Iohannis filio, pacis quietiſque publicæ ſtudioſo ſummam rei tradidere. Hic urbem ingreſſus ſtatim omnes à patre ſuo in dignitatibus conſtitutos ordine movit. Hærebat interea in Gelria Iohannes Arckelius, rerum omnium ignarus; cui reverſo Gorichemienſes, obſeratis portis, omnem aditum præcluſere. Sed haud ita longe poſt amicorum opera effectum eſt, ut pater & filius reconciliarentur. Quo intellecto Gorichemienſes, vitæ fortuniſque ſuis metuentes, nec patrem nec filium intra urbem recipere voluerunt, Wilhelmo Comiti imperio omni oblato. Hic urbem quingentorum militum præſidio inſtruxit, eique Philippum Dorpium Equitem præfecit. Quod indignè admodum Guilhelmus Arckelius accepit; qui intempeſtæ noctis tenebris uſus, incautos vigiles oppreſſit, & urbe potitus eſt. Sed arcem obſidere parantem, Guilhelmus lectiſſima militum manu terga vertere ſtatim coëgit. Et Renaldus, Gelrorum Comes, Avunculus ejus, opem ipſi mox tulit, caſtris ad Dalerium propter aggeres factis. Ibi cum aliquamdiu hæſiſſet Iohannes Arckelius, quod imparem ſe ſuſtinendis Hollandorum viribus videret, Rera'do

Gori-

Gorichemum tradidit, nunquam à Gelriæ Ducatu divellendam. Guilhelmus quippe Arckelius Renaldi, cujus filiam Iohannes Arckelius pater in uxorem olim duxerat, quod proles non haberet, unicus hæres futurus erat. Atque exinde graviſſima inter Hollandos Gelroſque bella exorta, Donec anno MCCCCXII pax utrinque certis conditionibus accepta eſt; nempe ut Renaldus Gorichemum, Woudrichemum, totamq; adeo Arkeliorum ditionem, probante hoc Guilhelmo Arckelio, Hollandiæ Comiti Guilhelmo traderet; Comes autem Renaldo, pro damno, & ſumtibus bello profuſis, centum Francicarum coronarum millia conferret. Sed Hollandiæ Comes Iohannem Arckelium huic pacto obſtrepentem prope Bruxellam captum Goudæ primum, dein Zevenbergæ in vincula conjecit. Haud longe poſt Wilhelmus Comes arcem Gorichemienſem funditus exſcidit; novamque elegantiſſimi operis commodiore loco, ad Merwedæ ripam excitari curavit, quæ ipſa anno MDLXXVIII everſa eſt. Stetit eo loco, quo Telonariæ ædes anno MDXCVIII exſtructæ hodi que videntur.

Anno MCCCCXVII Cabeliavij aliquot optimates, pręcipue Iohannes Arckelius & Egmondanus, Dordracenſium inprimis copiis niſi, inſtigante Iohanne Bavaro, qui Iacobæ bellum jam indixerat, Gorichemum expugnarunt. Quod ubi Iacoba cognovit, claſſe haud contemnenda inſtructa, & Walravo Brederodio militiæ præfecto, in arcem Gorichemienſem, quæ expugnata nondum eat, ſe dedit, & prœlio cum Arckelio longe acerrimo commiſſo, victoriam reportavit. Cabeljaviorum mille, interque eos Iohannes Arckelius, Comes Wernenburgius, Princeps Milendornius, Batenburgius, Dominus Proiæ, Dominus Buræ, Henricus Arckelius nothus, Otto Gellicomus, Guilhelmus Appeldornius, Iohannes Oyenus, Arnoldus Herlaus, aliique cecidere. Iacobæ Victoriam Walravl Brederodij mors funeſtam fecit.

Anno MCCCCXIX Iohannes Bavarus Gorichemum, totumque Arckelienſem diſtrictum poſſedit. Poſt mortem autem ejus, quæ incidit in annum MCCCCXXIV, vidua ejus Eliſabetha Luxenburgenſium Dux. At vero anno MCCCCXLVII Iacobus Abcoudius, Puttenæ & Sryæ Dynaſta, præfuit. Quo ſine liberis defuncto, ad Hollandiæ Comitatum totum id devolutum eſt. Sed Philippus Burgundus Iohanni Lanoyo, quem Hollandiæ præfecerat, iterum ad vitam poſſidendum conceſſit. Deinde ad Carolum Charloſium, Philippi Burgundi filium, devenit; qui anno MCCCCLXIV, patri ſuo exoſus, una cum conjuge ſua Iſabella Borbonia in arce Gorichemienſi, quam pene collapſam reſtituit, & turribus duabus adjectis longe ampliorem reddidit, vitæ ſedem fecit. Erat ipſi in animo pontem è lapidibus trans Moſam ſeu Merwedam ab Arce ſua, uſque ad tractum Altenatenſem exſtruere; quod tam magnificum & ſtupendum opus, poſtquam in gratiam patris reverſus alio conceſſit, non perfecit.

Gorichemum patriam agnoſcunt

Henricus de Gorrichem vulgò dictus, Theologiæ Doctor & Vicecancellarius Colonienſis ac Philoſophus inſignis vixit ad annum CIↃCCCCIX. Scripſit plurima, quorum nonnulla typis exarata, cætera cum blattis hic & alibi in Belgio colluctantur.

Guilielmus Eſtius è nobili arcis Eſtiæ & Pikiæ Dynaſtarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

familia ortus genus, quod à majoribus acceperat, rara quadam eruditionis cum ſumma prudentiæ & modeſtiæ fama haud parum illuſtravit: Prima ſtudiorum tyrocinia ſub Georgio Macropedio Trajecti egit; reliquum ſtudiorum curſum Lovanij feliciter proſecutus. Iam decem illic annos in Falconis Gymnaſio Ariſtotelis libros explicaverat, ſummumque apicem Theologiæ Doctor renuntiatus attigerat, & Pontificio Adriani Sexti ſeminario præfuerat; cum Duacum eſt evocatus, ut Regij Theologorum Phuteuterij curam capeſſeret, ac de rebus divinis è publico ſuggeſtu diſputaret. Hunc utrumque laborem annos triginta ſic ſuſtinuit, ut ſapientiæ vis, morum ſuavitas, virtutis ſplendor admirabilem omnibus charumque fecerint; quod elogium totidem verbis ipſi adſcribit Iohannes Buzelinus. D. Petri Præpoſitus & eo nomine Duacenſis univerſitatis Cancellarius ſalutatus eſt. Quo omni tempore ea ingenij ſui elaboravit monumenta, quibus famam nominis ſui æternam eſt conſecutus. Vt iconi ejus merito hoc Epigramma ſit adjunctum;

Quicunque effigiem Guilielmi conſpicis ESTI,
ESTI, qui una fuit gloria Theologôn:
Relligio, virtus, doctrina, modeſtia morum,
Hæc uno obtutu conſpicienda patent.

Defunctus eſt anno CIↃIↃCXIII, in D. Petri conditus. Hoc epitaphio ejus manibus parentavit Andreas Hoyus eloquentiæ in Duacenſium Academia Profeſſor;

Patria Gorcomium eſt; qui me eduxere parentes
Hic ſtirpe Eſtiades, Pikias illa fuit.
Sumere ab his licuit mihi vitæ exemplar honeſtæ;
Tota ſtetit priſca pro pietate domus.
Trajectum, antiquis Rheni contermina ripis,
Muſarum ingenuis artibus erudiit.
Lovanium in Sophiæ Stagiritidis ardua duxit,
Et titulo ornavit duplice Theologum.
Ad Cathedram & Regimen Schola me Catuaca vocavit,
Æde Petri geſſi munia Præpoſiti.
Ter denis Spartam geminam, haud inglorius, annis
Doctor, uti & Præſes, Regius excolui.
Doctrinæ ingeniique mei monumenta relinquo,
Unde mihi, invitâ morte, perennet honos.

Franco Eſtius ex eadem, ut videtur familia, poëta fuit inſignis.

Thomas Erpenius natus eſt Gorichemi anno 1574. Vir Orientalium linguarum Hebraicæ, Chaldaicæ, Arabicæ, Syriacæ, Æthiopicæ, Perſicæ & Turcicæ ad miraculum & Orientalium Regulorum ſtuporem peritus. Litteras ejus Arabicè ſcriptas Marocenſium Rex ob elegantiam tanti fecit, ut inter Cymelia ſua adſervaret. Tantum certe & typis & libris Arabicis elegantiſſimis effecit, ut fatalis Arabicæ linguæ inſtaurator per orbem Chriſtianum audiat. Certe dum in vivis eſſet, non ſemel à principibus Hiſpaniæ aliiſque, ad quos fama ejus jam pervenerat, magnis præmiis evocatus eſt, ad ea explicanda, quæ nemo capiebat. Diligentia & induſtria incredibili fuit; quibus rara quædam ingenij

ingenij facilitas, & morum ſuavitas accedebat. Quo nomine Ioſepho Scaligero, Iſaaco Caſaubono, Philippo Mornæo aliiſque primis ſæculi viris acceptiſſimus vixit. Obiit Leydæ in flore ætatis anno 1624 cum magno Academiæ, in qua earum, quas diximus, linguarum Profeſſorem egerat, luctu. Conditus eſt in D. Petri; ubi ejus & poſteritatis memoriæ cippus iſte excitatus eſt;

THOMÆ ERPENIO

VIRO IN OMNI GENERE LITTERARVM EXIMIO, ORIENTAL. LINGVARVM PERITISS. EARVMDEMQVE IN ALMA BATAVORVM ACADEMIA PROFESSORI LONGE PRÆSTANTISSIMO, LIBRISQVE SVIS ET ARABICIS TYPIS CLARO, VITÆ INTEGRITATE, PIETATE, PROBITATE, MODESTIA, MORVMQVE SVAVITATE, INSIGNI, ANN. CIↃ IↃ LXXIV. III EIDVS SEPTEMB. GORCOMII IN BATAVIS BONO EGREGII PVBLICI NATO, EIVSQVE INCOMPARABILI DAMNO LVGDVNI BATAVORVM IN FLORE (HEV!) DENATO, ANN. CIↃ IↃC XXIV.

IACOBA BVYESIA


AMPLISS. ET. INTEGERRIMI HOLLANDICÆ CVRIÆ SENATORIS IOHANNIS BVYESII MONACHODAMENSIS ICti. FILIA OPTIMO ET BENE MERENTI CONIVGI CVM QVO OCTENNIVM SINE QVERELA VIXIT, TRIVM EX EO LIBERVM PARENS CONTRA VOTVM MOESTISSIMA POSVIT.

Vale, vale, dulciſſime. — *Sit tibi terra levis.*

HOMO BVLLA. — RVIT HORA.

Cives Gorichemienſes opes ſuas omnes præcipue Lingæ fluvio debent. Cum enim univerſa Bataviæ inſula rerum omnium copiam præſtet, ſuperior tamen frumento ſementique faciendo aptior, quia ſolum non tam uliginoſum aut paludibus fœdum, ut in inferiori, quorum omnium fructus ſive ij è frumento, lacte, volatilium omnis generis, ferarum anatum immenſa captura, ſive è piſcibus fluviatilibus proveniant, Gorichemum per Lingam amnem, incredibili indies copia, ac maximè Lunæ diebus venum deferuntur; indeq; majoribus onerariis per univerſam Hollandiam, Brabantiam, Gelriam circumjectaſque regiones longiſſime deferuntur, & avidiſſime expetuntur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1


SCHIEDAM
1. 't Stadt huys 2. De Marckt 3. De Kerck
4. Bagyn hoff 5. Hooch ſtraet 6. 't Gaſthuys
7. De Sout Keetens 8. De Haven
9. Overſchieſche Poort 10. Ketel Poort
11. Vlaerdinger Poort 12. 't Spuye
De Schie
Matenes Dyck
Het Nieuwe Werck
Pedes Geometrici
240 480 720

SCIEDAMVM.

SCiedamum unde dictum. Antiquitas ejus. Balivatus de Scye. Res geſtæ. S. Lyduit. Viri clari.

SCIEDAMVM nomen habet à Scia amne. *Officium de Scye* nominatur in diplomate Florentij quinti anno MCCLXXXII. In quo inter alia legitur;

Nos communicato conſilio ſapientum conceſſimus, ut homines noſtri, manentes in talibus officiis, videlicet in Zevenhuſen, Bleeſwiich, Rotte, Scye in officio Domini Aldewini de Roderiſen, Domini Arneſti de Wluen, &c.

Et poſt nonnulla de Aggerum reparatione inſerta, hæc verba habentur;

Ex hoc privilegio ſolum officium noſtrum de Scye utilitatem & commodum reportabit.

Diploma ipſum integrum, ex Renſburgenſis cœnobij archivis à nobis deſcriptum, cap. IV, pag. 39, hujus operis exſtat.

Sciedamenſes *Rivi incolæ* fere appellantur in principum litteris. Eorum privilegia veterrima haberi intelligo, quæ tamen ad manus meas non venere.

Anno MCCCCXXXVII S. Liduina, ſeu Lyduit magnæ in ſuſtinendis doloribus patientiæ fama Sciedami dicitur floruiſſe. Albertus & Iſabella, Belgarum Principes, oſſa ejus Bruxellam transferenda curaverunt. De qua tranſlatione exſtat diploma Matthiæ Hovij, Machlinienſis Archiepiſcopi, legiturque apud Aubertum Myręum pag. 189, Faſtorum Belgicorum & Burgundicorum. Hujus Liduinæ res geſtas Iohannes Brugmannus, à Surio editus, ut & Thomas Kempenſis memoriæ tradiderunt.

Anno MCCCCLXXXVIII milites, qui Sciedami in præſidiis conſtituti erant, cum Franciſco Brederodio (Georgium appellant alij) acriter conflixere, & ad poſtremum victoriam reportarunt. Quo facto Leydenſes, Harlemenſes, Amſtelodamenſes & Delfenſes, ſub ſuis quique ſignis, Sciedami in unum convenere. qui, neſcio qua de cauſa, prędidiariis militibus exoſi admodum fuere. Quamobrem non ſemel tumultuatum. Præſidiarij Rotterodamenſibus diem dixere, urbem ipſis tradituri. Et ædes iſtas, in quibus Harlemenſes agebant, magno impetu jam invaſerant, ſed Guilhelmo

helmo Boſhuſio cum aliis ſuppetias Harlemenſibus ferente, plures eorum cæſi ſunt, & nonnulli, effractis portis, Rotterodamum ſe contulere, Rotterodamenſes incuſantes, quod ad ſtatum diem præſto non fuiſſent.

Scydamum patriam agnoſcunt

Gerardus Scidamus, cujus meminit Trithemius, à quo tamen *Stredamus* corrupte nominatur. Cartuſianus Prior domus Apoſtolorum juxta Leodium fuit, poſtquam domui S. Gertrudis in patria præfuiſſet. Varia in Theologia ſcripſit, quorum ſyllabum habes apud eumdem Trithemium. Vitam cum morte commutavit anno cIↄccccxLIII.

Martinus de Scydam de *ſpiritualibus Aſcenſionibus* librum conſignavit, quem manu deſcriptum legere eſt in publica Trajectenſium Bibliotheca. Tempus, quo floruit, ignoratur.

Sciedamum hodie piſcatura floret. Incolæ texendis verriculis reticuliſque in alecarium negotium operam intendunt. Non tam magnitudine, quam elegantia commendatur. Arces Mateneſiam, Riviercam, Spierinckhouckam, Hodenpyliam, Spangiam, Steenhuſiam aliaſque, quarum rudera tantum exſtant, olim ſub ſe Sciedamum complectebatur.

SCHOON-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

SCHOONHOVIA.

Schoonhovia. Unde dicta. Bella curia. Belloportus. Res ejus geſtæ. Incendium, & Viri docti.

SCHOONHOVIA ab hortorum pulchritudine & amœnitate nomen conſecuta eſt. *Schoon* pulchrum, *hof* hortum Belgis notat. Cum autem *hof* aula etiam & palatium principis nominetur, urbem hanc *Bellæ curię* nomine Heda indigitavit. *Schoonhavia* olim à portus commoditate appellabatur, ut in chronicis ſcriptis & editis paullo vetuſtioribus exaratum eſt. Quæ cauſſa eſt cur *Belloportum* eam Cornelius Aurelius paſſim appellet.

Circa annum MCCXXXII Florentius quartus, in gratiam Ottonis tertij, Epiſcoporum Trajectenſium trigeſimi & ſexti, aggerem ad Leckam flumen ab Ameronga uſque ad Schoonhoviam, magno incolarum & agrorum bono, fieri curavit.

Circa annum MCCCXII Iohannes Hannonius, frater Guilhelmi Comitis Hollandiæ cognomento Boni, arcem Schoonhovienſem vetuſtate temporum collapſam in meliorem formam reſtituit. Sic ſenſim Schoonhovia crevit, accedentibus vicini opidi Neoporti, quod à Gelris exciſum eſt, ruinis.


Anno MCCCLIX Iohannes Arckelius, Epiſcoporum Trajectenſium quadrageſimus ſeptimus, collectis ingentibus copiis ad Schoonhoviam caſtra movit. Schoonhovienſes, adventu ejus percepto, obviam procedentes, manus conſeruere. Sed adverſa Schoonhovienſibus illa pugna fuit; è quibus Giſbertus de Langerack, Herpertus de Lieſvelt, Conradus de Ooſterwijck equites, & civium plures capti ſunt.

Anno MCCCLXXV tota Schoonhovia cum Carmelitarum cœnobio, quod anno 1330 exſtructum erat, gravi incendio funditus abſumta eſt. Teſtatur id verſiculus iſte leoninus tunc temporis conſcriptus;

Shoonhoven inſignis cum clauſtro devorat ignis.

Circa annum MCCCCXXIV Iacoba, in Hannonia tunc temporis agens, intellecta Iohannis Brabanti per univerſam Hollandiam celebrata inauguratione, Florentio Kijfhoeckio in mandatis dedit, Schoonhoviam quamprimum oppugnaret. Favebant Iacobæ civium præcipui, qui urbem libenti animo tradidere. Omnis in expugnanda arce diffi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

cultas poſita. Præerant huic Wilhelmus Coulſter & Albertus Beyling, cum quinquaginta aliis militiæ expertis viris. Hi ea omnia, quæ defendendæ arci facere videbantur, alacri & expedito animo præſtitere. Sed tandem, rerum omnium inopia compulſi, vitæ & fortunarum ſuarum incolumitatem pacti, arcem tradidere. Solus Albertus Beyling veniam non impetravit. Hic ad Iacobam delatus, priuſquam extremo ſupplicio afficeretur, menſtruum ſibi ad viſendos amicos curandaque bona ſua ſpatium accepit. Statoque jam tempore exacto Iacobæ ſe ſtitit; & vivens adhuc ſpiranſque terra obruebatur. Digna res poſterorum & annalium memoria. Habent hic Hollandi, quem cum Regulo componant, cujus volontarium ad hoſtes reditum, cum jam crucis ſupplicium paratum ſibi ſciret, tantopere commendant Romani ſcriptores. Anno proxime ſecuto Iohannes Brabantiæ Dux Hollandiam ingreſſus Iacobum Gaeſbeckium cum copiis ad obſidendam Schoonhoviam, quæ recipere eum detrectabat, miſit. Sed menſibus vixdum ſex in ea obſidione peractis non ſine ignominia diſceſſit. Magno enim Schoonhovienſes animo fuere, ſæpius in caſtra hoſtium erumpentes. Magnam, inter alia, Rotterodamenſibus cladem inflixere; quorum vexillum, captivoſque plurimos in urbem abduxerunt.

Anno M CCCC LXXXVIII Iohannes Naeldvicenus, Eques, Hoexiorum partibus addictus inſtructa mille militum claſſe Schoonhoviam oppugnaturus contendit. Sed tam alacri à civibus animo exceptus eſt, ut relicta magna navium & militum claſſe terga vertere ſit coactus.

Schoonhoviam patriam ſuam habent

Iohannes de Schoonhovia inclaruit circa annum 1413, quo ipſo ſermonem in Capitulo Windeſhemenſi, de Monaſteriis Regularium in Brabntia eidem conjungendis, cum maximo omnium applauſu habuit. Vixit juxta Bruxellam in Viridi Valle Regularium S. Auguſtini Subprior. Plurima ſcripto conſignavit, quæ manu exarata ſparſim habentur.

Chriſtophorus Longolius, de cujus tamen patria, non aliter atq; Homeri, variis eruditorũ ſententiis certatur. Nos Schoonhoviæ gloriam hanc eripi non patimur, magni illius Deſiderij Eraſmi auctoritatem ſecuti. Ecce tibi hæc verba ejus ex epiſtola ad Damianum Goes Luſitanum, & non dubitabis. *Longolium*, ait, *qui totus incubuit, ut Ciceronem exprimeret, hinc Galliæ ſibi vindicant, hinc Machlinia ſibi aſſerit, cum revera fuerit purus putus Hollandiæ, prognatus à patre Hollando, in celebri Hollandiæ opido, cui pulchritudo hortorum Schoonhoviæ nomen dedit. Hic ne quis mihi protinus obſtrepat, quod dico, patruus ipſius* Petrus Longolius, *vir apprime doctus, mihi narravit. Non arbitratus ſum committendum, ut hoc decoris Hollandiæ præriperetur.* Longolio autem raræ elegantię ingenium fuit, abſtruſa rerum cognitione excultum. Orator ſuorum temporum diſertiſſimus fuit. Nemo poſt litteras renatas ſine affectatione ſcripſit elegantius; ut Tullianæ eloquentiæ Suada merito poſſit appellari. Teſtantur id orationes ejus & epiſtolæ, quibus nihil magis excultum. Omnem pene Europam peragravit; omnibus maximis ſæculi viris acceptus. Galliarum enim Rex magnis eum ad ſe præmiis evocavit. Sed in Patavina Italorum Academia ſedem fixit, ubi cum ſummo omnium luctu, in flore ætatis flos iſte elegantiarum anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſecundo, ex mortalis vitæ ſtatione egreſſus eſt. Ecce tibi Epitaphium ejus à Petro Bembo poſitum, quod ad Franciſcanos ibi ſpectatur:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

CHRISTOPHORO LONGOLIO BELGÆ

ROMANAM CIVITATEM PROPTER EXIMIAM IN STVDIIS LITTERARVM PRÆSTANTIAM ADEPTO, SVMMO INGENIO, INCREDIBILI INDVSTRIA, OMNIBVS BONIS ARTIBVS PRÆDITO, SVPRA IUVENTÆ ANNOS, IN QVA EXSTINCTVS EST, MAGNO CVM ITALIÆ DOLORE, CVI INGENTEM SPEM SVI NOMINIS EXCITAVERAT

PETRVS BEMBVS
AMICO ET HOSPITI
POSVIT.

TE IUVENEM RAPVERE DEÆ, FATALIA NENTES
STAMINA, CVM SCIRENT MORITVRVM TEMPORE NVLLO,
LONGOLI TIBI SI CANOS SENIVMQVE DEDISSENT.

Schoonhovia in ſiniſtra Leccæ ripa poſita eſt. Salmones hic magno numero capiuntur. Ex amnibus etiam, quorum unus urbem mediam ſecat, alter proxime attingit, magna ſubvectionis commoditate floret.

BRIELA.

Briela unde nominata. Helium Rheni oſtium. Briela Zelandiæ olim adſcripta. Burchgraviorum Zelandiæ ex Voornenſi familia catalogus. Res fortiter foris & domi geſtæ. Viri eruditi.

BRIELA nomen habet ab Rheni oſtio, *Helium* dicto. Quaſi dicas *Breheele*, quod Latine ſonat *Latum Helium*. Quæ conjectura eſt Philippi Cluveri cap. II. de Rheni alveis, & eorum accolis. Et hic Moſæ alveum fuiſſe, qui Helium nominatur, neutiquam debet dubitari. Eſt in proximo pagus, IV. M. P. Briela diſtans, *Helvoet dictus*; ut certum ſit huic inde nomen adhæſiſſe. *Brillis* nominatur in diplomatis antiquis. Zelandiæ olim adſcribebatur. Cujus rei argumento illud fuerit, quod Dynaſtæ Voornenſis tractus, cujus caput eſt Briela, Zelandiæ Burchgravij fere fuerint. Libet horum catalogum attexere, qualis ex actis monumentiſque publicis potuit haberi.

Pelgromius, frater Florentij tertij primus Voornæ Dynaſta memoratur ad annum 1140.

Florentius Voornius, Pelgromij ex filia nepos, anno 1162.

Hugo Voornius obiit anno 1248.

Henricus Voornius anno 1252.

Albertus Voornius, Henrici filius.

Albertus Voornius obiit anno 1303.

Gerardus Voornius, Alberti filius.

Gerardus Voornius mortuus anno 1337. Donec *Machtildis Voornia*, Gerardi filia, quæ Diderico Valckenburgio nupſerat, anno 1372 vitam cum morte commutavit. A quo tempore Briela cum univerſo Voornenſi diſtrictu ad Hollandiæ Comites eſt devoluta.

Burchgraviorum autem Zelandiæ munus aliud non erat, quam Caſtellanorum ſeu Advocatorum, de quibus fuſius alibi diximus.


Anno MCCCL Machtildis Voornia, de qua jam diximus, varias Brielanis immunitates indulſit. Et haud ita longe poſt ampliſſimum octo Canonicorum collegium Brielæ inſtituit.

Circa annum MCCCCXVII Iohannes Bavarus Brielam cepit; è qua, impoſitis præſidiariis militibus, per univerſam Hollandiam fœde graſſabatur.

Anno MCCCCLXXII pyratæ aliquot, mercatorum habitu Brielam ingreſſi Hagæ-Comitis capite mulctati ſunt.

Anno MDLXXII Brielæ prima Batavicæ libertatis jacta ſunt fundamenta. Hiſpanis enim crudelius in Belgas agen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

tibus præter magnatum præcipuos urbes pleræque nutabant. Guilhelmus Lumæus è nobiliſſima Marchenſium Comitum familia ortus, ex auctoritate Guilhelmi Auraici, navium aliquot claſſem in Douverano Anglorum portu adornavit. Hic, velificatione facta, dum cum ventis colluctatur, Brielam appulit, cum Enchuſam petere in animo haberet. Ibi, capto è re nata conſilio, portam urbis, quæ ad auſtrum eſt, aggreſſus, ignem eidem ſubjecit. Cives repentino illo incendio non mediocriter commoti, & quid agerent ignari, domi ſe continuere. Milites inter hæc appoſitis ad mœnia ſcalis per portam, quæ ad ſeptentrionem poſita eſt, urbem invaſere. Albanus, hac Lumæi irruptione nunciata, riſiſſe dicitur, quod hoſtes à ſe vinci ſolitos contemneret, & duas tantum Hiſpanorum cohortes, quæ Trajecti agebant, in Voornenſem Inſulam dimiſit. Sed Hiſpani tantâ à noſtris alacritate excepti ſunt, ut non niſi de fuga cogitarent. Boſſutius etiam Comes in eamdem Inſulam, cum decem Hiſpanorum cohortibus tranſmiſit. Sed incenſis, quibus trajecerat, navibus in eas anguſtias redactus eſt, ut aditu paſſim præcluſo, objectum flumen nando tranſmittere cogeretur. Hujus tam præclari facinoris duces fuerunt, Guilielmus Lumæus, Guilielmus Bloyſius, Dominus Treſlonius, Toparcha Suetenſis, Lancelotus Bredenrodius, Bartholomæus Entenſis, Iacobus Schoonwallius, Anthonius Vtenhovius, Iacobus Cabeljau, Anthonius Reynius, Nicolaus Ruychhaverius, Iacobus Hennebartius, quorum nomina digna nobis viſa ſunt, quæ à ſera poſteritate cognoſcantur.

Brielæ natus eſt

Cornelius Neoſtadius Sevenhoviæ & Coppelij Toparcha. Iuris in Leydenſi Academia anteceſſor, & deinde ſupremæ Hollandiæ Zelandiæque Curiæ Senator, ſimulque Leydenſis Academiæ Curator fuit. Vir ingenio, prudentia, & auctoritate præcipuus. De Feudis Hollandicis, & pactis Antenuptialibus doctiſſima quæque ſcripto conſignavit. Vivere deſiit Hagæ-Comitis anno cIↄ Iↄ c VI.

Briela, ad Moſæ, ut jam diximus, oſtium ſedet, Voornenſis tractus Metropolis. Mercatu & navigationibus præcipue floret, populo ſatis inſtructa. Aërem paullo habet graviorem. Ager circumjectus fertiliſſimus, optimique tritici feraciſſimus.

S. GER-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

S. GERTRVDIS-BERGA.

S. Gertrudis-Berga unde dicta. S. Gertrudis. Varia ejus fortuna. Viri clariores.

S. GERTRVDIS-BERGA, opidum vetuſtiſſimum, nomen habet à Gertrude, Pipini Landeni aulæ Galliarum Regis præfecti filia, quæ obiit anno DCLXIV. Vixit illa & claruit in hoc tractu, ut ex antiquiſſimo Hilſewydis Stryę prope Dordrechtum Comitis diplomate, anno DCCCXCIX in Abbatia Thoornana prope Waerdam in Campinia dato, clarè ſatis comparet. Verba propter antiquitatem adſcribi hic merentur:

Attuli ad dictam Eccleſiam allodium meum, quod in terra mea de Strien glorioſus Rex Zuendebolchus olim perdonaverat, inprimis ipſam Eccleſiam de Strien, quæ eſt conſecrata in honorem Mariæ Virginis, Montem Littoris, ubi beatiſſima Geertrudis corporaliter converſata eſt, & Cellam habet à beato Amando conſecratam, villam Baerle, cum Altari in honorem Sancti Confeſſoris Remigij à me constructo, Caſtellum Sprundelheim cum omni integritate, ſicut ſitum eſt ſuper fluvium Merbata.

Sed quid ſibi hic vult *Mons Littoris?* Quod ut intelligatur ſciendum eſt, *Berch* veteri Belgarum lingua littus, portum atque adeo commodam navibus ſtationem denotaſſe. Cujus ſignificationis vis hodieque eſt in verbo *Bergen*, quod tueri, & adverſus vim externam defendere deſignat.

Mons *Patrimonium ipſius electæ Virginis* appellatur in litteris Ottonis ſecundi ejus nominis Imperatoris;

In pago Schaldis, villa Bergis cum tribus inſulis, Sprange, Waterange, Steninge, cum Eccleſia & Telonio, in pago Stria, in patrimonio ipſius electæ Virginis Mons cum appendicis Tremella, nunc Drumelen, Sturnahem, & omni piſcatura ad Moſam, &c.

Anno milleſimo trecenteſimo vigeſimo primo, Arx Gertrudenbergenſis, cui Caſtellanus ſemper præfuit, à fundamentis excitata eſt.

Anno milleſimo quadragenteſimo vigeſimo, vigilia S. Lamberti, durante inter Iohannem Bavarum & Iacobam bello,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

bello, urbs tota cum eccleſia conflagravit. Hujus incendij cauſſam ejuſmodi produnt annales. Arci Gertrudenbergenſi Didericus Merewedanus, Hollandiæ auſtralis Balivus, præerat. Hic cives ſuos admonuit, ut à Dordracenſibus ſibi caverent, qui Iohannis Bavari partes ſecuti non niſi de occupanda urbe cogitabant. Factum autem eſt, ut Dordracenſes urbem cum magnis copiis ſint aggreſſi, dedi eam ſibi poſtulantes. Annuere poſtulatis improvidi cives. Didericus tamen Merewedanus intra arcem ſuam ſe continuit, quam adverſus obſidentium vim, magno animo tuebatur. Miſſilem etiam ignem intra urbem jaculatus eſt, quo tota abſumta eſt. Ad poſtremum, vitæ & bonorum incolumitate pacta, ipſis tradere coactus eſt.

Anno milleſimo quadragenteſimo octogeſimo nono, Iohannes Naeldvicenus cum magna militum manu urbem aggreſſus, cum nemo reſiſteret, cepit. Qui tamen paullo poſt exceſſit.

Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio, S. Gertrudis Berga a Poyetto, Auriaci legato occupata eſt, iis, qui in præſidio erant, interfectis.

Anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo nono, Præſidiarij Geertrudebergenſium milites, nequidquam obſtante Mauritio Auriaco, qui cum copiis eò ſe contulerat, urbem Parmenſium Duci fœdo exemplo tradidere.

Anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo tertio, idem Mauritius Gertrudisbergam haud ita magno opere obſedit, & die S. Iohannis, in ipſo hoſtium conſpectu, ſub poteſtatem ſuam redegit.

Nati hic ſunt

Adrianus N. Cartuſiani Ordinis, S. Theologiæ Doctor, &, ut loquitur Pet. Sutor. lib. 11, vitæ Cartuſ. humanis quoque litteris nobiliter doctus, vitæque ſanctimonia ſpectabilis. De utriuſque Fortunæ Remediis libros duos, pro illa ætate, qua litteras ſcire barbaries erat, doctiſſimos edidit. Floruit circa annum milleſimum quadragenteſimum ſeptuageſimum primum.

Nicolaus Buſius Hilvarenbecani Canonicorum Collegij Decanus ſelectiores ſermonis Latini Phraſes Plantinianis typis exaratas dedit.

S. Gertrudis-Berga Arauſionenſium Principum peculium eſt, caſtellis & operibus contra externam vim munitiſſima. Brabantici quidem ſoli, ſed Hollandiæ Comitis armis Hollandiæ adſcripta. Solebant olim Brabanti Duces ſuos inauguraturi, ſolenni juramento ſtipulari, ut, quo id fieri poſſet modo, eam ſub poteſtatem ſuam redigerent; Hollandi è contra, ſui ut retinerent. Eſt & feliciſſima hic ſalmonum & clupearum captura.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

P. L.


In

S. GERTRVDIS-BERGAM

EPIGRAMMA.

QVa Sacræ ſurgunt nova propugnacula Bergæ,
Ad Moſæ refluas prætereuntis aquas:
Naſſodium ſedes, & meta furentis Iberi,
Objicit infeſtis ſe furibunda lupis.
Illa iſta eſt patriis nimium dilecta Batavis,
Apta ſalo, portu commoda, Marte potens.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

VVILHELMOSTADVM.

VVIlhelmoſtadum quando conditum.

Reliqua Brabantiæ contermina, ſed tamen in fundo Hollandico opida poſita una opera perſequemur. Wilhelmoſtadum in Ruygenhillenſi tractu, qui anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto exaggeratus dicitur, à Wilhelmo Auriaco, ad inhibendos hoſtium è Brabantia inſultus, exſtrui cœptum eſt. Dominium ejus Wilhelmo, Principi de publici egregij bono optime merito, tradiderunt. Aër hic graviſſimus eſt; quod anno ſuperiore Cives Leydenſes experti; quorum plerique morbo graviſſimo contacti vitam cum morte commutarunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1


CLVNDERA.

Clundera Niuwervaert olim dicta. Telonium Comitis. Incendium. Incrementum.

IN eadem Ruygenhillenſi inſula Clundera opidum eſt, ſeu, quod malim, municipium. Niuwervaert olim dicebatur, Strienſium Dynaſtarum peculium. Navigationibus olim florebat; quamobrem & Telonium ampliſſimum ab Hollandię Comitibus olim conſtitutum hic fuit. Sed decreſcere & quaſi perire cœpit Soutenwaerdæ inundatione, quæ incidit in annum ſalutis 1421. Vt dato alibi aditu Niuwervaerdam prӕternavigare opus amplius non haberent. Cui malo alterum acceſſit, incendium graviſſimum ad annum 1420. quo tota pene abſumta eſt. Sed Princeps Auriacus, ad quem dominium ejus loci pervenerat, anno 1583 vallo cingi curavit; cui poſtea opera & caſtella munitiſſima fuere adjuncta. Templum nunc habet & campanile elegantiſſimum.

HEVSDA.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

HEVSDA.

HEuſda quando condita. Heuſdanorum Dynaſtarum genealogia. Heuſda Brabantiæ Duci vendita, quomodo ad Hollandiæ Comites pervenerit. Varia ejus fortuna. Viri clari.

HEVSDA opidum antiquiſſimum, ſi habenda fides Iohanni Leydenſi; qui lib. IV, cap. XII ad annum DCC LXXXIX, hanc ejus originem profert:
„ Robertus, *inquit*,
„ Comes Teyſterbandiæ habuit pro armis, tamquam junior filius Clivenſis, ſcutum
„ blavium cum octo aureis ſceptris. Comitatus autem Tey-
„ ſterbandus continebat in ſe Bommelrewaerdt, Tyebre-
„ waert, & terras de Arkel, de Hoeſden, de Haltena, de
„ Vianen, de Culenburch, Buren, uſque ad antiquam Mo-
„ ſam. Accepitque Robertus Comitatum Teyſterbandiæ
„ de manu fratris ſui Ludowici in feodum, & illa portio ſibi
„ debebatur. Et Comes Clivenſis ſuſcepit illam terram in
„ feodum ab Epiſcopo Trajectenſi. Iſte Robertus de Clivis
„ Comes Teyſterbandiæ duxit in uxorem Kunegundam fi-
„ liam Comitis de Hoy, ex qua genuit tres filios. Quorum
„ primus dicebatur Ludowicus ſuccedens Comes Teyſter-
„ bandiæ. Secundus dicebatur Robertus, cui ſucceſſit Do-
„ minium de Hoeſden cum multis villis, & factum fuit
„ ſpeciale Dominium. Hic Robertus fuit primus Dominus
„ de Hoeſden, minuitque arma ſua propter fratrem ſuum
„ ſeniorem. Habuitque ſcutum in dextera parte rubrum,
& in ſiniſtra blavium cum octo ſceptris. Accepitque illa „
dominia in feudum à Comite Clivenſi, quia ſuperior do- „
mus (*malim* Dominus) fuit. Et quæ ibi ſequuntur alia. „

Atque hoc illuſtris familiæ Heuſdanæ initium fuit, cujus genealogiam commode heic ſubjungam;

Robertus Heuſdanus, de quo jam diximus, anno 857.
Balduinus Heuſdanus, Roberti filius, obiit anno 870.
Robertus Heuſdanus moritur anno 914.
Edmondus Heuſdanus vitam exuit anno 929.
Iohannes Heuſdanus hominem exivit anno 956.
Robertus Heuſdanus diſceſſit anno 982.
Balduinus Heuſdanus vivere deſiit anno 1028.

Poſteriorum quinque genealogiam ita prodit Iohannes Leydenſis lib. VII, cap. XIII. Anno, *ait*, Domini „
914 obiit Robertus Dominus tertius de Heuſden, qui „
habuit uxorem Adelheidim, filiam Comitis Zutphaniæ, „
ex qua genuit Edmondum ſibi ſuccedentem. Is idem Ro- „
bertus ædificavit villam Poeroyen, Brabiel, & Aelſt, & „
alias plures villas. Miles ordinatus fuit in terra ſancta „
ſtrenue debellans gentiles. Quo mortuo ſucceſſit ei Ed- „
mondus ejus filius, quartus Dominus de Heuſden. Hic „
duxit in uxorem Hildegondam filiam Comitis de Zeyn; „

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

„ ex qua genuit Iohannem filium ſuum. Hic Edmondus
„ obiit anno Domini 929. Huic ſucceſſit Iohannes filius
„ ejus, quintus Dominus de Heuſden, qui ordinatus fuit
„ miles in terra Sancta adverſus Sarracenos pugnaturus.
„ Et habuit in uxorem Margaretham, filiam Comitis Loſ-
„ ſenſis, & genuit ex ea Robertum filium ſuum, obiitque
„ anno Domini 956. Illo defuncto, ſucceſſit ei Robertus
„ filius ejus, ſextus Dominus de Heuſden. Is duxit in uxo-
„ rem filiam Comitis de Spaeregem, ex qua genuit Bal-
„ dewinum ſuccedentem; obiit anno 982; cui ſucceſſit Bal-
„ duinus ſeptimus Dominus de Heuſden. Nos ad proxi-
me ſequutos pergamus

Iohannes II *Heuſdanus* moritur anno 1073.

Robertus IV *Heuſdanus* obiit anno 1092.

Balduinus II *Heuſdanus* vitam exuit anno 1110.

Johannes III *Heuſdanus* vita exceſſit anno 1135.

Wilhelmus Heuſdanus in vivis eſſe deſiit anno 1153.

Arnoldus Heuſdanus, Wilhelmi, qui ſine liberis defunctus erat, frater, exſpiravit anno 1168.

Iohannes IV *Heuſdanus* eſſe deſiit anno 1192.

Robertus V *Heuſdanus* vitam cum morte commutavit anno 1202.

Iohannes V *Heuſdanus* hominem exivit anno 1235.

Iohannes VI *Heuſdanus* mortuus eſt anno 1279.

Iohannes VII *Heuſdanus*, conſpirationis in Florentium quintum conſcius, obiit anno 1303.

Iohannes VIII *Heuſdanus* vita exceſſit anno 1318.

Iohannes IX *Heuſdanus* obiit anno 1334 ſine liberis. Hic, inſtigantibus Dynaſta Cranendonckio, & Iohanne Alſhantio opidum Heuſdanum, cum univerſo ejus diſtrictu Iohanni Brabantiæ Duci, cum adhuc in vivis eſſet, vendidit. Ægerrimo id animo tulit Saffenburgenſis Comes, qui Sophiam, unicam Iohannis Heuſdani filiam in matrimonio habebat. Sed nihil à Brabantiæ Duce potuit impetrare. Quamobrem ad Wilhelmum Bonum Hollandiæ Comitem ſe contulit, & univerſum Heuſdanum diſtrictum ipſi vendidit. Sic graviſſimum inter Hollandos Brabantoſque exortum eſt bellum, illis recuperare, his retinere Heuſdam acriter contendentibus. Hiſtoriam omnem ita accurate exſequitur Renerus Snoyus lib. VIII. Flandriæ, *inquit*, Comes bellum Brabanto in- „
dicere, quem ſequi noſter, ſpe, quod evenit, Heuſdanum „
capiendi. Siquidem & cum viculis feudum fuiſſe Co- „
mitis Clivenſis & Teyſterbandiæ, ut per Auſtralem Hol- „
landiam pleraque alia, nemo ibit inficias. Nam quum „
olim de memorato Dominio inter Brabantiæ Ducem at- „
que Iohannem Heuſdanum lis incidiſſet, depreſſiſſe in- „
feriorem Brabantiæ Ducem, quod Clivenſis longius ab- „
erat, quam ab eo auxilium petere poſſet. Itaque ſe in fi- „
dem atque tutelam Hollandiæ Comitis dediſſe, nihil ma- „
gni ducentis, adverſus Brabantiam eumdem defendere. „
Quo abſque liberis defuncto Sophiam ſororem Comi- „
tem Saffenburgi Dominium hoc accepiſſe, & adeundæ „
hæreditatis poteſtatem non habentem, potentia Ducis „
Brabantiæ arcis præſidium largitione corrumpentis, me- „
moratum pretio Comiti vendidiſſe, poſſidente tamen Bra- „
banto, quoad Philippus Rex Franciæ rebus turbatis niſus „
conſulere bellum pactione nuptiarum intercepit. Iohan- „
nam Brabanti filiam Guilhelmus Ooſtervandię, Guiliel- „
mi Comitis filius, uxorem acciperet. Alteram Flandriæ „

Comitis

„ Comitis filius Ludovicus Maldenus: tertiam Reynol-
„ dus Gelriæ Dux, qui & ſe hoſtem Brabanto declaraſſet.
„ Nuptiæ celebratæ, & pacis nomine ſuperis litatum læti-
„ tia publica, ut tamen prius quidquid juris in Hoeſdanum
„ ante uſurpaſſet Brabantus Guilielmo renuntiaret. Vnde
„ naſci proverbium inter mortales: *Ludit, ut qui Machlina*
„ *mea, Heuſdena tua*: quod in honeſte avaros vel rapaces
„ hodie dicimus vernacule:

Hy ſpeelt als Machelen mijn; Heuſden dijn.

Circa annum MCCCIII Iohannes Brabantiæ Dux Heuſdam occupavit.

Anno MCCCXXXVIII Machtildis Herbarni Riedij vidua Heuſdæ quinque Canonicorum collegium excitavit.

Anno MCCCXL Iohannes Brabantiæ Dux arcem Heuſdanam cum turri elegantiſſimi & munitiſſimi operis exſtrui fecit.


Anno MCCCCVII Gelris de Gorichemo poſſidendo cum Hollandis contendentibus, graviſſimum inter utroſque exortum eſt bellum. Gelri Heechuſam prope Heuſdam igne populabantur. Quo intellecto Iohannes Cronenburgius Heuſdanorum Præfectus tumultuaria militum manu collecta, caliginoſi aëris præſidio uſus, magno clamore & impetu in Gelrorum caſtra irrupit. Ibi Gelri adeo fuere perculſi, ut non niſi de fuga cogitarent. Multi eorum, dum in Moſam proſiliunt, fuere abſorpti. Et, quod prætereundum non eſt, plures capti, quam ipſi Heuſdani numero eſſent.

Heuſdæ natus eſt

Godſchalcus Steewichius Philologus, Philoſophus & Hiſtoricus inſignis, præceptorem habuit Victorem Giſelinum. Criticæ ejus in Apulejum, Arnobium, & Vegetium animadverſiones exſtant.

Heuſda hodie ut elegantia, ita caſtellis firmiſſimis commendatur; natura & arte munitiſſima. Arcem habet operis non contemnendi. Vahalim fluvium haud ita longe labentem videt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

VVOVDRICHEMVM.

Woudrichemum, non Worichemum ſcribendum. Altenatenſis tractus, Clivenſium olim feudum, quo modo & quando ad Hollandos devolutus. Woudrichemum quando vallo circumdatum. ejus Privilegia.

Woudrichemum (ita enim ſemper ſcriptum invenio in diplomatis antiquis, non Worichemum, ut vulgo) Altenatenſis diſtrictus caput eſt. Altenatenſis autem diſtrictus nomen habet ab arce veterrima, quæ Altena dicebatur, cujus rudera quædam adhuc videntur. *Holtena* olim & *Outenum* nominabatur, forſan à ligni & arborum copia. In hanc anno 1395 confugere, qui Aleydim Poelgeeſtiam, virilis animi fœminam, quam Albertus Bavarus in oculis ferebat, inſtinctu Guilhelmi Ooſtervandij, qui Alberti maximus natu filius erat, interfecerant. Quamobrem & acriter illam Albertus obſedit; & deditione accepit; turreſque duas in obtentæ victoriæ ſignum ipſi ademit. Altenatenſis autem tractus, atque adeo Woudrichemum jam tum anno 1150 paruit Dynaſtis Hornanis, qui poſtea Comites dicti. Feudum olim fuit Comitum Clivenſium. Poſtea tamen ad annum 1332 Wilhelmus Bonus hujus loci Dominium à Diderico Clivenſium Comite ſuo ſibi ære redemit, atque exinde Hollandiæ Comitum feudum factum eſt. Ad Hornanos autem Comites pertinuit uſque ad annum 1600, quo Walburgis à Nyenarendt, Philippi Montmorentij, Comitis Hornani, qui anno 1568 Bruxellæ ab Albano capite multatus eſt, vidua obiit; quæ paullo ante obitum Dominium Altenatenſe, ſimulque Woudrichemum 90000 florenorum millibus Hollandiæ Ordinibus vendidit; adeo ut inter eorum dominia nunc habeatur.


Anno demum MCCCCLX Woudrichemum vallo & portis circumdatum eſt.

Anno MCCCCLXVI Iacobus Hornæ, & Altenæ Dominus varia Woudrichemenſibus privilegia & immunitates conceſſit, articulis CXXVII comprehenſas. Quas anno eodem Maria Burgunda gratas ſe habere publicis litteris teſtata eſt.

Circa annum MDXI Gelri Woudrichemum, poſitis noctu ad mœnia ſcalis, & excubantibus negligenter civibus, occuparunt, ubi Hornanum Comitem ceperunt, qui magnam ipſis æris ſummam, ad ſe ſubditoſque ſuos redimendos, perſolvere cogebatur.

Woudrichemum ad Vahalim commodiſſimo ſitu poſitum, hodie munitiſſimum habetur. Arcem Loeveſteyniam in vicinia proſpectat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

V I A N A.

V Jana & Arx ejus quando & à quo conditæ, incrementa ejus, & obſidio.

VIANA, ſive Vianda, ut ſcribunt alij, opidum eſt non con temnendæ vetuſtatis. Dianæ fanumhic nonnulli nobis commenti ſunt, alij à mulierculis duabus, quarum uni Feudis, vernacule *Fy*, alteri Ianæ erat cognomentum, factum civitati nomen putant.

Prima Vianæ fundamenta circa annum ſalutis M CC XC à Zwedero, Iohannis tertij ejus nominis Culenburgi Domini fratre, cui tractus ille è paterna hæreditate obvenerat, jaci cœpta ſunt. Arx, præter alia, tunc temporis dicitur fuiſſe conſtituta. Swederus ille anno 1234 prælio prope Bremam adverſus paganos commiſſo occubuit. Vxorem habuit Dynaſtæ Leedenſis filiam, è qua filios duos Giſbertum & Henricum Vianenſes ſuſcepit.

Anno M CCCXL Capellam, quæ Hageſteynio ſuberat, in Parochialem Zwederus, Vianæ Dynaſta, erigi fecit.

Anno M CCC LXXII elegantiſſimi operis turrim, juxta arcem, quæ Bateſteynia jam olim vocabatur, Gyſbertus Vianenſis à fundamentis excitavit, ex lutro, quod ipſi Comitis S. Pauli Atrebatenſis filius, anno 1371 in Iuliacenſi agro captus, perſolvere tenebatur.


Anno M CCCC XVIII Walravus Bredenrodius, qui anno 1417 Gorichemi cæſus eſt, Leonaram filiam & hæredem unicam Henrici, Vianæ & Ameidæ Domini, in uxorem accepit, atque exinde duorum iſtorum locorum Dominia ad Brederodios ſunt devoluta.

Circa annum M CCCC LXXXI bello, quod inter Trajectenſes Hollandoſque exortum jam erat, non immiſcuit ſe Walravus. Erat eodem tempore Vianæ homo ad concitandos civium animos factus, cui Giſberti Baeſij cognomentum; qui exſilio mulctatus, Trajectum ſe contulit, ibique multa de Viana facilè occupanda prædicavit. conſilium ejus ſequuti ſunt Trajectenſes, qui Vincentium Swanenburgium cum expedita civium manu eo miſere. Hi noctu portam Culenburgenſem adorti abſque ulla difficultate urbem penetrabant. Quo intellecto Georgius, Præpoſiti Trajectenſis nothus, arci Præfectus, in munitiſſimam turrim, Simpol dictam, ſe dedit; futurum ſperans, ut ſe & arcem ſibi commiſſam tueretur. Sed tanta eum vi adorti ſunt Trajectenſes, ut eam tradere cogeretur. Vincentius Swanenburgius hoc rerum ſucceſſu lætus urbem in poteſtatem ſuam redactam nec Trajectenſibus nec Brederodio reddere ſtatuerat, priuſquam ſtipendium, à Trajectenſibus ſibi debitum, accepiſſet. Hæſit ibi menſes quatuor. Quo tempore Hollandi varias in Vianenſem agrum fecere irruptiones. ſed paullo poſt res compoſitæ.

Viana ad ſiniſtrum Leccæ latus elegantiſſimo opere poſita ſpectatur. Arcem ſplendidiſſimam oſtentat. Ager circumjectus nitidiſſimus eſt.

LEER-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

LEERDAMVM.

LEerdamum unde dictum. Arckelienſium feudum. Primus Leerdami Comes quando inſtitutus. Variæ urbis fortuna.

LEERDAMVM nomen habet à Linga amne, contractum à Lingerdamum. Linga autem nominatur à longitudine, quæ cauſſa eſt, cur Longam paſſim appellet Iohannes Gerbrandi Leydenſis. Feudum eſt Arckelienſium Dynaſtarum; ex quo circa annum 1150 Iohannes quartus ejus nominis Arckelius, filio ſuo Folparto, qui anno 1167 cum filio ſuo Pelgromo à Diabolo avectus dicitur, Leerdamenſem diſtrictum donavit. Quibus mortuis ad Arckelienſes iterum devolutus eſt.


Anno MCCCCXCII Fredericus Egmondanus, VVilhelmi filius, primus Leerdami Comes creatus eſt. Ex quo enim Iohannes Egmondanus circa annum 1410 Mariam, Iohannis Arckelij filiam, in uxorem accepit; ad filium ejus VVilhelmum Egmondanum, poſteroſque ejus Leerdamum devenit.

Circa annum MCCCCXCVI orto inter Gelros Hollandoſque bello, Dynaſta Iſelſteynius plures in Gelriam excurſiones fecit; commiſſoque prælio Neomagenſium plurimos cæcidit. Quare Gelri haut leviter incitati urbem & arcem Leerdamenſem ceperunt. Atque ex ea continuis rapinis & incendiis per univerſam Hollandiam graſſabantur. Quo intellecto Albertus Saxoniæ dux cum magnis copiis Gorichemum contendit, Aſpera & Heuclomo, vicinis Leerdamo opidis, milite & operibus munitis. Nec longe poſt caſtellum validiſſimum ad inhibendas hoſtium excurſiones juxta Leerdamum excitavit. Quo factum eſt, ut Gelri, impetratâ vitæ fortunarumque incolumitate, urbem ſtatim dederent.

Anno MDLXXIX Cepinus Vitellius, cum quindecim Helvetiorũ turmis, adjunctis aliquot Hiſpanis, Leerdamum acriter obſedit, admotiſque tormentis majoribus duobus mænia ita decuſſit, ut in poteſtatem ſuam ſtatim redigeret.

Leerdamum opidulum non contemnendum ad Lingam poſitum Heuclomum & Aſperam in vicinia habet; quibuſcum trianguli formam abſolvit. Paret Frederico Henrico, Aurantiæ Principi, &c. Mortuo enim anno 1500 Friderico Leerdami Comite primo, ad filium ejus Florenrentium devenit; qui anno 1539 è vita exceſſit, Maximiliano Egmondano ſucceſſore relicto. Cujus filia & hęres unica Anna Egmondana, quę obiit anno 1558, Leerdamum tradidit filio ſuo Philippo, Aurãtiæ, &c. Principi, qui mortuus anno 1618 fratri ſuo Mauritio Aurantiæ Principi legavit. A quo ad fratrem ejus Fredericum Henricum devolutum eſt. Arcem elegantiſſimam Leerdamum olim habuit, nunc plane depreſſam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

ASPERA.

Aſperæ deſcriptio. Viri clari.

ASPERA Arckelienſium Dynaſtarum feudum olim fuit. Guido ab Aſperen, frater Iohannis ſecundi Heuclomi Domini ad annum MCCCLIV à Friſiis prope Stauriam cæſus commemoratur. Filia ejus unica Didericum Polanum in matrimonium accepit, exque eo Ottonem Polanum, Aſperæ Dominum. Filia Ottonis, Alferadis dicta, Polanæ domina, ex Iohanne Langerackio Elburgim ſuſcepit; cujus maritus Rutgerus à Boetſelaer Aſperam dotis nomine accepit. Sed anno 1461 ab Arnoldo Pickio in arce ſua globo transfixus eſt; ut hiſtoriam omnem ad annum proxime dictum latius exſequuntur Annales. Atque exinde Aſperam Boetſelarij poſſederunt.

Aſpera, quantum colligo, oriundi ſunt


Conradus & *Iohannes Ottonis ab Aſperen* fratres. Vterque eruditus, Vterque Theologiæ laurea, & artium magiſterio inſignis. Vixerunt in Brabantiæ Silva-Ducis, in D. Iohannis Euangeliſtæ templo primario conditi, ubi honorificam hanc inſcriptionem, inque ea univerſam eorum vitam, legere eſt;

CHRISTO RESVRGENTI SACR.
CONRADVM ET IOANNEM OTTONIS
AB ASPEREN

natura fratres, Sacerdotio, Canonicatu, & artium magiſterio inſignes, moribus, doctrina, ac in Deum Religione, illuſtres, unum hoc monumentum tegit. Non ſatis ad laudem hæc. Virtus poſthuma ac tumulo claudi neſcia, hæc inſuper adſcribi mandat.

Conradus S. Theol. laurea clarus, ad S. Petrum VI. omnino annis, uno tantum ad D. Catharinam Paſtoris munere perfunctus eſt. Anno MDLXXI Canonicus, mox etiam MDXCIII Archipresbyter in hac Cathetrali eccleſia ex æquo & bono renuntiatur. Sed nihil in humanis firmum aut ſtabile. Amnos natus IX ſupra LX pio condito teſtamento, perpetuo quoque cenſu in uſus duorum LovanI Theologorum conſignato, magno ſui apud probos omnes relicto deſiderio, XV. Februar. anno MDCIX. mundo denaſcitur, ac cælo adſcribitur.

Iohannes S. Theologiæ Baccalaureus anno MDXCII Canonicatum hujus urbis indeptus, profuſo in animarum ſalutem zelo, Paſtoratum quoq; S. Petri complexus. Sed, Heu! anno ſui laboris primo, fatali correptus lue, vernante ætate, annorum XXIX cæleſtibus annumerari cœptus eſt.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

HEVKELOMVM.

Heukelomi deſcriptio.

HEUKELOMUM etiam primam originem ſuam Arckelienſibus debet. Antiquitatem ejus vel ex eo colligere promtum eſt, quod anno MCC Arx ejus dicatur conſtituta. Otto Arckelius, Iohannis octavi minor natu filius, primus Heukelomi Dominus ſalutatus eſt anno MCCLXXII. Poſſederuntque ejus poſteri, donec anno MDXCV, Ottonis Arckelij, qui obiit anno MDLXVII, filia & hæres unica innupta vitâ exceſſit. Adeo ut tunc temporis Heukelomi dominium ad Eliſabetham Arckeliam, viduam Domini de Caſtres, pervenerit.

Memorant Annales anno MCCCCLXII Iohannem Heukelomi Dominum monetam non ſuo, quod licebat, ſed Comitis nomine & inſcriptione uſurpata excudiſſe. Monuit eum ſemel iterumque Philippus Burgundus, à nefario ejuſmodi ſcelere abſtineret. Nec ille tamē abſtinuit. Quare à ſuprema Hollandiæ Curia proſcriptus eſt. Sed veniam non ita longe poſt impetravit. Filius ejus Otto, ope Gerardi Culenburgij Avunculi ſui, Heuckelomum armata militum manu invaſit, patremque ſuum, nihil tale opinantem Culenburgio captum tradidit. Otto enim Heukelomum Culenburgio certa pecuniæ ſumma videbatur vendidiſſe. Culenburgius itaque aliquot militum præſidia propere induxit, qui per totam Hollandiam graſſabantur. Indignis id admodum animis tulit Iohannes Charloſius, Arckelij Dynaſta, qui Arckelienſis territorij præfecto, ut cum civibus aliquot Gorichemienſibus urbem invaderet, juſſit. Hic noctu urbem, & Culenburgios aliquot cepit. Convenitque tandem, ut Culenburgius & Otto Heucklomum Charloſio traderent. Atque ita Pater & filius, uterque perfidia, ut fertur, meritus, Dominio ac dignitate ſua ſunt exuti. Otto tamen paullo poſt hujus delicti ſui veniam, & ſimul Heuckelomum impetravit.

Arx Heuklomienſis antiquiſſima nunc plane disjecta eſt.

ISEL-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

ISELSTEINIVM.

Iſelſteynii deſcriptio. varij ejus caſus.

ISELSTEINIUM nomen habet ab Iſala, fluviorum nobiliſſimo, cui adjacet. Arcis Iſelſteynienſis jam ad annum MCCL meminerunt Amnales. De hujus opidi poſſeſſione magna ſemper controverſia Hollandis cum Trajectenſibus fuit, eoque nomine graviſſima non ſemel bella exorta, quæ urbi exitium attulerunt. Quod ſemel & ſimul dixiſſe hic ſufficiet. Hiſtoriam ejus omnem, quæ uberior eſt, quam ut hic ſingulatim referatur ſingulis pene pagellis invenies apud Rerum Hollandicarum conditores. Nos ad alia feſtinamus. Anno MCCCXC Iſelſteynium muro & portis inſtrui cœptum eſt, ſub Arnoldo Iſelſteynij & Egmondæ domino, qui circa id ipſum tempus Monaſterium Regularium S. Auguſtini ſuis ſumtibus hic excitavit.


Anno MCCCCXVII Iohannes Egmondanus, qui proditionis in Comitem reus habebatur, ad fratrem ſuum Guilhelmum Iſelſteinium confugit. Quo intellecto Guilhelmus Comes urbem acriter obſedit. Sed, amicis Egmondani intercedentibus, utrinque convenit, ut Iſelſteinium Comiti traderetur; iſque in uſum Guilhelmi Iſelſteinij duo Scutatorum millia, matrique ejus ſexcentas Coronas Francicas quotannis penderet. Mortuo Guilhelmo Comite recipere urbem conabantur, & jam ceperant, ſed à Trajectenſibus ſtatim ſunt expulſi. Hi muros urbis, arcem, turremque funditus exſcindunt, totamque urbem incendunt eccleſia & monaſterio exceptis.

MCCCCLXVI. Gelri Iſelſteinium incenderunt; atque ita urbs deformata jacuit uſque ad tempora Frederici Iſelſteinij, qui urbem inſtaurandi muroque cingendi poteſtatem à Carolo Burgundo impetravit.

Iſelſteinium hodie paret Principi Auriaco, ſatis munitum, & elegantiſſimis viridariis ornatum.

WOER-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

VV O E R D A.

Oerda quando condita. A Trajectenſibus quomodo ad Hollandos pervenerit. Varia ejus fortuna. Bodegravia. Bagaudæ.

WOERDA ad annum 1160 à Godefrido Epiſcoporum Trajectenſium vigeſimo & octavo ad ſuos in obſequio continendos exſtrui cœpta eſt. *Godefridus Epiſcopus*, inquit Beka, *pro ſempiternæ ſuæ laudis memoria ſuperædificavit beato Martino quatuor fortia, videlicet Horſt contra Comitatum Gelriæ, Vullenho contra dominatum Friſiæ, Montforde adverſus Comitatum Hollandiæ, & Woerden adverſus rebellionem propriæ civitatis.* Civitas hæc occaſionem ſæpe graviſſimis bellis, quæ inter Hollandos Trajectinoſque exorta, dedit, utriuſq; injuriis ſemper patens. Sed anno MCCXCVI Hermanno Woerdano conſpirationis cum Gerardo Velſeno & Gisberto Amſtelio in Florentium quintum cogitatæ reo, Woerda ad Hollandiæ Comites eſt devoluta.

Anno MCCCLXXIIII Trajectenſes Woerdam magno opere obſederunt. quam cum capere non poſſent, flammis injectis ſuburbium cum caſtellis plurimis, quæ exſtructa ibi erant, incendere.


Anno MCCCCLXXX Iohannes Montfurti Burchgravius Woerdam conſutis cum nonnullis civium dolis cepit. *Burchgravius*, inquit Snoyus, *ſub noctem admotis ſcalis, vel, quod verius eſt, per proditionis conſcios Woerdana arce potitus eſt. Erat hæc omnium per Hollandiam munitiſſima, æſtimata inexpugnabilis, modo præſidij ſatis intus eſſet, ut vulgariter* CLAVIS HOLLANDIÆ *diceretur.* Sed rebus paullo poſt inter Hollandos Montfortiumque compoſitis, Woerda reddita.

Circa annum MDLXXXI Woerda Erico Brunſvicenſium Duci, ob præclara merita, à Philippo Hiſpaniarum Rege oppignorata eſt.

Anno 1594 Reverendus & Cl. Avus meus Henricus Boxhornius, S. Theol. Licentiatus, & omni diſciplinarum genere inſtructiſſimus, Eccleſiam Woerdanam cum reliquis Hollandiæ magno labore & ſucceſſu univit.

Woerda civium frequentia hodie floret. Arcem habet ſatis illuſtrem, cui Caſtellani præfecti jam olim ſunt. E quibus nuperrime vita exceſſit genere & doctrina clariſſimus Iac. Eindius.

Woerdæ ſubeſt *Bodegravia* pagus inſignis, cujus ad annum 1017 meminit Iohannes Bekanus; *Quidam*, inquit, *Comes Theodoricus Bavi beneficiatus fuit juxta Bodegraven ad Adelboldo Pontifice, qui Theodoricum Comitē Hollandiæ non quievit infeſtare quotidiano certamine*. Bodegraviēſes Bagaudas fere appellat Cornelius Aurelius. Neſcio quâ de cauſſa. Id ſcio; Bagaudas Latinis notare homines factioſos, rebelles, & latrociniis adſuetos. Eumenius Panegyr. de Schol. inſtaur. *Latrocinio Bagaudicæ rebellionis obſeſſa, &c.* Salvianus de Gubern. Dei; *Bagaudæ facti ſunt iniquitatibus noſtris.* Ad quem locum conſule eruditiſſimum commentarium Conradi Rittershuſij.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

OVDEVVATERA.

Oudewatera unde nomen adepta. Obſidia ejus, & excidia. Viri illuſtres.

OVDEWATERA, quam *Veteres aquas* appellant alii, *Oudewaertera*, ſi primam originem videas, fuerit nominanda. *Oude waerdt* nihil aliud notat, quam inſulam aut diſtrictum veterem. Atque ita dicta videtur ad differentiam *Waerdæ* illius, quæ in vicinia poſita, nova hodieque appellatur.

Anno MCCCXLIX Iohannes Arckelius Trajectenſium antiſtes Oudewateram vi cepit, civium pleriſque captis, eorumque bonis direptis. Majorem etiam urbis partem incendit. Plures tamen Trajectenſium, ſtrenue pugnantibus civibus, cæſi, interque eos Iohannes Rijſenburgius, fratres Lichtenburgij, Iacobus, Iohannes, & Everardus Drielij.

Anno MDLXXV Hiſpani Oudewateram coactis in unum viribus oppugnarunt, & tanta tormentorum mole concuſſerunt, ut muris ex parte disjectis, ſecundo jam repulſi, urbem penetrarent. Cum miſerrima civium ſtrages edita. Sacrorum miniſtri laqueo necati. Promiſcua civium turba, nulla ætatis aut ſexus habita ratione, cæſa. Pauci admodum elapſi. Aedes direptæ, & feralibus flammis omnes pene abſumtæ; ut tumuli potius, quam urbis faciem haberet. Sed paullo poſt iterum inſtaurari cæpta eſt; numquam priſtinam illam elegantiam receptura.

Oudewatera optimorum ingeniorum feraciſſima ſemper fuit. Nati hic

Iohannes Palæonydorus, qui & *Iohannes de Veteri aqua* nominatur ex more illius ſæculi, quo pro vernaculo patriæ nomine Latinum vel Græcum, quod idem denotaret, eruditi fere induebant. Ordinis Carmelitani fuit. Plurima ſcripſit, quæ partim ad ſui Ordinis, partim ad Sanctorum hiſtoriam ſpectant. Syllabum eorum dedit Trithemius. Obiit anno cIↄ Iↄvii.

Cornelius Valerius integerrimus & erudititiſſimus Belgarũ natus eſt anno cIↄ Iↄxii. Poſt varias peregrinationes ſuſceptas Lovanium reverſus Petro Nannio Linguę Latinę in Collegio Buſlidiano Profeſſori ſucceſſit. In quo munere dum verſatur, pluria ingenij ſui monumenta efformavit. *Provinciam ſuam*, inquit Schottus Epiſtol. ad Plantin. notis Pintiani in Melam præfixa, *ita fideliter ſubivit, nihil ut purius, aut tertius dici, quam ab illo poſſe videretur. Diſciplinarum eum orbem, quem Græci* ἐγκυκλοπαιδείαν *vocant, Latinis litteris conſcripſit; quo nihil ſane in eo genere prodiit accuratius, nec aliud puerorum manibus teritur apud omnes fere nationes, aut frequentius aut utilius.* Vitam exuit anno cIↄ Iↄ ιxxviii plenus dierum. Corpus ejus terræ mandatum eſt in D. Petri, ubi monumentum hoc Georgius ab Auſtria gratus diſcipulus præceptori ſuo excitavit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

D. O. M.
CORNELI VALERI
VLTRAIECTINI
OSSA
HEIC CONDITA ET CONSVMPTA:
NOMEN
ADSCRIBERE ALIENA PIETAS VOLVIT.
AN ALIENA TAMEN?
A DISCIPVLO VENIT.
ET QVANTVS ILLE CVI VENIT!
MERVIT:
IUVENTVTEM BELGICAM
ORE ET STILO
IN COLLEGIO TRILINGVI
DOCVIT,
NON MINVS DISERTVS VTILISQVE,
POSTQVAMLO QVI DESIIT;
QVAM CLARVS ET ÆTERNVS,
POSTQVAM SCRIBERE.

GEORGIVS AB AVSTRIA
PRÆPOSITVS HVIVS ECCL. ET ACADEMIÆ
CANCELLARIVS, NEGLECTVM XXXII. AN.
MONVMENTVM PRÆCEPTORI P. C.
M. IↃ. C. X.
VIXIT ANN. LXVI. DOCVIT XXI.
OBIIT M. IↃ. LXXIIX. III. EID. SEXT.

Gerardus de Roo vir eruditiſſimus, eoque nomine Ferdinandi Archiducis Auſtriæ bibliothecæ præfectus. Scripſit Annales Auſtriacas, aliaque.

Rodolphus Snellius Mathematicus præſtantiſſimus, variis per Europam peregrinationibus functus, in Academia patria Mathematum profeſſione donatus eſt. Quantus in eo ſtudiorum genere fuerit ſcripta ejus, me tacente, loquuntur. Græcarum & Hebraicarum litterarum peritiſſimus erat. Obiit anno 1613. *Willebrodo Snellio* Lugduno Batavo filio & ſucceſſore relicto.

NAER-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

NAERDA.

Goylandia unde dicta. Goedelæ Cænobij Altenatenſis Antiſtitis hiſtoria accuratior, è Naerdenſium Archivis. Goylandiæ deſcriptio Lamberti Hortenſij. Vetus Naerda. Naerdæ incrementa, varia fortuna, jura, privilegia, immunitates.

NAERDA Goylandiæ caput eſt. Goylandia autem nomen habet à Goedela Cænobij Altenatenſis antiſtite, ut ſuo loco jam diximus. Sed libet nunc ex Archivis publicis ejus hiſtoriam accuratius retexere. In his ita ſcriptum invenio.

Anno DCCCC III, *menſe Ianuario, Otto primus ejus nominis imperator Allemannus, flagitante Zutphanię̃ſium Comite Wichmanno, & filia ejus Lutgardi prima Abbatiſſa Altenatenſi, in ſpecialem tutelam & protectionem ſuam monaſterium & collegium Altenatenſe recepit, iiſdem modis, quibus Cænobia tria Eſſen, Quindelingenburch, & Gauderſijn recepta ſunt.*

Item conceſſit præfato Cænobio Altenatenſi, poteſtatem accipiendi Telonium in Iſala conſtitutum.


Anno DCCCCLXVIII *Otto ſecundus ejus nominis Romanorum Rex, humilibus precibus dilectæ uxoris ſuæ inclinatus Cænobio Altenatenſi terram Vrck, & quæcunque in Comitatu de Nardinclant, & in Hamelant poſſidebat, liberaliter conceſſit. Deditque Abbatiſſæ Altenatenſi poteſtatem de præfata terra diſpenſandi & ſtatuendi pro libitu ſuo, & commodo præfati Cænobij Altenatenſis.*

Habuit & aliam filiam præfatus Wichmannus Adelam nomine, cujus maritus erat Baldericus. Hæc aſſenſum iis præbere non voluit, quæ pater ejus Altenatenſi Cænobio donaverat. Negans patrem poteſtatem ea donandi habuiſſe.

Duravit hæc controverſia uſque ad tempora Ottonis ſecundi, nec dirimi tamen ab illo potuit.

Mortua autem Lutgardi Otto tertius ejus nominis imperator Neomagum partes in unum convenire juſſit, convenitque ibi, ut Adela marituſque ejus Baldericus omne jus ſuum traderent, quod ipſis in Altenatenſe Cænobium competebat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Tutorque cænobij factus eſt Otto. *Præter hæc Baldericus tradidit eidem Cænobio omnia bona illa, quæ Lutgardis poſſederat, ſcilicet mediam Embrickam, medium Arnhemum, mediam Aſpellam, &c. Puttam, &c.*

Item idem Otto tertius ea omnia confirmavit, quæ pater ejus eidem cænobio donaverat, in Nardinclant, Vrck, *&c. cum omnibus ſylvis, pratis, paſcuis, piſcationibus, eccleſiis, molendinis, viis, &c. Donavitque præterea ante-dicto Cænobio telonia piſcationis in pago* Salen, *& in flumine* Iſala, *quod nominatur* de Katetol.

Datum Neomagi anno IXC & XCVI.

Nunc Goylandiæ Chorographiam ad Reinerum Lepidum, à Lamberto Hortenſio, Scholæ Naerdenæ quondam Rectore ſcriptam, libet attexere. In Goylandorum gloriam injurius eſſem, ſi politiſſimam hanc elegiam deſideratam diu, diuq; ſuppreſſam publico inviderem. Sic igitur ſe habet;

QUam legis a Goijcis, Lepide ô Reynere, ſalutem
Finibus Auſtraici littoris illa venit.
Quis mittat quæris, tum quis locus, atque vocari
Quo cœpit regio nomine forte rogas?
Qui καταβαπτίςου *motus, triſteſque tumultus*
Scripſit, ab hoc placidè littera craſſa venit.
Non exculta venit, pulchris nec compta capillis,
Floibus Cyranices nec redimita comis,
Luxuriare velut ſolita eſt, cum è mœnibus altis
Nobilibuſque pedes turribus ire parat,
Verum humilis graditur, non exornata lacerta,
Vt ſimul è tenui quæ lare miſſa venit.
Eſt regio exiguis, ſed amœnis edita pagis,
Sæviter Auſtriaco quam ferit unda ſinu.
Abbatiſſa cui nomen Godeleva perenne
Elſtenſis, quondam libera Iura dedit.
Sed quia tunc regio duris habitata colonis,
Proventus dominæ & commoda nulla tulit,
Tranſtulit Hollandum ad Comitem ſua Iura, locumque,
Sacraque cum ſacris juncta profana dedit.
Ipſe locus mediis qui cingitur undique pagis,
Collibus aſſurgit, deprimiturque ſolo.
In medio incultus, ſolidus, denſuſque myricis,
Hic fundunt patulas nulla ſalicta comas.
Nulla nuces corybus, non populus alta, nec ilex,
Sed nec opaca iſtis ſpargitur umbra locis:
Sed ſua cuniculi poſuêre cubicula ſubter,
Et timidi lepores luſtra domoſque tenent.
Collibus incedens quoties mea lumina circum
Circum acies verto, ſingula quæque notans;

Ardua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Ardua cerno oculis Emsfurtia ſolis ad ortum,
Tanquam Riphæum, Caucaſeumque nemus,
Sive æquata Lugris ſummo Acroceraunia cœlo,
Sive Apænninum qua ferit aſtra polum.
Nec mihi tum lubeat manibus tractare libellos,
Dignaque Pindaricis plectra movere modis.
Rurſus ubi heſperium circumſpicis altus Iberum
Ultrajecti oculis mœnia clara vides,
Ceu quondam Alpinis Romam de montibus urbem,
Turribus æquatam vel Babilona polo.
Si quis ad Arcturum ſeptem tunc ora trionem
Flexerit Auſtriacum deſpicit ille ſinum.
Cernit hic in vitreo piſcantes æquore nautas,
Et cui terra ab aquis nomen aquoſa dedit.
Contra ubi Phœbus agit currum diverſus ad Auſtrum,
Hic oculis præſens torve Sycamber ades,
Iamque ubi vaſta loci* pages cungitur in oris
Proſcindit duro vomere arator humum,
Hic Satyros dicas Faunoſque agreſtia lucis
Numina, ruricolam Pana habitare putes.
Non niſi frondoſæ ſummis è collibus umbræ
Apparent longe ſylva nemuſque procul.
Circa horum quoties lætos ſpatiamur agellos
His ego Hamadryades clamo habitare locis.

Atque ô fœlices fortunatoſque colonos
Muſarum ſedes queis habitare datum!
Teſſala nec Goycis ſunt anteferenda Napæis,
Non Bajas Goycis nobilitate caſis.
Sæpe etiam dico cum patria rura colentem
Hanc vidi gentem, non bene digna geri.
Indignum à triſti & nota feritate colono
Incolier Goycum propter amœna ſolum.
Quod potius magnos, quod voce referre videtur,
Cum ſacris Muſis hic decet eſſe Deos.
Eſt ſylva extremis in finibus horrida fagis,
Et vernans patulis frondibus alta ſuis.
Lucus & umbroſis quercetis rarus ibidem eſt,
Queis ſunt à Goyco nomina facta ſolo.
Quam tamen his tacitis regionibus eſſe deorum
Appellat ſylvam quod ſit amœna reor.
Seu quod numinibus lucus ſacer extitit olim,
Et Dryadum ſedes, ut ratus ille fuit.
Quas non delitias & odores naribus afflat,
Taurus ubi incæpit ver aperire novum?
Tum tremulos reſonat ſylva philomela ſub alta,
Et querulos turtur fundit ab ore ſonos.
Alituum genus omne canit, dum Tityrus hædos
Cogit, & hic teneras paſcit Alexis oves.

E paſtu cum jam referunt ſe ad ovilia capræ,
Veſper & occiduo fulgidus axe venit
Vndique ſylva ſonat variis frondoſa cicadis,
Et fractas voces Græca recantat Echo
Ut quondam Phrygia Paſtorum vulgus in Ida,
*Cum ferunt * ad teneros carmina rauca greges:*
Hic laſſus gelida recubare videtur in umbra,
Huc è vicinis vir mulierque venit.
Hic ſternunt patulæ menſas ſub tegmine fagi;
Hic recreant potu pectora feſſa cibo.
Hic juvat æſtivis horis requieſcere, noctes
Pieridum & totas invigilare choro.
Extra hanc vaſta palus jacet & limoſa ſub auſtro.
Illa alimenta igni ſuppeditatque foco.
Porro ubi colliculis introrſum aſurgit & æquè
Deſcendit vallis & male culta ſoli
Colligit hic nullas ſparſim ferus incola gemmas,
Non his effodit ulla metalla locis,
Sed duras ſilices ima tellure revellit
Ne nulla credas fertilitate ſolum.
Vidi ego turris opus Saxum è tellure colonos
Moliri, ac ſolidi volvere multa ſolo.
Vidimus æternam aggreſſos ſubducere molem
Pyramidis, fruſtra ſed fuit ille labor
Iam circum pagos humano ubi terra labore
Manſuevit, frugum fertilitate bona eſt.
Vina velut quondam commendavêre locorum
Nomina, ſic agros hos beat alma Ceres.
Nobile quis Goycum frumentum neſcit, & ipſum
Quod fago triticum ſordida rura ferunt?
Ut quondam primam laudem meruêre Falernæ
Sic Goyca hic paßim clarior alma Ceres.
Cætera quid memorem? communia cuncta locorum
Quos arat exceptis vomere Mopſus agris,
Paſcua ſunt, proprij juris qua vergit in undas
Phœbus, quæ ſalſis verberat æquor aquis.
Vicus ad auroram diſterminat arva Laricum,
Cardis hic teneras gens fera paſcit oves,
Sunt tamen Agricolæ Cereris queis munera curæ
Quique ſerunt agros ſemine quique metunt.
Collis ad occaſum leviter declivus arenis
Imminet, eſt frugum qui tamen ipſe ferax,
Vertice colliculi vetus eſt ſpectare ſacellum
Quod juxta quercus cernitur alta Iovis,
Baptiſtæ ſacrum vaſto ſublime receſſu
*Iſta * parinates alta ſepulchra tenent.*
Hoc phanum antiquæ Cereris nos ſæpe ſolemus
Dicere & antiqua relligione ſacrum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Tegula nam à pluvia tecti vix ſumma ſacelli
Et frontiſpicium vix retinetur aqua.
Undique agunt * ruinas muri caſumque minantur
Hoc tamen inviſunt vir mulierque frequens.
Septima ubi eluxit curru ſubjecta ſereno
Iulij in aprico Bachica ſerta cient.
Undique colluvies venit huc veſana Iuventæ,
Baptiſtæ ut divo panica ſerta ferant.
Qualia Cecropidæ ſoliti celebrare Corytto
Raptarum ſævis exagitata modis.
Turba frequens nimium formicarum agminis inſtar
Pars eques accurrit, pars pedes, illa rotis,
At ſacra quam multo perfudit Græcia, qui vel
Pythia cantarent vel * Nemerea viros.
Hunc collem (incola fert) dumoſis frondibus olim,
Tabula ſi non eſt ficta, habuiſſe nemus,
Forte huc, neſcio cur, tres conceßere ſorores
Aut glandes legere aut mollia fragra ſoli.
Has ex inſidijs gemini clamore latrones
Invadunt trepidas corripiuntque comis,
Quid faciant miſeræ! jugulo depellere ferrum
Conantur, madidis fletibus atque prece.
Candida ſuccedunt his ubera, ibique relinquunt
Corpora, purpureo ſparſa cruore truces
Jam pagum propere mox deſcendêre Laricum
Tam ſcelus horrendum clam fore poſſe rati.
Æquor in occiduum Phœbus ſe merſerat, umbram
Præcipitem tulerant ſera crepuſcla polo,
Oſtia tum ignari pulſant cornice coloni;
Cæſarum in dumis forte fuere lares.
Alter ait partes habeo de carne ſuilla
Cum latere in calido ponite ahena foco
Cum manibus teneras huc conjecere papillas
Lixandas, verum non tulit iſta Deus.
Nam ſimul ac ferventem undam ſenſere lebetes
In matris patulum proſiliere ſinum.
Id ſemel atque iterum ut perſenſit Chara genetrix
Me miſeram exclamat quæ nova monſtra vides
Hic ego natarum cerno ubera cæſa mearum,
Latrones fugite hinc, dum datur hora fugæ.
Adjacet hic juxta quâ vellera tonſa bidentum
Lanigerum fera gens alta lacuna lavat.
Nullus ibi torrens non qui riget arva perennis
Fons ſcatet, aut gelidis unda refuſa vadis.
In luſtro hoc tribus fanum poſuere puellis
Oblatum hoc oculis prodigium eſſe ferunt
Quæ modo in his ſtatuunt fundamina jacta lacunis,
Poſtea erat ſummis cernere luce jugis

Ter-

Terque quaterque ſimul ſic tentavêre ſubinde
Fundamenta rudi ſternere firma ſolo.
Territus his monſtris & relligione colonus
Tactus, in excelſis condidit inde jugis.
Pro re pauper opus nullo ſplendore ſacellum
Baptiſtæ divo relligione ſacrum
Inſtituit. Nymphas ſparſis per colla capillis
Ferre duas ſignum virginis almiparæ
*Feſta * munalleneis celebranda arvalia votis*
Et circum fruges thura libare focis
Ad ſacra hæc veniunt Iuvenes teneræque puellæ
Pronuba non Iuno, non hymenæus abeſt.
Bellona advehitur roſeis horrenda quadrigis
Gradivus bigis quam comitatur equis
Eumenidumque cohors ſolio Plutonis ab imo
Excita conſequitur, quæ ſacra turbet iners
Metropolim hic cernas centum de litore paſſus
Dixerunt Nardam qua ratione latet.
Sed quondam propior pelago ſita fronte ſerena
Dum fortuna fuit reſque ſecunda domi;
Vltrajectinus quam evertit præſul ab Arkle
Vicina haud nimium marte furente truci
Nunc monachûm domus eſt veteris quæ nomina ſervat
Oppiduli, ut ſtabile eſt perpetuumque nihil.
Hic procul è portis potis es ſpectare trahentes
Retia, piſcantes retia rara maris,
Occiduo hic magnas redeuntes gurgite puppes
Quas & ab Eoys riga remittit aquis.
Si mores hominum, ſtudium quid & utile quæris
Gens bello nata eſt ingenioque ferox
Lanifico ſtudio totum celebrata per orbem
Nec minus impigri paſcua agroſque colunt
Rura colunt; agroſque ſerunt, magnique laboris
Gens patiens nullum ferre gravatur onus.
Sive quis æſtivos ſolis perferre calores,
Frigora ſeu nudo vertice dura pati.
O nimium quondam concors dum bella Sicambri
Goylandis facerent, cum magis eſſet amor.
Nunc nimium in partes diſcors diſtracta ruinam
Muſarum ſtudiis turpe habitura brevi.
Hoc noſtro alta quies, ſeceſſus & otia muſis
Pinguia fœcundo ſunt mihi facta loco.
Supra bis decimam prima mihi vertitur æſtas
Quod traxi tenue hic, me miſerum! aſſe jugum.
Ex quo triſte jugum & ſterili tellure colendum
Verſo truſatilem non gravis ære molam.
Vive, vale, atque altam precor ut tueare quietem,
Mitius ut repetas tandem aliquando ſolum.

Nunc ad Vrbis deſcriptionem pergamus. Naerda circa annum natæ Salutis MCCCL condi cæpta eſt, ut ex litteris Wilhelmi Bavari, illo, quem proxime jam diximus, anno datis manifeſte comparet. E quibus etiam diſertim colligitur, Naerda priore, quæ *Vetus* hodie nominatur, incenſa & deſtructa, de Nova condenda fuiſſe cogitatum. Poſita hæc fuit ad Mare Auſtrinum, cujus violentia & incremento fundamenta omnia jam abſorpta ſunt. Adeo ut ducentarum perticarum ſpatio aquis ſit obruta; quibus, ut non ſemel fieri ſolet, defluentibus, platearum, ac præcipue ſacræ Ædis veſtigia ruderaque pluria videntur. Quando autem, vel à quo urbs deſtructa ſit ac incenſa parum conſtat. Plerique ad Iohannem Arckelium Trajectenſium Antiſtitem referunt. Hic circa annum 1348. graviſſimum cum Wilhelmo Bavaro bellum geſſit; cujus calamitate Naerdam involutam fuiſſe autumant. Vero ſimile id quidem eſt, ſed incertum. Nos ipſam Comitis tabulam, cui indubitata fides adhibenda, audiamus.

Nos Wilhelmus, Dux Bavariæ, Comes Hollandiæ, & Zelandiæ, Dominus Friſiæ in omnium notitiam volumus pervenire, Cum fidelis & dilecta noſtra civitas in Naerden noſtra de cauſſa ab inimicis noſtris graviter afflicta ſit & vaſtata, opidanorumque privilegia, quæ à prædeceſſoribus noſtris impetrarunt, perdita ſint, nolumus eos jure & immunitatibus ſuis fraudari, ſed è contra eas magis magiſque adaugere. Quamobrem conceſſimus iis, & per præſentes concedimus, ut alium condendæ civitati ſibi locum occupent, qui noſtro & eorum commodo judicabitur expedire ex conſilio Henrici ab Heemskerck Balivi noſtri, in territorio civitatis Amſtelodamenſis, Weſopi & Mudæ, ibique ædes exſtruant, civitatemque poſſideant, iis legibus & conditionibus, quibus Naerda ante incendium fruebatur, quouſque Privilegiorum ſuorum apographa nobis oſtenderint, ut ea ſigillo noſtro confirmemus & innovemus, aut quouſque novas illis leges immunitateſque ipſi præſcribamus. Porro conceſſimus ipſis præſentibus litteris, ut civitatem illam, quam condituri ſunt, vallo circumdent, & vicinos omnes exorent, ut commodum ejus civitatis promoveant, vallumque fodiant, quia nos & terra noſtra ſic clauſa magis & tuta futura eſt. Et cum fixum hoc nobis immotumque ſit litteris iſtis ſigillum noſtrum appendi fecimus. Datum anno Domini MCCCL, *feria ſecunda poſt Pentecoſten.*

Vetus autem *Naerda* illa eſt, quæ *Naerdinc* appellatur in litteris Gisberti Amſtelij anno 1233 ad Abbatiſſam & Sorores conventus Rensburgenſis datis. Vbi legas; *Datum in Nardinc. Datum anno Domini* MCCXXXIII, IV *Idus Februarij.* Litteras ipſas integras invenies in Weſopi deſcriptione. Veteres illi Naerdenſes magnam virtutis famam rebus pro Florentio quinto ad annum 1296 præclare geſtis ſunt conſecuti. Verba Snoy digniſſima ſunt, quæ ad perennem Naerdenſium gloriam hic legantur. Senſerant id, *inquit*, „

Naer-

„ Naerdenſes, *nempe Florentium à Velſio ſociiſque ejus captum*, col-
„ locatis in via inſidiis, quas ſpeculari Velſius atque inter-
„ rogare, quem præſtolarentur. Qui audiens, Comitem,
„ ait, jam veſter eſſe non poteſt, ſtrictoque enſe adverſus
„ eos ſe tueri, atque eques facile periculum evadere. Comes
„ præter ſpem ſentiens adeſſe ſuos, equo laborabat per foſ-
„ ſam ſaliendi inſueto. media hærentem atque inpeditum
„ Velſius equo deſcendens viginti ac uno vulneribus miſe-
„ rabiliter confodit. Alij narrant conjuratorum tergora pre-
„ mentibus Naerdenis, devia ſectari compulſos, & ad ſub-
„ ſidentem equo in foſſam, ut commode ea levare non qui-
„ rent, magna velocitate accurriſſe Velſium, totidemque
„ vulneribus confeciſſe. In qua hiſtoria tamen animadver-
ſione dignum eſt, quod in Chronico veteri vernaculis Rhythmis concepto ea omnia, quæ Naerdenſibus hic tribuuntur, Friſijs adſcribantur. Credo auctorem Friſiorum vocabulum latius uſurpaſſe, de qua re vide, quæ primo hujus operis capite jam diſſeruimus.

Anno MCCCLV novæ civitatis fundamentis jactis ad incolas in eam illiciendos, varias Nardenſibus immunitates Wilhelmus Bavarus indulſit. Potiores è litteris ipſis deſcribam;

Nos Wilhelmus Bavarus, &c. notum facimus universis, quod conceſſimus & concedimus in æternum pro nobis & poſteris noſtris opidanis in Naerden, & qui in Opidanos ibi recipi volent, ob pluria officia, quæ nobis & anteceſſoribus noſtris præſtiterunt, jura & immunitates, quæ infra perſcriptæ.

Primo limites ſuæ jurisdictionis eouſque protendent, quo uſque civitatem protenderunt, & Tyam verſus perticis triginta.

Porro ab omnibus teloniis noſtris cum bonis ſuis erunt immunes.

Quæcunque in opido noſtro de Naerden committentur, ibidem judicabuntur ex juſta Scabinorum ſententia.

Præterea concedimus opido noſtro de Naerden,

Concedimus inquam opido noſtro de Naerden omnes piſcationes, quæ in ejus jurisdictione ſunt, item pondus & menſuram intra opidum.

Opidum autem de Naerden in Expeditionibus noſtris ſerviet nobis, ut aliæ noſtræ civitates, pro magnitudinis, bonorum, & populi qualitate.

Porro ſi quis in opido de Naerden in opidanum recipi volet, pergratum nobis futurum eſt.

Datum in Dordrecht, XX *Maij, anno* MCCCLV.
Subſcriptum erat *Juſſu Domini Comitis H. Cameron.*

Anno eodem Wilhelmus Bavarus Stapulam piſcariam, quam de piſcibus omnibus Vechtam inter & Iſalam captis Naerdenſibus Wilhelmus Hannonius indulſerat, novis tabulis confirmavit. Litteræ Hannonij datæ ſunt anno MCCCXLII; in quibus teſtes conſiliarij memorantur. Idem hoc privilegium anno 1442 Philippus Burgundus auxit & confirmavit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Anno MCCCLVI Naerdenſes commiſſa cum Amerſfordiis acie illuſtrem victoriam reportarunt.

Anno MCCC LXXX ædes ſacra Naerdæ exſtrui cœpta eſt.

Anno M CCCC III Albertus Bavarus Naerdenſibus novi portus exſtruendi poteſtatem his verbis conceſſit;

Dilectis opidanis noſtris conceſſimus & concedimus, ut portum fodiant ex mari in Meentam (ita appellat communem Goylandorum agrum) *& exinde intra & per civitatem noſtram de Naerden, quocunque ipſis conſultum videbitur, abſque ulla aut noſtra aut noſtrorum contradictione.*

Anno MCCCCVIII Iohannes Bavarus, Naerdenſes à portoriis omnibus & expeditionibus ſuis immunes pronunciavit. Verba litterarum ſunt.

Nos Iohannes, gratia Dei, Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, Electus Leodienſis, Comes in Loen, Dominus Vornæ, Woerdæ, Mudæ, Weſopi & Goylandiæ notum facimus univerſis, conveniſſe nobis cum opidanis de Naerden, quod ſervitium & expeditionem Leodici belli noſtri attinet, quod ſcilicet eos nunquam ad eam faciendam vocabimus, nec pecuniam nobis amplius conferent ad bellum noſtrum præfatum, nec trademus eos vel oppignorabimus aliis Dominis.

Porro opidani noſtri præfati nulla nobis poſthac vectigalia debebunt, niſi in urbe, exceptis iis, quæ vulgo Dijckgelt, Sluyſgelt, Thijnſe, & Tienden, *appellantur.*

Anno MCCCCLIX. Philippus Burgundus duodecim *Notabiles*, ut appellantur, *viros* à Conſulibus & Scabinis opidi Naerdenſis è civium primoribus quotannis eligendos conſtituit; quorum curæ incumberet, ne quid advenarum indies undique adfluentium frequentia urbe laborante, ipſa caperet detrimenti.

Anno MCCCCXL Monaſterium Sororum beatæ Mariæ ex Cæmiterio, in auſtralem urbis partem tranſlatum eſt, ut ex litteris eâ de cauſſa à Magiſtratu Naerdenſi datis liquido comparet.

Anno M CCCC LXII Carolus Burgundus litteras de Naerda, Muda, atque adeo Goylandia univerſa nunquam ab Hollandiæ Comitatu divellenda Naerdenſibus indulſit.

Anno MCCCCLXXXI Trajectenſes parta illuſtri ab Hollandis victoria, inſidias in Naerdam convertere, miſſis eo armatis aliquot militibus, qui habitu muliebri ſummo mane ad urbis portas conſtitere, corbes manibus tenentes, quaſi ad rerum venalium mercatum adveniſſent. Recluſis itaque portis urbem intrant, obvios aliquot mira prorſus audacia obtruncant, ſtatim ſigno dato qui in inſidiis jam ante collocati erant, erupere. Ibi graviſſimum cum civibus prælium cõmiſſum, quorum quinquaginta cæſi. Mox bona civium præmia victorum fuere. Interea ad auxilium Trajectenſes implorant, qui opem ipſis non tulere, iis, qui emiſſi erant, in via cæſis. Milites itaque mali aliquid ſubeſſe ſuſpicati ruſticorum aliquot plauſtra corradunt, iiſque prædam omnem impo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1


imponunt. Plures etiam pecorum greges abacti. Incendiſſent autem urbem niſi incolæ tanta eorum audacia perculſi magnam pecuniæ ſummam furentibus obtuliſſent. Sed anno eodem Naerdenſes junctis ſociorum viribus Trajectenſem agrum ingreſſi, validiſſima caſtella Emmeneſſiam & Weſtbroeckiam funditus delevere; commiſſoque cum Trajectenſibus prælio, mille & quingentos eorum cæcidere. E præda autem, quam opimam retulere, turrim exſtrui fecerunt, cui paucula hæc ad perennem memoriam inſcripta; SWIICHT VTRECHT, ideſt, *Trajectum infami digito compeſce labellum.*

Anno MCCCCLXXXVI tota pene Naerda fortuito incendio abſumta eſt.

Anno MDLXXII Fredericus Toletanus Zutphania capta in Naerdam, quæ Auriaco ſe permiſerat, arma movit. Naerdenſes aliò Hiſpanorum copias tendere rati legatos obviam non miſere, delicti veniam impetraturos. Quod Toletani animum haud leviter concitavit. Mox admotis ad urbem caſtris, miſere legatos, qui Naerdenſes excuſarent, quod viribus deſtituti cum Auriaco tranſegiſſent. Dedidere ſimul urbem, mali imminentis ignari. Hiſpani ingreſſi lautè à civibus excipiebantur. Mox cives in ædem ſacram convenire omnes juſſi. mæſtitia & pavor omnes obſedit. Multi, quibus Hiſpanorum perfidia multis documentis erat perſpecta, in loca ſecreta ſe abdidere, rei eventum ſpeculaturi. Alij ad ſtatum locum ſe contulere. Ibi Toletanus impium & facinoroſum animum ad inaudita ſcelera convertit. Horret animus cogitatione rerum. Vix in unum cives convenerant, cum ad unum omnes occidi juſſit. Igitur in multitudinem confertam armati proſiliere, & omnes nulla percuſſi fœderis memoria, nulla ætatis reverentia tacti trucidarunt. Mox impetu facto omnia per urbem ferro atque igne proterebant. Mariti cum uxoribus, matres, & in matrum complexu infantes proſtrati. Civium unus Hubertus Wilhelhelmi ab Eycken, faber ferrarius, in medio furentium æſtu arrepto in manum tripode, in alteram gladio ædes ſuas aliquamdiu tutabatur, Hiſpanis aliquot in limine proſtratis. Mox vulneribus aliquot cõfoſſus, deficientibus viribus in tripode conſedit, animam Deo, uxorẽ & liberos Hiſp. tradituros. Ibi lapſantẽ pene duo Hiſpani aggrediuntur, quorum exſertos in pectus ſuum gladios calloſis manibus arripuit; ſed Hiſpanis eos attrahentibus digiti ejus omnes amputati. Quo facto ſtatim confoſſus eſt. Proſilientem è pectore ejus ſanguinem manibus haurientes in filiæ, quæ nudis genibus pro patris ſui incolumitate fruſtra orabat, faciem projecere. Fuit is avus maternus Huberti Berchij, optimi & doctiſſimi juvenis, cujus indicio & induſtriæ multa in rebus Goylandicis, quas ipſe jam cõſignaverat, debemus. Sed de Lamberto Hortenſio dignum Annalium memoria eſt, quod referamus. Is Naerdenſis Scholæ Rector Hiſpani juvenis Veldanij, diſcipuli olim ſui, beneficio ex hac tempeſtate emerſit. Ita vir doctiſſimus de Hiſpano Poëta Lucano optime meritus in redhoſtimentum ab Hiſpano ſervatus eſt.

WESO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

VV E S O P V M.

VV *Eſopum. Dynaſtæ de Weſepe. Varia urbis fortuna.*

WEsopum quando conditum ſit ignoratur: Peculiares Dynaſtas habuiſſe ex tabulis iſtis Gisberti Amſtelij, quas ex Rensburgenſis monaſterij archivis deſcripſi, comparet.

*Venerabilibus in Chriſto Dominabus E. Abbatiſſæ & A. ſorori Domini Comitis Sanctimoniali totiq; Conventui in Rinsburch G. miles de Ameſtelle ſalutem & orationes in Domino. Noveritis quod gratum habemus quod ad uſum eccleſiæ redimere debetis bona de Buckiſcope, & ad renunciandum bonis illis ex parte noſtra exhibitorem præſentium Dominum Menſonem de Weſepe apud Bockiſcope conſtituimus, ratum habituri quidquid idem M. ex parte noſtra fecerit ſuper bonis prædictis tamquam per nos * libras Hollandenſium Denariorum pro redemtione bonorum illorum exhibueritis, & ad eoſdem denarios recipiendos ex parte noſtra à nobis ipſum M. conſtituimus, & præſentes litteras in teſtimonium retineatis, donec coram Domino Comite Hollandiæ perſonaliter eis renunciavimus. Datum in Nardinc. Datum Anno Domini* MCCXXXIII, IV. *Idus Februarij.*


Litteræ ſingulariæ E. Emeſſam, A. Adam, G. Gerardum M. Menſonem deſignant. Weſopum autem *Weſſe* fere appellatur in diplomatis antiquis.

Anno MCCCLVI Trajectini Weſopum incendere, bonis omnibus civium direptis.

Anno MDV Gelri, dum Trajectum obſident, Weſopum dolo capere ſunt, ſed fruſtra aggreſſi ſunt; donec anno proximo Carolus Gelriæ Dux cepit; qui tamen ipſe certis conditionibus paullo poſt diſceſſit. A quo tempore muro circumdata eſt.

Weſopum hodie cereviſiæ coctura admodum floret.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1


M V D A.

Mudæ deſcriptio, &, coronidis loco, Gratulatio Naerdenſium ad Carolum V.

MVDA ad Vechtam cum Weſopo poſita variis privilegiis ornata eſt ab Alberto Bavaro anno MCCCCIII. Hæc ad annum milleſimum trecenteſimum quinquageſimum & ſextum incendio à Trajectenſibus excitato abſumpta eſt. Inſtaurata paullum eamdem cladem anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo & quarto ab iiſdem perpeſſa eſt. Ad annum autem MDV parem cum Weſopo fortunam à Gelris accepit. Arcem habet antiquiſſimam, in quam anno MCCXCVI Florentius quintus, à Gerardo Velſeno trucidatus, delatus eſt. Quidam Florentium animam hic volunt efflaſſe. Atque ita ſe quidem Goylandia ejuſque urbes habent. Nunc Gratulatione Naerdenſium ad Carolum quintum, qui anno 1515 inauguratus hic fuit, vacuum hujus pagellæ implere viſum.

Carole Magnorum ſoboles digniſſima Regum,
Exhilarat vultus pectora noſtra tuus.
Inclyta progenies Regum, illuſtriſſime Princeps,
Et Burgundiaci luxque decuſque ſoli.
Eja age propitiis populum nunc aſpice ocellis,
Qui tibi congaudens obvius ecce venit.
Aſpice & oppidulum tanto vix hoſpite dignum,
Quod Domino totum jam patet ecce tibi.
Non hîc Gandavum, non hic Bruxella ſuperba
Quæ ſpectacla tibi ac munera magna dabant:
Non Brugæ, non hîc Antverpia mercurialis
Quæ ſpectacla item ac munera magna dabant.
Parvula ſed Nardis, Nardis paupercula bello
Preſſa diu, & flamma ſæpius uſta gravi,
Urbibus in cunctis tamen hæc (ſi dicere fas eſt)
Non eſt quæ Dominum plus amet ulla ſuum.
Divitias non hîc amplas ſpectare licebit
Sed ſpectare licet pectora fida tibi,
Pectora quæ potius mortem conſtanter obirent
Promiſſam vellent quam violare fidem.
Quod fortaſſe minus tua ſi dominatio credat,
Clarius ex ipſo hoc hoſte reſcire potes
Tum teſtes aliqui procerum qui te comitantur,
Compertum quibus hoc. namque videre datum eſt
Ergo boni obſequium hoc digniſſime conſule Princeps
Pro noſtris facimus munera nos opibus.
Qui ſummo nequeat dare maſcula thura tonanti
Ille poteſt ſalſa rite litare mola.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1


VLAERDINGA.

VLaerdinga antiquiſſimum & munitiſſimum Hollandiæ municipium. expugnatio ejus & hodierna facies.

VLAERDINGA municipiorum dicam an urbium omnium in Hollandia veterrima habetur. *Flerdlinc* fere ſcribitur in Diplomatis antiquis. Nomen habet à fluvio cognomine, cujus nihil ſupereſt, præter nudam mentionem in Egmondanorum archivis. Flaerdinga civitas totius Hollandiæ m nitiſſima olim fuit. Audi Lambertum Scafnaburgenſem ad annum 1047. *Henricus*, inquit, *Imperator exercitum navalem per Rhenum duxit in Friſiam contra Godefridum ejuſque adjutorem Diedericum, ibique duas* VRBES MUNITISSIMAS CEPIT, RINESBURCH & FLEERDINGEN. Nihil clarius. Quibus accedit, quod Didericum Quartum ejus nominis Hollandiæ Comitem *Flaerdingæ Marchionem* diſertim appellet Contractus. De quo loco, vide quæ nos primo hujus libri capite fuſſe diſſeruimus, & eleganter ſcripſit Ianus Douſa lib. VI. Holland. Annal. Et anno Domini MCCXVII VVilhelmum primum ejus nominis Comitem è portu Vlaerdingano in terram Sanctam cum magnis copiis ſolviſſe, diſertim teſtatur Godefridus Monachus S. Pantaleonis, coætaneus illorum temporum. Verba ejus ſic ſonant, *Item Wilhelmus Comes Hollandiæ & Georgius Comes de Wiede cum aliis Cruceſignatis Teutoniæ ad terram ſanctam navigio proficiſci deſiderantibus; ſuper unum de nobilioribus terræ fluviis fluvium Moſam congregati ſunt apud* FLERDINGA.

Vlaerdinga hodie in abjectiſſimi viculi formam redacta eſt; particula tantum quædam minutiſſima veteris illius Vlaerdingæ, de qua jam diximus. Iam pagus eſt, quæ Troja fuit. Atque hoc ſuum decrementum non niſi ab infeſto vicino ſuo, Moſæ inquam gurgitibus, accepit. Laborat annalium fides ut Vlaerdingam fuiſſe credamus, quod de Veiis ille olim dixit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

HAGA-COMITIS.

H*aga-Comitis quando Comitum palatio ornata. Viri illuſtres. Hagæ elogium.*

HAGA Comitis Hollandiæ Aula à Wilhelmo ſecundo Romanorum Rege anno 1250, cohoneſtata eſt. Vocabat eò loci commoditas cum ſumma amænitate conjuncta; *Hagæ*, inquit Snoyus lib. VII, *aulam magnificam ac multum amœnam fecit, ad quam Tribunal forumque judiciale Graveſanda tranſtulit magis ad pulchritudinem & amœnitatem, ut dixi, quam munitionem fabricatam, vivario latiſſimo & viridanti ripa, tum ilicibus frondoſis nec non vicino nemore ad deambulandum venandumque opportuno.* Palatium regia quadam forma conſtructum eſt; in quo tignorum ligna neque caries aut putredo abſumit, neque araneæ telis ſuis fœdant. Eadem habet Iohannes Gerbrandi Leydenſis, qui Coætanei ſui Poëtaſtri elegiam, quà Hagam comendavit, adjungit. Quam nos non verſuum, qui ineptiſſimi ſunt, ſed rei cauſſa ſubjungemus

Salve Villani a *Comitis decus, Haga vocata,*
Villarum ſplendor, gloria & honor.
Haga minus cauſſa Comitis ſine diceris æqua,
Ab re illud nomen non fuit impoſitum.

a lege. *Villa tui.*

Pax b *fuit hoc olim Comitis qua* c *manſio noſtri,*
In te continue ſemper & eſſe ſolet.
Omne voluptatis genus & ſolaminis in te,
Lætitiæque voles ſi reperire, vales.
Non à littoribus diſtas longeque marinis,
Quippe tuum pulchrum quiſque d *ſit eſſe ſuum.*
Villa vocare licet pleraſque tamen præis urbes,
Divitiis, opibus, rebus & ingenuis.
Credo quod toto non villa ſit orbe reperta
Major te, aut melior, pulchrior, uberior.
Hæc tibi jure dari poterunt præconia laudum,
Urbibus, Haga, aliis quæ dedimuſque locis.
Exſtat adhuc antiqua domus Regalis & aula,
Qua Comes eſt ſolitus noſter habere moram.
Atria nobilium ſimul alta palatia avorum
In te ſunt noſtræ multa locata plagæ.
Inter cuncta tibi quæ ſunt digniſſima laude
Clarius hoc unum dignius atque puto:

b Malim, *Nam.* c Reſcribo, *quia.* d Scribo, *ſcit eſſe ſitum.*

Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Quod tibi cunctarum nemus adſtat delitiarum,
Pulchrius haud alio quo reor eſſe loco.
Si foret Orpheus mecum lepor atque Maronis
Muſa poëtarum principis & capitis,
Si tuba Lucani muros qui condidit altos,
Noſtri [a] *Boccheau * tradita cura foret,*
Si mihi Franciſci triplex doctrina Petrarchæ
Naſoniſque datum ſi mihi [b] *docta foret,*
Si mecum Cicero, Flaccus, Juvenalis & eſſent
Littera quos celebres clara deditque graves.
Non poſſem laudes meritas componere Sylvæ
Quæ quam ſit variis pulchra & amœna locis.
Iam tibi villarum mundi pulcherrima ſantur,
Haga vale, gracili voce decora vale.

[a] forte *Boccaci.* [b] emendo, *dogma.*

Aula itaque & palatio exſtructis Nobilium plures Principem ſecuti ſedes ſuas hic fixere. Exſtructæ ab illis ædes ampliſſimæ, interque alias Brederodiæ, quæ in Hagienſem curiam nunc converſæ. Adnexa mox palatio capella, in qua Comites aliquot conditi.

Anno MCCCXCIX Ædes Parochialis ab Alberto Bavaro hic excitata eſt. Cujus uxor, in Voorhouta, ut vocant, ampliſſimum fratrum Prædicatorum Ordinis S. Dominici monaſterium cum æde ſacra elegantiſſima, quæ *de Clooſter Kerck* hodieque nominatur, à fundamentis exſtrui fecit.

Hagam patriam habent

Iohannes Secundus. Patrem habuit Nicolaum Everardum, Curiæ Machlinienſis Præſidem, integerrimum & doctiſſimum virum. A quo ut & præceptoribus jamprimum ob infantia in omni diſciplinarum genere excultus eſt. Promptiſſimi & amœniſſimi ingenij fuit. In Galliam contendit, ibique juriſconſultorum Principem Andream Alciatum audivit; qui quanti Secundum fecerit elegantiſſimis Epigrammatis oſtendit. Doctrina ſua & morum elegantia magnos infimoſque in amorem ſuum traxit. Paullo IV Pontifici à litteris, Archiepiſcopo Toletano à ſecretis fuit; maximis poſtea in patria apud Trajectenſem Antiſtitem & alibi dignitatibus functus. Pictor fuit & cælator eximius. Sed hæc parva, præ vena illa poëtica, qua adeo floruit, ut merito cum veteribus cõponi, imo aliquos eorum vincere judicetur. Quid cum BASIIS comparandum? in quibus omnes elegantiarum & venuſtatum numeros abſolvit. Sed illuxit tantum orbi præclarum hoc ingenium; non ſtetit. Prima enim ætate exſtinctus eſt, annos natus viginti & quinque. Sepultus eſt Tornaci in D. Amandi, ubi hoc ejus monumentum olim legebatur;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

IOANNI SECVNDO HAGIENSI BATAVO ICTO, ORATORI AC POETÆ CLARISSIMO; FINGENDI QVOQVE AC SCVLPENDI LAVDATISSIMO ARTIFICI: QVI PRIMVM IN HISPANIIS IOANNI TAVERÆ, TOLETANO CARDINALI; DEINDE IN PATRIA ILLVSTRI GEORGIO AB EGMONDA, TRAIECTENSI PRÆSVLI, ET HVIVS LOCI PRIMATI, AB EPISTOLIS ET SECRETIS FVIT: POSTREMVM AB CAROLO V. IMP. AVG. ACCERSITVS, VT EAMDEM DEINCEPS APVD SE FVNCTIONEM OBIRET, IMMATVRA MORTE RAPTO, MATER, FRATRES, AC SORORES TRISTISSIMI DESIDERII MONVMENTVM POSVERVNT.

VIXIT AN. IIII ET XX. MENS. X. DIES. X. OBIIT ANNO AB RESTITVTA SALVTE. D. XXXVI. VII. KALEND. OCTOB.

Cætera Secundi Elogia habes in nupera Scriveriana editione.

Iuſtus Velſius Medicinæ Doctoratu ornatus eſt Lovanii anno cIↃ IↃ XLII. Plurima ſcripſit, quibus Philoſophiam & Medicinam illuſtravit.


Guilhelmus Gnaphæus, alias *Fullonius*, Alberti Marchionis Brandenburgici conſiliarius fuit. Inter Comicos famam & locum meruit.

Petrus Cornel. Brederodus magni nominis Iuris Conſultus. *Dionyſio Gothofredo* & affinitate & ſtudiorum genere familiariſſimus fuit. Illuſtria ingenij ejus monumenta, quibus Ius civile illuſtravit, paſſim exſtant.

Cæterum Hagæ elogium ejuſmodi circumfertur.

Britannia orbis terreni inſularum, Nilus fluminum, Haga hæc Comitis univerſæ Europæ pagorum maximus prædicatur: uſque adeo, ut hac laude contenti incolæ muro circumdari jam olim noluerint. Celebris omnino locus, ſitu optabili, jam pridem principibus ſuis Hollandiæ Comitibus adeo gratus & acceptus, ut & ab eis nomen acceptum præferat, & curia ibi erecta ſumma, Hollandis omnibus jus dicat, & iidem Comites antiquitus non unum ibi conventum ſuorum ordinum & ſubditorum celebrarint. Reliqua, ut in tanta brevitate, attingere ſuperſedemus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

DELFSHAVIA.


DElſshavia quando condita. ejus forma.

DELFSHAVIA idem eſt quaſi dicas *Delfo-rum portus*. Albertus Bavarus circa annum MCCCCIV Delfenſibus ob navatam ſibi ſtrenue operam portus ejuſmodi ex Overſchia uſque in Moſam deducendi poteſtatem indulſit. Atque hoc primum hujus loci initium fuit.

Anno MCCCCLXXXVIII Hoexij extorres, Duce Franciſco Brederodio, Delfhavjam ingreſſi Rotterodamum penetrarunt, quo capto, Delfhaviam incenderunt, Buſis aliquot halecariis abſumtis.

Municipium ædibus pluribus jam excultum eſt. Navigationibus præcipue floret. Portum commodiſſimum habet ad Moſæ oſtium. Buſæ plures halecariæ quotannis hinc ſolvunt. Stationem propriam iſtæ habent, *Buyſſe-gat* dictam. Curiam & Eccleſiam conjunctas habet non adſpernandas. Aggeribus denſiſſimis munitum eſt. Ab hac parte certe Aggeres tres ſunt, quorum primus *Agger portus*, ſecundus *Marinus*, tertius *Mateneſius* vulgò nominatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

BEVERVVICVM.

B*Evarvicum olim S. Agathæ fanum dictum. Bina ejus incendia.*

BEVERWICUM olim *S. Agathæ fanum* dicebatur, ut Chronographus popularis & Heda docent. Ejus nomenclaturæ veſtigium adhuc exſtat in via iſta, quæ *S. Agathen wech* vulgo appellatur. Sed & Bevervicum *Agathenkircka* nominatur in diplomate Wilhelmi Epiſcopi Trajectenſis ad annum MLXIII. Vbi legere eſt iſta verba.

Sed à Theodrico Comite, & filio ejus Theodrico, fratreque ejus Florentio invaſæ (nempe *Flardinge, Kirckwerve, Velſeneburch, Heilegelo, Pethen,* de quibus in ſuperioribus egit, & *matres Eccleſiarum* appellat, ut & hinc illorum antiquitatem & dignitatem ſit æſtimare) *atque propter continuam bellorum ſeditionem omni Epiſcopali jure neglecto in poteſtatem Epiſcopi Synodali auctoritate redactæ fuerant cum capellis infra nominatis : Harago, Schro, Rineſburg, Warmonde, Liethemuthon, Rinſaterwald, Aſclekerwald, Agatenkyreca, Hemerzenkireca,* nunc Heemskerck, *Aſcunanmedilf,* nunc Aſſendelf, *Spenerewald,* nunc Sparnevvoude, *Sloten, Ecmunde Alcmare, Scirmere, Aliſuen, Woggingen, Aldenthorp, Wenlo,* &c.

Beverwici autem nomen inditum eſt, à frequentibus peregrinationibus, quæ precum concipiendarum cauſſa huc inſtituebantur. Id *Bevaerden* Belgæ noſtri appellant.


Anno MCCXCVIII, die S. Martino ſacro Iohannes primus ejus nominis Hollandiæ Comes Opidanis Beverwicenſibus varia jura, variaſque immunitates præſcripſit; idque flagitante Wolphardo à Barſſele, Dynaſta Zandenbergenſi, qui Beverwico tunc videtur præfuiſſe, quoniam tertia fere mulctarum pars eidem adſignatur. Articuli ad unum omnes ſunt LXVII.

Circa annum MCCIII Ludovicus Loſſenſis, accepta in uxorem Ada Theodorici filia, Beverwicum incendit.

Circa annum MCCCCLXXXV. Albertus Saxoniæ Dux in tumultuantes Kinheimarios movens cum aliis aliquot pagis & arcibus Beverwicum etiam incendit.

Beverwicum duobus milliaribus Harlemo diſtat. Portum commodiſſimum habet ad oſtium Maris Wijckani, vulgò, *'tWijcker-meer.* Viridaria ibi amæniſſima habentur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

GOEREA.

G*Oereæ deſcriptio.*

VRBS Goerea inſulari forma poſita, ita nominata eſt, quod naves, quæ Moſam ingreſſæ erant, Vorniam inter & Inſulam commodàm hic ſtationem haberent. *Reeden* enim nihil aliud veteribus Belgis notat, quam naves ad mercatum probe inſtruere. Navigationibus autem & commerciis urbs hæc ad invidiam olim floruit. Nunc hinc obſtructo portu, inde infeſtum ſibi oceanum habens, longe à priſtino illo ſplendore decrevit. Dum chartas Monaſterij Rhenſburgenſis excuterem notavi *Dynaſtam de Gouree* nominari. Quod an huic loco adſcribendum ſit non auſim adſeverare. Fuit cum Gorea Zelandiæ adnumeraretur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

GEERVLIETA,

ET

HEENVLIETA.

AD *Vornam inſulam Paralipomena.* Briela *quaſi* Breehiela. *Helium Rheni oſtium.* Widela *fluvius nunc primum erutus à Cl. V. P. Scriverio; idemque cum Helio eſſe oſtenditur. Geervlieta & Heenvlieta Vorniæ municipia dicam an oppidula.*

PRIVSQVAM ad Noorthollandiæ deſcriptionem ab auſtrali hac ſemita devortar, placet de Vornia ejuſque antiquitatibus quædam hic attexere, quæ à Cl. Scriverio edocti ſumus, ſupra à nobis prætermiſſa. Diximus pagina hujus operis 301. *Brielam* quaſi *Brebeliam* ab Helio famigerato illo Rheni oſtio videri denominatam ex conjectura Cluveri; quem tamen hauſiſſe comperior ex politiſſima Hadriani Iunij Batavia, quam inſignita audacia paſſim perſtringit, & tamen fruitur, ita ut in ipſum belle Hercules illud Martialis quadret, *Nam tunc mea carmina carpis, Cum pilas.* Adſcripſimus inquam Cluvero, quæ Iunio erant tribuenda; cujus verba digniſſima nobis viſa ſunt, quæ hic legerentur ex Brielæ Vrbis deſcriptione petita. *Nomen non abludit ab Helio Pliniȷ, ut fortaſſis ob latitudinem oſtij*, Bre-Hiela, *tamquam* latus Helius, *vulgari voce corrupta, appellatum ſit. Oppidum iſtud cum Geervlieto altero oppidulo in Verna inſula ſitum eſt.* Cui conjecturæ Iunianæ favet altera acutiſſimi Scriverij, qui me monuit, cum hæc ſcriberem, ſe apud auctorem, qui Chronicon Rhythmis vernaculis concepit, & hactenus Anonymus, in ejuſdem membranis Melior Stockius nominatur, obſervaſſe fluvium illum, qui Voornenſem inſulam, & in ea Geervlietum præterlabitur, *Wydelam* diſertim nominari in Geſtis Iohannis Hannonij ad annum 1303. Vbi verſus & verba ſunt;

Nu moghedi hooren en verſtaen,
Hoet in Hollandt is vergaen.
Nae dat gheſchiede deſe plaege,
Des Woenſdachs in die Paeſſchdaghe,
Voeren die Vlaeminge te Hollant waert.
Wat hen geſchiede in die vaert,
Moghedi verſtaen, wildijt hooren.

Heer

*Heer * Ghye ſende boden voren*
Jn den landen haren taren
Tot al den lieden: wie dat waren,
Diene ontfingen over here.
Hine beſweke hem nemmermere;
Waer oec yement die anders dochte,
Hi ſouden ſcenden waer hi mochte.
Dus ontboet hi in dat lant,
En voer liggen al te hant
Jn die Wiedele *voer* Gheervliet.
Al Noorehollandt conde niet
Dat ghevinden te wederſtaene, &c.

* Guido Comes Flandriæ, jam occupata Zelandia.

Wijdelam hanc Scriverius quaſi *Wijde Heelam* id eſt, *latum Helium* feliciter interpretatur. Adeo ut de Helij Pliniani ſitu, qui illuſtriora Belgicæ ingenia diu hactenus exercuit & vexavit, diutius quærendum, aut dubitandum amplius non ſit. Plinij verba ſunt Natural. Hiſtor. lib. IV. cap. XV. *In Rheno ipſo propè centum millia paſſuum in longitudinem nobiliſſima Batavorum inſula, & Canenifatum, & aliæ Friſiorum, Cauchorum Friſiabonum, Sturiorum, Marſatiorumque ſternuntur inter Helium & Flevum. Jta appellantur oſtia, in quæ effuſus Rhenus, ab Septentrione in lacus, ab occidente in amnem Moſam ſe ſpargit; medio inter hæc ore, modicum nomini ſuo cuſtodiens alveum.* Flevum, Rheni oſtium quod attinet, abunde apud omnes conſtat. Hodie *Vlie*, tractumque ejus *Vlielant* appellant; in vita S. Bonifacij *Flebe* nominatur. Helius autem iſte Plinianus, non alius eſt, quam iſte, qui nunc & olim Moſæ, apud Rhytmographum vero *Widelæ* nomine Geervlietam præterlabitur. Adeo ut inter hujus Helij, & illius Flevi terminos Bataviæ Plinianæ ejuſque populorum limites certum jam ſit debere includi.

Geervlieta veterrimum & præſtantiſſimum totius Hollandiæ municipium eſt, ubi anno 1300 Nicolaus Puttenus, loci dynaſta, Collegium decem Canonicorum excitavit. Vectigal Hollandiæ Comitum celebratiſsimum hic olim fuit; ab Imperatore Romano Dynaſtis Puttenis olim conceſſum. Antiquiſsimum eſſe ex diplomatis publicis conſtat. Muris olim circumdata fuit, qui temporum injuria disjecti.

Huic adjacet *Heenvlieta*, privilegiis municipalibus ornata, & annuo equorum mercatu celebris. Dynaſtam nunc agnoſcit nobiliſsimum & ſplendidiſsimum virum Iohannem Polyandrum, qui arcem vetuſtate collapſam in meliorem & ampliorem formam nunc excitavit; præfixa ejuſmodi tabella, è qua loci dignitatem & antiquitatem facile ſit æſtimare.

POSTERITATI

IOH. POLYANDER

Iunior. ſuo. &. uxoris. ſuæ. nomine.

Heenvlieta. territorij. Vornani. membrum. Theoderici. quondam. toparchæ. Vornani. peculium amœniſſimum. & clientelare. ejuſdem. Toparchiæ. beneficium a. Theoderico. ad. Hugonem. filium. ultimis. ceris. pervenit. anno. ſalutis CIↃ CCLIII *annuente. fratre. ipſius. Henrico. Domino.Verniæ*

Titulum. liberæ. toparchiæ. anno. CIↃ CCCCXLV. *&. jus. civitatis. anno.* CIↃ CCCCLXIX *a. Carolo. Burgundo. indepta. approbante. Carolo. V. totoque. Hollandiæ Senatu. anno.* CIↃ IↃ XXXI

Extincto. tandem. Vornano. ſanguine. virili. unica. præpotente. filia. tantumnum. ſuperſtite. Connubio. ad illuſtres. Barones. Cruningiæ. tranſijt. in. eademque. nobiliſſ. familia. permanſit

Donec. anno CIↃ IↃCXXVII. *ad. Johannem Kerckhoven. cognomento. Polyandrum. ejuſque. conjugem. Annam. Veſekiam. emptione. devoluta. eſt.*

Iidem. Arcem. vetuſtate. collapſam, ac. temporum. injuria. deformem. in. meliorem. faciem. opere cultuque. reſtituerunt. Domumque. hanc. ære ſuo. ad. ornatum. Municipij. ſui. addi dedicarique. juſſerunt. anno. CIↃ IↃCXXXII.

OPVS. FORTASSE-AN. DVRABILE. NON. ÆTERNVM.

Vornia. Principibus. quondam. poſſeſſa. Batavis,
Sed minor hanc tenuit frater: an ergò minor?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

WEST-FRISIA

SEV

NOORT-HOLLANDIA.

Zz 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

ALCMARIA.

Alcmaria. Adgildi fabula exploſa. à quo urbs jus municipale adepta. Bella cum Friſiis. Varia Vrbis Fortuna. Viri clari.

ALCMARIA inter antiquiſſima Hollandiæ opida habetur. Quando & à quo condita ſit variis ſententiis certatur. Adgildum ſecundum ejus nominis Friſiorum Regem, qui patri Radbodo anno DCCXXIII ſucceſſiſſe dicitur, ejus conditorem faciunt illi, quorum unicum ſtudium eſt ad fabuloſas & febriculoſas origines civitatium initia referre. Inter eos eſt Martinus Hamconius, cujus de Adgildo verſus ſunt;

Condidit Alcmariam vicinam pene Veronæ
Occiduæ emporio Friſiæ; cui claſſe Britanna
Appulit, undenis cum millibus, Vrſula Virgo.

Longiores fabulas alij nobis hic contexunt; nempe *Alteuam* urbem primitus dictam fuiſſe; quod anonymus quidam Veronenſis Princeps, civibus Verona diruta excedentibus, aliaſque hoc in loco ſedes quærentibus reſponderit, *alte nae*, quo deſignaverit, alio commigrandum eſſe, nec urbem prope Veronam amplius excitandam eſſe. Sed pudet iſta pluribus commemorare, quæ ſuperiore ſæculo aſſertores ſuos habuere. Non opus eſt hic ad ejuſmodi aretalogorum ſomnia diverti. Alcmariæ antiquitatem bella olim cum Friſiis ſortiter geſta abunde ſatis teſtantur. Habent annales Alcmariam jam tum temporibus Diderici ſecundi à Friſiis poſt acerrimum conflictum incenſam. Anno etiam MLXXII cum Godefridus cognomento Gibber poſt Weſtfriſiam omnem in poteſtatem ſuam armis redactam, opimam, quam conſecutus erat, prædam Alcmariæ condidiſſet, Friſij eductis ingentibus copiis urbem duos menſes acriter obſedere. Sed mox Godefridus accepta Trajectenſium ope, & civium præſidio nixus, commiſſa cum Friſiis acie octo millia eorum ad internecionem cæcidit. Sæculo fere poſt, nempe ad annum MCXXXII Friſij, Duce Florentio Nigro, qui Diderici VI filius erat, elatis animis Alcmariam expugnarunt, urbe igne atque ferro funditus abſumta. Paullo etiam poſt, iterum à Friſiis Alcmarienſes obſeſſi ſunt, qui tamen, duobus ſuorum millibus relictis, repulſi ſunt. Idem poſtea ſemel, iterum, & ſæpius factum. Sed repreſſus paullum Friſiorum impetus ex quo Wilhelmus Romanorum rex arcem munitiſſimam Thorenburgum dictam prope urbem excitavit. Factum id circa annum MCCLV. Multum eo nomine Wilhelmo debent Alcmarienſes, à quo & jure municipali ornati ſunt. Florentius quintus ad majorem civium ſecuritatem aggerem ab Alcmaria uſque ad extremos Weſtfriſiæ fines magnis im-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

impenſis exſtrui fecit; in quo à inhibendos Friſiorum in Hollandiam inſultus Nienburgum & Middelburgum arces excitavit.

Anno MCCCVII Arnoldus primus Iſelſteinij Dynaſta foſſam ab Egmonda Alcmariam uſque deduci fecit.

Anno MCCCXXVIII Vrbs cum eccleſia fortuito incendio conflagravit. Anno autem MCCCLXXXII Ædes D. Matthiæ ſacra Laurentij eccleſiæ adſtructa eſt; quod ipſum, ut & alia quæ ſacram ædem concernunt, indicat ode Alcaica tabellæ penſili, quæ in eadem hac æde legitur, inſcripta;

MEMORIALE HVIVS TEMPLI.

Hic fana quondam Diis patriis ſacra
Struxit vetuſtas, ſollicito pecus
Cædente votivum colono,
Vt veteres meminere faſti.
At delibuta ſanguine victima
Inſontis agni protinus impias
Delevit aras, cum prophano
Inferias celebrante myſta.
Ædemque Chriſti cultibus unici
Partæ ſalutis arbitri idoneam
Devotio Laurentianis
Poſtera martyriis dicavit.
Quæ Friſiorum (nam nihil arduum
Sanctumve Marti) ſæpe voracibus
Subjecta flammis heu nephas! heu!
In cineres abijt ſolutos.
Sed reſtitutæ contiguum modo
In ſancti honorem limen Apoſtoli
Junctum Matthiæ eſt, qua procellas
Imbrifero vomit Auſter ore.
Hinc ſemper, alta ut præcipiti ſolent
Librare caſu, nobilis impetu
Divulſa templo antiquiori
Preſſit humum crepitante turris.
Demumque edaci temporis orbita
Rotante verſas ſuſque ſecus vias
Hoc pro ruinoſis ſacellis
E ſolido poſitum lacunar.
Saxo columnis perſpicuum arduis
Cæloque picto ſerviat ut ſacræ
Rerum creatoris tyaræ:
Magnifici arbitrio ſenatus.

Anno MCCCCXLVIII monaſterium fratrum Minorum Alcmariæ condi cœptum eſt, quod anno 1572 penitus exciſum eſt.

Anno MCCCCLXVII fratrum Carmelitarum Cœnobium hic excitatum eſt.

Anno

Anno M CCCC LXVIII turris ædi S. Laurentij impoſita, necdum tamen affecta, pondere ſuo oppreſſa concidit. Tantæ altitudinis fuiſſe perhibetur, ut Phari loco nautis mare ſulcantibus eſſet.

Anno MCCCCLXX veteres duæ ædes ſacræ disjectæ, è quibus una ampliſſimi operis fabricata.

Anno M CCCCXCII Caſembrotij, de quibus in Harlemi deſcriptione fuſius diximus, magnos Alcmariæ motus excitavere.

Anno M D IX Curia elegantiſſima cum Sagittariorum hortis, & ponte lapideo hic exſtructa eſt.

Anno M D XVII Gelri cum Friſiis ſubito ingreſſi, bona omnia civium per octiduum diripuerunt. Quo facto diſceſſere. Nec longe poſt Alcmarienſes poteſtatem novi valli & propugnaculorum exſtruendorum impetrarunt.

Anno M D L X prima Salendina Alcmariæ exſtructa.

Anno M D LXXII aucta urbis pomæria novaque ipſi propugnacula adjecta ſunt.

Anno M D LXXIII Hiſpani, capto Harlemo, Alcmariam acriter obſedere. Sed Toletanus civium fortitudinem & in ſuſtinendo impetu conſtantiam conſpicatus, obſidionem ipſe ſolvit. Quo intellecto Alcmarienſes magno animo egreſſi poſtremo ejus agmini graviſſimum intulere detrimentum.

Alcmaria edidit *Petrum Nannium*; virum in omni diſciplinarum genere verſatiſſimum; qui Lovanij dignus judicatus eſt, qui in Collegio trilingui in defuncti Conradi Goclenij locū, ſubſtitueretur. Infinitam ejus lectionem & induſtriam ſcripta ejus pene infinita, quæ paſſim exſtant, ſatis loquuntur. Obiit Lovanij anno 1557, ſepultus in D. Petri, ubi hoc meruit monumentum.

D. O. M. S.

D. Petro Nannio Alcmariano, Presb. & Canonico Atrebatenſi, viro doctiſſ. humaniores litteras in celeberrimo collegio Buſlidiano XVIII *Ann. profeſſ. Sigiſmundus Frid. Fuggarus Baro in Kirchberch & Viana, B. M. & amico paterno memoriæ & virtutis ergo, juſſu parent. opt. poſ. Vixit ann.* LVII. *Obiit anno* M.D.L.VII, *die* XXI. *Iulij.*

Nannius Alcmariis fuerat qui natus in oris,
Tectus arenoſo conditur ecce loco.
Heu quanta probitate virum mors invida ſtravit?
Heu quantum noſtro ſuſtulit orbe decus?
Hunc coluere olim Græcæ Latiæque ſorores,
Hunc fovit gremio doctus Apollo ſuo.
Hunc ſtudioſa cohors ſæpe eſt mirata docentem,
Mirata eſt tanti labra diſerta viri
Et nunc qui toties veterum monumenta relegit,
Qui toties cecinit carmina priſca, tacet.

Petrum Foreſtum è nobili apud Batavos Foreſtana ſtirpe oriundus, medicus fuit incomparabilis, ut ſcripta ejus teſtantur. Vivere deſijt anno cIↃ IↃVII.

Bernardum Deſſennium medicum item ſcriptis in vulgus editis clariſſimum. Alcmaria hodie ſitu, operibus publicis privatiſque, viridariis amæniſſimis, & commerciis præſtat.

SCAGA.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

S C A G A.

Scagæ deſcriptio. quando municipali jure donata. Ejus Dynaſtæ. Soli fertilitas.

SCAGA illuſtre & præclarum Hollandiæ Municipium eſt; colonia, quantum conjectura aſſequi licet, Danorum, qui ex ejuſdem nominis opido progreſſi huic loco & originem & nomen ſuum dederint. Alcmaria trium leucarum intervallo, ac totidem Medenblico diſtat. Dynaſtæ ejus originem debent Adelberto Bavaro, Lodovici Imperatoris ex Margareta Hannonia Filio, Comiti Hannoniæ, Hollandiæ & Zelandiæ, qui Guilhelmum filium ſuum naturalem legitimatum per Papam Nicolaum Scagenſis dominij titulo inſignivit, adjectis proximis 4. pagis Verninghorn, Harnichuyſen & Colhorren, quibus poſtmodum Burchoren acceſſit. Burchorenſis quidem ditiuncula ſumtibus Guilhelmi, primi Scagæ Domini exaggerata; & *Niu-landt*; ſeu Terra nova appellata eſt. Sita juxta S. Martini pagum, in inſula vulgò dicta *de Rijpe*. Scaga autem jura, privilegia, & immunitates municipales conſecuta eſt à Guilhelmo Hannonio; anno Domini 1415. In toto hoc diſtrictu mero mixtoque imperio (noſtratibus *Hooge Heerlijcheyt*) utuntur fruunturque Scagenſes Dynaſtæ. qui ipſi inter Nobiles & Equeſtrem Ordinem jam olim ad publica Hollandiæ Ordinum Comitia admittebantur. Aluit ſemper familia hæc viros domi militiæque inſignes, alitque hodie Albertum, virum nobilitate, & humanitate illuſtrem. Incolæ facili ſunt ac promto ingenio, & quod mireris, nullum pene Weſtfriſiæ opidum eſt, in quo ad clavum Reipublicæ non ſedent aliqui Scagenſes. Municipium amœnitate & elegantia præ reliquis Hollandiæ commendatur. Ædes publicas & privatas longe plurimas habet. Eccleſiã, in qua ſpectandum ſe offert Dynaſtarum Mauſolæum, opus prælustre, & inſigne. Forum ampliſſimum eſt, cui adjacet curia non adſpernabilis. Orphanotrophium quoque habet, pupillorum pupillarumque uſibus dicatum. Arx, Dominorum ſedes, municipium proxime contingit, ut proſpectu & ſitus commoditate amæniſſima, ita etiam opere valida. Ager circumjectus non Hollandia modo, ſed tota pene Europa fæcundiſſimus eſt. Illud conſtat, terræ ingera, quæ *Morgens* vernacule appellantur, ejuſdem magnitudinis duplo majoris hic, ob bonitatem & fæcunditatem, quam in reliqua Hollandia & vendi & æſtimari. Nec prætermittendũ eſt illud, arborem hoc in loco ſtetiſſe, è cujus fructibus uno eodemque anno florenos noſtrates centum lucratus eſt dominus. Ovis etiam hic nata eſt & educata, quæ, vili annona, totidem pene florenis divendita & æſtimata fuit. In cujus rei ſempiternam memoriam effigies ejus in publico Amſtelodamenſium macello dicata eſt atque ſuffixa. Et ne quis fictum hoc exiſtimet, vidi & tractavi litteras, quibus pro rei veritate auctoritas publica ſe obſtringit. In quo ſi fallam non ſit mihi in poſterum propitia magis fides.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

HORNA.

Horna unde dicta. Varia ejus fortuna, & privilegia. Viri illuſtres.

HORNA Alcmariam proxime contingit. Nomen ipſi factum opinor à ſitu, ſive quod portus, qui primum urbis auſpicium fuit, inflexu ſuo cornu formam referret, ſive quod ad angelum, quem *Horn* veteres Belgę vocāt, auſtrini maris civitas poſita ſit. Vnde factum ut Heda, qui pro vernaculis Romana fere nomina opidis imponit, Hornam Angulum non ſemel vocarit. Prima ejus, ut aliarum pene omnium civitatum, initia à portus commoditate fuerunt.

Circa annum MCCCXXIII prima parochialis eccleſia è ligno Hornæ exſtructa eſt, atque D. Cyriaco inſcripta. Verum ſexennio poſt fulmine tacta, tota conflagravit.

Anno MCCCXLI florentibus magis magiſque commerciis Hornani *Novum Aggerem* à Marino aggere, uſque ad oſtium portus ſui duxere, ad quem majores naves, quas portus non capiebat, appellerentur.

Anno MCCCLVI Wilhelmus Bavarus Hornanis, ob prælustria eorum in ſe merita, varia privilegia donavit, eaque præſertim, quæ jam à Florentio quinto Medenblicenſibus conceſſa erant, anno MCCLXXXVIII. Novis aliquot de *opidanorum*, ut vocant, *receptione* adjectis.

Anno eodem idem Wilhelmus ſollennes litteras Hornanis indulſit, quibus, præter alia, eos ab omnibus durante inter ſe matremque ſuam bello patratis abſolvit.

Anno MCCCLXIX. Nova ædes SS. Iohanni Baptiſtæ & Cyriaco ſacra magnis incolarum impenſis formâ ampliſſima excitata eſt.

Anno MCCCLXXXV Cœnobia duo, quorum unum fratrum ordinis S. Ieronymi, alterum S. Agnetis dictum condita.

Anno MCCCLXXXVIII Monaſterium Regularium juxta Vrbem exſtructum; quod poſtmodum ita crevit, ut inter elegantiſſima & ditiſſima totius Belgij haberetur.

Circa annum MCCCLXXXIX Boum, qui magno numero è Dania & circumjectis regionibus advehebantur, mercatus Hornæ florere & frequentari cœpit.

Anno MCCCXCVIII Albertus Bavarus Hornanis, ob præclaram ſibi adverſus orientales Friſios navatam operam, varias immunitates conceſſit; Inter alia à Telonio Sparendamenſi & Heuſdano liberos eos pronunciavit.

Anno MCCCC, & duobus proxime conſecutis, Monaſteria tria, SS. Catharinæ, Ceciliæ, & Gertrudis à fundamentis Hornæ constructa. Octennio poſt S. Mariæ Cœnobium fundatum eſt.

Anno MCCCCVIII pagi aliquot, *den Venhop* vulgo dicti, è Medenblicani Balivi poteſtate ſub Hornani Magiſtra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

tus juriſdictionem benificio Wilhelmi Bavari, cujus litteræ in eam rem exſtant, redacti ſunt. Nomina eorum ſunt; *Berckhout, de Gooren, Avenhorn, Myſen, Oudendÿck, de Beets, Groſthuyſen, Scharwoude*, præter *vicinias*, quas vocant, complures.

Anno MCCCCXXVI Hornani, indicto Iacobæ Bavaræ bello, civitatem ſuam vallo circumdedere. Atque ita Horna inter Weſt-friſiæ civitates poſt Alcmariam prima eſt, quæ vallo munita eſt. Interea Kinheimarij Iacobæ partes ſequuti Duce Wilhelmo Nagelio, univerſam Weſtfriſiam populati ſunt. Poſt quæ Hornam obſederunt. Cives ſemel iterumque cum ipſis conflixere, nunc proſpera, nunc adverſa fortuna uſi: donec Lileadamus Dynaſta cum copiis urbem ingreſſus eſt. qui aſſumtis ſecum civium præcipuis acerrimum cum Kinheimariis prælium commiſit. quo Kinheimarij victi & fugati ſunt.

Circa idem tempus Ædes S. Mariæ ſacra exſtrui cœpta eſt.

Anno MCCCCXXXVI Philippus Burgundus, cognomento bonus, qui Iacobæ jam ſucceſſerat, Hornanis de ſe & Republica durantibus ſub Iacoba motibus præclare meritis pagos *Woggenom, Watweyde, Nuboxwoude*, & *Oudeborwoude* ſubjecit.

Anno MCCCCXLI Hornani cum Enchuſanis validam Ooſterlingorum, quos vocant, claſſem ceperunt. Atque ita finem graviſſimo illi bello impoſuere, quod Hollandos inter & Ooſterlingos erat exortum.

Anno MCCCCXLVI Hornani forum tertium anniverſarium, S. Laurentij die celebrandum, impetrarunt.

Anno MCCCCLII, Philippus Burgundus quartum conſulem ex tribus his, qui ſuperiore anno eodem munere functi erant, creandi, ſollennibus in eam rem litteris Teneramondæ Flandrorum datis, poteſtatem fecit.

Anno MCCCCLXIV Cœnobium S. Mariæ Magdalenæ dictum excitatum eſt.

Anno MCCCCLXVIII Monaſterium S. Claræ exſtruitur.

Anno MCCCCLXXXI Horna gravi incendio correpta eſt, & magna pars civitatis abſumta.

Circa annum MD Philippo ad Reipublicæ gubernacula admoto, urbs, poſt ferales inteſtinos motus, quos partim ab Hoexiis & Cabeliaviis, partim â multitudine, quæ vectigalia, (*exciſas* vocant) pendere detrectabat, perpeſſa erat, paullum reſpiravit, pluriaque nova opera, tam ſacra quam profana, à fundamentis excitata ſunt, & quæ cœpta iniquitate temporum omiſſa erant, perfecta ſunt.

Anno MDVIII aucta & dilatata urbis pomæria ſunt. Turreſque paſſim per vallum conſtitutæ.

Anno MDLXX aggeribus in Hollandia tempeſtatis violentia perruptis, Horna ita aquis obruta eſt, ut iis innatare videretur.

Anno MDLXXIII Collegium deputatorum ordinum Weſtfriſiæ Hornæ, ob commodum ejus ſitum, communi omnium civitatium conſenſu, conſtitutum eſt. Celebratur in iſtis ædibus, quas Weſtfriſiæ Præpoſiti olim inhabitabant.

Anno MDLXXVII Novus portus exſtrui, & urbis Pomæria extendi cœpta ſunt.

Anno MDLXXXVI Weſtfriſiæ moneta ex communi omnium ſententia Hornæ inſtituta eſt; cuſique nummi, quorum pars una hanc inſcriptionem, MONETA NOVA DOMINII WESTFRISIÆ, altera iſtam, DEVS FORTITVDO ET SPES NOSTRA, præferret.

Horna genuit *Iacobum Ceratinum*, id eſt, *Hornanum*, Græco vocabulo, non quod illum natalis ſoli puderet, quo nomine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

nomine reprehenditur ab Hadriano Iunio; ſed quod inter illorum temporum eruditos conſuetudo ita ferret. Vtriuſque linguæ peritiſſimus fuit. Græcæ Profeſſorem egit Lovanij. Benificio ejus & incredibili induſtria primum Lexicon Græcum concinnatum eſt, magno ſtudiorum bono. Extinctus eſt Lovanij in flore annorum, anno M D XXX, ſepultus ad Minoritidas, ubi hoc monumentum ejus legitur;

Egregius vir D. Iacobus Ceratinus ortus ex inſigni opido Horneuſi, Presbyter Deo devotus, & tam Græce quam Latine abſolute doctus, ut teſtantur opera ab eo edita. Obiit & hic ſepultus eſt anno M. D. XXX. *April.* XX.

Petrum Iunium, virum eruditiſſimum, & multiplici Hiſtoriarum cognitione inſtructum. Narrat Theodorus Velius vidiſſe ſe Chronicon Latinum ab ipſo compilatum, quo initia Hornanæ Vrbis & incrementa erat complexus. Filium habuit Hadrianum Iunium.

Hadrianum Iunium. De quo nihil dicam, præter hoc, quod horrenda lectione ſua, eruditione, & tot elegantiſſimis ſcriptis, quibus Latinas Græcaſque litteras illuſtravit, meritus ſit Hollandiæ & litterarum poſt Eraſmum Phænix appellari. Obiit anno M D. LXXV. Middelburgi, quo temporum iniquitate compulſus ſe contulerat.

Iacobum Dunium, amæniſſimi ingenij, & venæ feliciſſimæ Poëtam. Obiit circa annum 1566.

Petrum Hogerbetium, virum majoris doctrinæ, quam famæ. Hanc enim, ut recte ille dixit, quidam merentur, quidam habent. Pauca ejus ſcripta lucem viderunt. Poëmatum ejus editionem Theodorus Velius procuravit. Hogerbetius ſtudia ſua Lovanij proſequutus eſt, in Patavina Italorum Academia primos in Medicina honores adeptus. Obiit anno 1599.

Cornelium Vigium, Medicinæ Doctorem & Profeſſorem in Academia Dolana; ubi cum magna doctrinæ fama docuit & vixit; adeo, ut, cum diſcederet, in Equeſtrē Ordinem ſit cooptatus. Deinde Medici munere functus eſt apud Orientalis Friſiæ Comitem. Sed in patriam Vrbem reverſus praxin ibi aliquamdiu excercuit, donec ex hac mortalis vitæ ſtatione evocatus eſt anno 1602.

Nicolaum Bulium, Medicinæ Doctorem, qui poſt Galliam, Germaniam, & Italiam, inque eà Vrbem Vrbium luſtratam in patriam reverſus ampliſſimis ibi dignitatibus functus eſt. Poëta & ipſe politiſſimus fuit. Obiit anno 1615.

Theodorum Velium, Senatorem ac Medicum Hornanum. Qui ut aliarum rerum, ita hiſtoriæ patriæ cognitione probe fuit inſtructus; quod me tacente Chronicon ejus Hornanum teſtabitur. Weſtfriſia, quam verſibus rotundis conſcripſit, venam ejus poëticam ſemper loquetur. Nuper, ut cum magno animi mei dolore intelligo, è vivis abiit.

Horna variis ſæculis & cauſſis aucta hodie 1050. perticas complectitur. Per portas quinque, magnificas & ſumptuoſas, aditus ad ipſam patet. Opera publica ad omnem ſplendorem compoſita. Plateæ & portus ampliſſimi. Fora commodiſſima. Fluenta, quæ urbem ſecant, & multa ſunt & limpidiſſima. Horti & viridaria juxta urbem amæniſſima. Incolæ induſtria, mercatu & navigationibus res ampliſſimas ſunt adepti: ut Hornam merito omnis floris & felicitatis cornu copiam poſſis nominare.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

ENCHVSA.

ENchuſa unde dicta. Varia ejus fortuna. Vir clarus.

ENCHUSÆ nomen factum putem ab halecibus, quarum frequens piſcatio hic olim fuit, priore ſyllaba decurtata. Prima ejus mentio fit ad annum 1279, quo à Iohanne Arckelio, & Nicolao Putteno, ad Friſios rebelles ſubjugandos miſſis, dicitur incenſa. Qua tempeſtate ne vallo quidem circumdata fuit. Sed poſtmodum ob ſitus & portus commoditatem magna incrementa accepit. Adeo ut ad annum ſalutis 1394. portus ejus tria navium millia, quibus exercitum in orientalem Friſiam Albertus Comes tranſmiſit, fuerit complexus.

Anno MCCCCXXVI Enchuſa in Kinheimariorum poteſtatem devenit.

Anno eodem milites Iacobæ Enchuſam ſubito ingreſſi, in medio ſtrepitu è civium præcipuis centum, qui menſæ ad capiendum prandium accumbebant, capite multarunt.

Anno MDXIV die S. Ieronymo ſacro, maris inundatione magna valli Enchuſani pars cum ædibus aliquot exhauſta eſt.

Anno MDXXXVII Gelri, indicto Hollandis bello, navibus aliquot portum Enchuſanum aggreſſi ſunt, ut urbem penetrarent, ſed aqua decreſcente, omnis eorum conatus eluſus eſt.

Anno MDXCI mirum in modum aucta urbis pomæria ſunt.


Anno MDCV Danorum boum mercatus, quo Horna hactenus floruerat, Enchuſam, magno urbis bono, tranſlatus eſt.

Enchuſæ natus eſt *Ruardus Tapperus* vir ſcriptis in vulgus editis celeberrimus, Artium Magiſter, S. Theologiæ Profeſſor, Eccleſiæ Collegiatæ Divi Petri Lovanij annos plus minus XXIV Decanus, nec non Lovanienſis Academiæ Cancellarius, cujus operam atque induſtriam ſæpe Carolus V. Imperator, ſæpe Hiſpaniarum Rex Philippus, nonnunquam Pontifex ipſe requiſivit, ut diſertim legitur in inſcriptione Collegij Theologorum, cui moriens Bibliothecam ſuam reliquit. Vir cætera aſperrimi & atrocis ingenij fuit, quo nomine merito multorum in ſe odium atque invidiam concitavit. Obiit Lovanij, anno 1559.

Enchuſa ad mare poſita eſt, à cujus violentia validiſſimis aggeribus tuta eſt. Tectis ſalariis, & halecaria navigatione jam floret.

EDA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

E D A M V M.

E*Dami deſcriptio.*

EDAMUM, ſive potius Ydamum nomen habet ab Ya amne, cui hic agger fuit objectus.

Anno MCCCCXXVI Edamum à Kinheimariis captum eſt.

Anno MCCCCXXX à puellis Edamenſibus Nympha marina capta eſt, cujus hiſtoriam ita plene
,, exſequitur Snoyus ſub finem libri Hiſtor. 8. Poſt coor-
,, tam inquit tempeſtatem ventorum validiſſimam, quod
,, ſæpe hic fit, diſruptoſque aggeres oceanumque auſtra-
,, lem late agros inundantem, fertur puellis Edamenſibus
,, lintre lacum Purmerendæ trajicientibus ad mulgendum
,, vaccas, fæminam aquatilem, membra nudam, ſed muſ-
,, coſam & ſordeſcentem in vado apparuiſſe. Primum ſtu-
,, pefactas rei novitate, dein reſumſiſſe animos, inque lin-
trem ex aquis traxiſſe, perduxiſſeque Edamum, ubi emun- ,,
datam muliebriterque ornatam, addere, noſtris uſam ali- ,,
mentis, nendique artem didiciſſe, ad lacum ſemper redi- ,,
re pronam. Idiomate ut erat nulli cognito, ita nec ip- ,,
ſam vernaculam noſtram intellexiſſe, deinde Herlemum perductam annos aliquot ibidem vixiſſe. Addit Snoyus ſe ex oculatorum teſtium fide iſta omnia referre. De fæminis ejuſmodi marinis pluria invenies apud Scaligerum in Ariſtotelem de Animalibus, Vincentium Cartarinum de imaginibus Deorum, & Bernardum de Butto lib. v. de Monarchia Luſitanica.

Edamum navium fabrica, & caſeo præſtantiſſimo, per vicinas regiones ſummopere expetito, jam floret, duobus milliaribus Horna diſtans.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

MONACHODAMVM.

Monachodami deſcriptio.

MONACHODAMVM nomen habet à fluvio interlabente, *de Monick* dicto. Memorant annales anno 1297 Friſios ad ferendum Trajectenſi antiſtiti ſubſidium huc appuliſſe.


Anno MCCCCXXVI Monachodamum à Kinheimariis, qui Iacobam ſequebantur, occupatum eſt.

Anno MCCCCXCIX decimo Iulij die Monachodamum fortuito incendio ita abſumtum eſt, ut vix ædes octoginta ſupereſſent.

Ad annum MDXV eamdem cladem Monachodamum perpeſſa eſt, ſacra tantum æde, & Carmelitarum Cœnobio ſervatis.

Monachodamum Edamo proxime adjacet. Opidum exiguum. In vicinia Inſulam habet *Marckſem* dictam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1


PVRMERENDA.

Purmerendæ initia & progreſſus. Varij ejus Dynaſtæ.

PVRMERENDA ita vocata eſt, quod ad finem Purmeræ fluvij poſita ſit. Prima ejus initia ad Wilhelmum Eggardum referuntur. Hic Wilhelmo Bavaro, ob iram patris profugo & apud Dacos commoranti pecuniam ſæpius eſt mutuatus. Quam ob cauſſam ærario publico præfectus toparchia Purmerendana, adjectis villis duabus Necka & Ilpendamo, à Wilhelmo, mortuo patre ad gubernacula jam admoto, donatus eſt. Arcem ibi validiſſimam exſtruxit, circa annum 1410. Filius ejus Iohannes Eggardus civiles motus fugiens, Purmerendam Gerardo Zylenſi vendidit, atque in Flandriam ſe contulit. Gerardus autem Zylenſis eamdem Iohanni Burchgravio Montfordano vendidit. Cujus nepos cum rebellionis reus eſſet, à Maximiliano Auſtriaco Purmerenda fiſco adſcripta eſt, & circa annum 1486. Balthaſari à Volckeſteyn, caſtrorum præfecto, donata. Sed & hic Iohanni Comiti Egmondæ primo Purmerendam venditionis titulo tradidit. Atque ita in Egmondana familia hujus loci dominium permanſit uſque ad annum 1590. quo ab Hollandiæ ordinibus redemta & eorum Dominiis adjuncta eſt.

Purmerenda circa annum 1573, inter medios Hollandiæ ſub Hiſpano motus, vallo munita eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

MEDENBLICVM.

MEdenblicum. Ejus antiquitas. Vnde nominata. Varia ejus Fortuna. Balivatus ejus quæ & quanta olim complectebatur.

MEDENBLICVM inter Hollandiæ Vrbes poſtrema eſt, ſi hunc locum, prima ſi antiquitatem ſpectes. Radbodum famigeratum illum Friſiorum Ducem ſedem hic fixiſſe vulgi eſt opinio; quæ quam certa ſit jam non diſquiro, & pluribus perſequutus eſt accuratiſſimus Douſa lib. VI. Holland. Annal. Ne, cum Hollandicarum urbium antiquitatem tueri propoſitum mihi hactenus fuerit, Medenblici gloriæ hac in parte aliquid videar ademiſſe. Cum Medenblicum primam Weſtfriſiæ civitatem & velut metropolim ante Hornam, Enckhuſam, aliaſque urbes conditas magno omnes conſenſu ferant exſtitiſſe. Nomen habet à Medemelacha, fluvio nobiliſſimo, cujus ut ne veſtigium quidem hodie ſupereſt, ita diſerta mentio fit in diplomate Ottonis Imperatoris anno DCCCCLXXXV. dato, cujus apographum habes apud Douſam libro VIII. ſub finem. Medenblicum memoratur in literis Godebaldi Trajectenſis antiſtitis ad annum 1118. quibus eccleſia Medenblicenſis Canonicis S. Martini Trajecti donatur. Earum exemplar hoc eſt;

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Sanctæ Eccleſiæ rectoribus ſummopere innitendum & ſubditorum neceſſitati ſubvenire commodis temporalibus, ut poſſint vacare ſpiritualibus, &c. Vnde ego Godewaldus, Dei gratia Trajectenſis Epiſcopus fratrum charitati condeſcendens & pro ſe in poſterum conſulens, eccleſiam quandam in occidentali Friſia in villa (Villa hic urbem notat ex ſtylo illius ætatis ſcriptorum) *quæ Medenblick appellatur, cum omnibus ſuis appenditiis, & cenſu ad cameram Epiſcopalem pertinentibus, & oblationibus utilitati fratrum in Eccleſia B. Martini Deo famulantium in memoriam noſtram conceſſi, &c. Datum anno Dominicæ incarnationis* 1118. *Indictione duodecima.*

Anno MCCLXXXVIII Florentius quintus Medenblicenſibus jura, & varias immunitates præſcripſit. Litteræ ejus datæ apud Alberſberch.

Anno MCCCCXXVI Medenblicum à Kinheymariis captum eſt.

Anno MDXVII Gelri, *Furvarum turmarum* nomine tunc appellati, Medenblicum vi expugarunt, expugnatum incenderunt, ut ne domus quidem ulla amplius reliqua eſſet.

eſſet. Sola arx adverſus hoſtium impreſſionem & ignis violentiam ſtetit invicta, præfecto ipſi Iuſto Burio, qui eam magno animo tuebatur.

Circa annum MDXLVII magna Vrbis pars fortuito incendio conflagravit.

Medenblicum aggeres validiſſimos habet, & auſtrini maris, quod magna violentia huc inſultat, tempeſtatibus ſuſtinendis pares. Vrbs ipſa mediocris eſt magnitudinis. Baliuvatu olim floruit, ſub quo omnia hæc loca continebantur, quæ ex Archivis publicis decripſi. *Horn, Enchuyſen, pagi Wervertshooft, Bovencatſpel, de Stede van Grotebroeck, Luthebroeck, Hoichcatſpel, Weſtervond, Ooſterblocker, Weſterblocker, Swaech, Hem, Venhuyſen, Benewiiſen, Wijnes, Schellinckhout, Scherwoude, Scherdam, Etersem, Ooſthuyſen, Opterbeets, Nieuwerdijck, Groſthuyſen, Avenhorn, Outorp, quatuor pagi de Iangedijck, Koedijck, Kalverdijck, Warmenhuyſen, Renigenburch, Nyenburch, Sinte Maerten, Schagen, Harnighuyſen, Barringhoorn de Keyens. Oude Nyrop, nieuwe Nyrop, Winckel, Eertſwoudt, Hoichtwoudt, Opmeer, Hemsbroeck, Opdam, Veenhuyſen, Oterlick Spanbroeck Wadwai, Woggemum, Nubbixwoud, Hauwerdt, Midwout, Bennigbroeck, Sybecarſpel, Abbekerck, Lamberſchaech, Twiſch, Ooſtwoudt, Opperdoes & Almerdorp.*

FINIS.

APPENDIX.

PRÆTER vulgatam Hollandiæ diviſionem, quam ca. 3. tradidimus, alia ante aliquot ſæcula in uſu fuit. Nempe in *Borealem* & *Auſtralem* ſindebatur. Borealis Rhenolandiam, Delflandiam & Schielandiam univerſam complectebatur, & uſque ad Iſalam flumen protendebatur. Vnde adhuc hodie tractus iſti, quos jam diximus, ſub Noorthollandiæ, ut vocant, Quæſtura numerantur. Melior Stockius, qui Chronicon Hollandiæ Comitum Rhythmis circa tempora Florentij quinti concinnavit, Delfum Noorthollandiæ diſertim adſcribit. Sub Noorthollandia etiam Woerda aliaque tunc temporis habebantur.

Eruditis, quos Delfum genuit, adſcribendus eſt *Cornelius Muſius*. Is natus eſt Delfis anno 1503. In Brabantia & Gallia ſub doctiſſimis Profeſſoribus ſtudia proſequutus. In patriam reverſus ſacris D. Agathæ Virginibus annos fere XXXVI præfuit. Ingenio facili & comto fuit, à natura ad Poëſin factus. Obiit anno 1572. Delfum, matrem ſuam, in Oda de fugacitate temporum ſic celebrat;

Matre proba exortum, nec non fidoque bonoque
A genitore ſatum,
Delphica me excepit, quâ non urbs altera terris
Clarior in Batavis.
Seu ſacra templa Deo longe auguſtiſſima ſpectes,
Sive domos nitidas.
Seu populi integros mores, ſanctamque requiras
Innocuamque fidem. Primum
Heic flevi, heic riſi, primum heic, ut diſcere vellem,
Blandus uterque parens
Cruſtula multa dedit, vel poma aut dulcia liba.
Heic ſtudiis impendi operam,
Sed ſegnem impendi, donec, genitore ſepulto,
Lovanium petitur, &c.

Epitaphium Cornelij Muſij Delfenſis indigna morte ſublati, Adriano Iunio Medico autore.

Virtutis omnis ſeminarium jaces
Fœda peremptus (heu nefas ſecli) nece:
Speculum modeſtiæ ſacerdotum ordini:
Sordis malignæ, & fraudis expers abditæ
Fontes perennes largitatis pauperum
Turbæ reſignaſti uſque: nec tuæ indigos
Vacuoſque opis diſcedere à te paſſus es,
Muſas amaſti liberales, à quibus
In familiam traductus olim Muſij
Tibi occupaſti nomen indelebile,
Tibi labis exors vita clarum ad poſteros

Ccc *Tranſ-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Tranſmiſit exemplum bonis, probum malis,
Trigemina pectus gratia: ingenij ſibias
Camæna tinxeratque mentem charitas,
Amorque recti, & ſancta conſcientia.

Ad *Schoonhoviam* adde Hiſtoriam originis Monaſterij Henrici Ruris prope eandem Vrbem poſiti, quam M S. his diebus meo mihi ære comparavi. Hæc ita ſe habet:

Henricum hocce Rus ſic coli inceptum eſt: anno redemptionis humanæ, milleſimo trecenteſimo, nonageſimo ſexto, Viri aliquot pietatis ampliandæ amore ducti condendi monaſterij injerunt rationem. Inter hos fuere præcipui, Dominus Nicolaus Hoec, Dominus Fredericus Smit Preſbiteri, & Johannes Dyeſt cives Schoonhoviani. His ſeſe adjunxerunt ſocios, Dominus Ioannes Jonghe, Johannes Bruyn, & Ghyſbertus Henrici duo laici, primi hujus loci incolæ. Horum deinde opera emptus hic locus, & excitata Capella, orationis locellus, nec quidem temere. Siquidem Gwido Dominus Schoonhoviæ, Comes Beloſſiæ hæc auſpicia datis litteris confirmavit, atque pietatis ceptæ pellexit coadiutores ſimul & conturbatores conterruit.

Anno primo ſupra quadringenteſimum & milleſimum huic pietati obſiſtit ad ſumendum indies incrementum bellicus furor, quo Hollandiæ Comes Albertus in Herculandiæ Dominum exarſit. Et proſus conturbata concidiſſet & evanuiſſet coalita jam pridem pietas niſi inſperato Dominus Wilhelmus cognomento Cluyekert, ſugiens peſtem, piorum virorum hortatu rebus labentis monaſterij laturus opem huc accuriſſet. agebat enim hic Daventriæ œconomum in domo Domini Florentij perſtrennuum, perſuaſum itaque onus eo lubentius ac alacrius ſuſtentare eſt aſſenſus quo id pietatis in patrio ſolo (Schoonhovianus erat) quod peregre didicerat tranſplantaret, Chriſtumque doceret loci incolas, qui ſui inſtituti dudum eſſe ceperant. Cæterum ſancto hujus viri conatui neutiquam auxiliaris defuit gratia, qua fretus perturbatis cænobitis, atque jamjam dilapſuris, efferuentes pietate viros ſecum adductos adjunxit. Res vero hæc attenta fæliciter ceſſit. hinc refloruit pietas, perſiſteruntque viri ceptis. Eo quoque tempore non defuere monaſtices propagatores, qui hic velut in ſtadio Euangelico currentes, currentibuſque calcar addentes incepti monaſterij pauperiem juvabant donis annuiſque ditabant proventibus. Nec quoque oblatas reſpuit Wilhelmus elemoſinas. hiis præſidiis anno ſeptimo ſupra quadringenteſimum & milleſimum jacta ſunt ab illo in ſpeciem monaſterij fundamina, erectaque paulatim humilia ædificia. Tunc ceptum dici vulgo ad fratres in pomario

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

mario inden Hem. Nomenclatura unde ſit deducta ignoratur, niſi quod quidam à recurvo Lechæ aggere eam velint detractam, qui ad inſtar pernæ porcinæ adhæret cœnobio. hinc corrupte dicitur Hem pro Ham. Porro Wilhelmo ſollicitanti Reverendiſſimum tunc temporis Dominum Fredericum Blanckenhemium, conſenſit in ædicula Divo Archangelo Michaëli dicata ceremonias peragi quotidie ſalvo parochi Arenſbergiæ ſuo jure. Anno quarto decimo & quadringenteſimo ſupra milleſimum cum ſuccreviſſent monaſterio opes, ſuccrevit & incolis pietatis amor. Unde ſecuti adhortatorem Wilhelmum Mathias de Vivario, Theodoricus de Aër Warmboldus de Muers preſbyteri, Hem Hugo Wilhelmi, Iohannes de Ammers Diaconi atque Angelus Gerardi, Iohannes Martini Ionghe, Ghiſbertus Wironis clerici, ordinem Sancti Franciſci de pænitentia à Nicolao quarto Romano Pontifice nuper inſtitutum ſunt profeſſi. Hujus inſtituti egit miniſtrum Wilhelmus. Denique anno 1415 Cardinalis Nicolaus de Cuſa qui Germaniæ invigilabat, Monaſteria & collapſam in iis religionem revocari jubebat. Impetravit VVilhelmus ut cum conventus ſui fratribus relicto Divi Franciſci ordine inſtitutum Canonicorum Regularium amplecteretur. Primum proinde egit Priorem hic quoque anno 1424 in impetratum à Swedero Reverendiſſimo collem Dunchinum cum ob crebras Lecthæ inundationes, tum ob ſeptennes agrorum ſubmerſiones duxit coloniam. Præterea & hoc laude dignum quod præter Daventria allatas etiam fere demortui ſui patris omnes opes, in uſum monaſterij contulerit. Hunc ſecuti Fratres, noctu ac interdiu alacriter Euangelicæ pietati operam navarunt, atque in deſcribendis libris ſeſe preſtitere ſedulos. En ſic incola amice ex parvis initiis atque religioſa paupertate in hanc ædificiorum veteribus exuſtis tum pulchritudinem tum commoditatem, hactenus excrevit monaſterium. Maxime proinde in rem noſtram fecerimus, ſi quoque comnitamur ut hæc ipſis tam ſint ornamento quam auxilio ad bene beateque vivendum atque hujus ævi fugaciſſimi periodum eo pietatis ſtudio claudamus, quo aborigines noſtri.

Inter Hornanos etiam inclaruit *Cornelius Hornenſis*, qui famigeratum illum *Faſciculum temporum* concinnavit.

Ad ea, quæ de Hadriano Iunio diximus, addatur hoc Epitaphium, quod Middelburgi legitur,

 D.O.M.S.

D. O. M. S.

HADRIANO IVNIO HORNANO, PHILOSOPHO MEDICO ET POETÆ CELEBERRIMO, BATAVIÆ HISTORICO FIDELISS. CVIVS IN OMNI DISCIPLINARVM GENERE EXQVISITA ERVDITIO, SINGVLARIS INDVSTRIA, INFINITÆ LECTIONIS PRÆSTANTIA, MVLTIPLEX LINGVARVM SCIENTIA, PARI CONIVNCTA COMITATE, DOCTORVM OMNIVM ADMIRATIONEM LAVDEMQVE VELINT; POST VARIA INCOMPARABILIS INGENII MONVMENTA, QVIBVS ÆTERNAM SIBI GLORIAM COMPARAVIT SVB HOC MARMORE CONDITO, PATRI OPT. DE SE MERITO PETRVS IVNIVS MÆSTISS. PIETATIS ERGO P. C. VIXIT ANN. LXIIIX, OBIIT DIE XV SIBI COGNOMINIS MENSIS ANNO SALVTIS CHRISTIANÆ CIↃ IↃLXXV.

MEMORIÆ SACRVM.

PETRO. HOGERBETIO, PETRI F. HORNANO. V IN OMNI VIRTVTVM ET DOCTRINÆ GENERE PRÆSTANTISSIMO, MEDICO SVMMO, POETÆ RARO, CIVI AD COMMODA PATRIÆ NATO, EIVSDEM ÆTERNO DAMNO DENATO, S. P. Q. H. C. ET IN SIG. GRATITVDINIS OB MVLTA ET PRÆCLARA EIVS MERITA MONVMENTVM HOC SVMPTV PVBLICO P. I.

In Alcmarienſium Eruditorum Catalogo nomen & locum meretur clariſſimus & doctiſſimus Vir, Fredericus ab Heilo, cujus vitam, quæ M S. ejus operibus, quæ penes me ſunt, præfixa eſt, hic adſcribam, eo libentius, quod hic vir eorum diligentiam fugerit, qui Belgij noſtri eruditos nuper edidere. Fredericus Presbyter & Donatus, profeſſus in coventu de Heylo, qui eſt pagus Hollandiæ inter Alcmariam & Eekmundam ſitus, olim pater Confeſſor trium Conventuum ſororum ſucceſſive, videlicet Warmunde, Leydis, & Beverwijck, vir devotus ac litteratus, Poëta, orator, & Theologus, quemadmodum ex ſcriptis ejus probatur. Edidit autem multa opuſcula, quæ in prædicto Conventu & in diverſis Monaſteriis habentur, inter quæ feruntur ſubjecta.

De incluſione Religioſorum lib. I.
Alterum de eadem materia.

De dignitate ſacerdotali lib. 1.
Contra nimis ſcrupuloſos & de Remediis lib. 1.
Formulæ vivendi.
De inſtitutione vitæ lib. 1.
De Collectione mentis in ſe.
De choreis.
Contra ſacerdotem lubricum.
De Peregrinantibus.
Contra detractores religioſorum.
De fonte, qui aſcendit de Paradyſo.
De Imagine & ſimilitudine Dei.
De fundatione domus Regularium prope Haerlem.
Carmina de ſancta Baſilia in Warmonde quieſcente.
De feſtivitatibus beatæ Mariæ.
Sermones de tempore & Sanctis.
Epiſtolare ſatis pulchrum, & multa alia.

Obiit autem in prædicto Monaſterio quinto Idus Octobris, ac ibidem ſepultus anno Domini 1455 ſub Calixto Papa tertio, & Frederico Imperatore tertio, ſicut ex ſequenti verſu colligitur. Sequitur Epitaphium, quod habetur ſuper ſepulchrum ejus, & præcedit iſte verſus,

ConDItor aLte MIChI da LatI proſpera CæLI.

Epitaphium in tabula ſuper ejus ſepulchrum;
Hoc tumulo Dominus requieſcit jam Fredericus,
Ex Heilo genitus, veræ virtutis amicus,
Hujus Conventus Donatus qui fuit aptus,
Tranquillus, castus, ſtudioſus, corde quietus,
Mente columbinus, devotus, pectore dulcis,
Chriſtum quæſivit, Chriſto frequenter inhæſit.
Nectareo cultus divini rore rigatus,
Æquoris irati ſtrepitus deſpexerat omnes.
Nam quod conſpiceret gratam morum pietatem.
Quod per fervorem paſſim captare ſategit,
Qui licet eloquio tardus foret in referendo,
Attamen ingenti ſcribendi præditus arte.
Nunc per Dictata, nunc fecit per metra compta,
Tractatus pulchros, ſermones atque libellos,
Quos humilis multum petiit bene multiplicari.
Nam petit omne ratum nulla formidine claudi.
Virgineo ſtatui preerat pietate potenti,
Warmunde, Leydis, Beverwijck, non minus illic
Divino ſteriles fæcundans ſemine mentes,
Quo fructum facerent, Chriſto ſponſo jubilarent,
Craſtina Victoris hunc lux cum vexit in altum,
Tunc Auguſtini colitur tranſlatio ſancti,
Cujus diſceſſus annos in fronte locatos
Quærenti recte dat diſpar littera ſcire.

Præter alia ejus auctoris M S S. penes me ſunt Excerptă ex libro, quem de fundatione Cœnobij Regularium prope Harle-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Harlemum conſcripſit. Quæ cum Hiſtoria belli, quod Hollandi cum Gelris geſſerunt, à Guilhelmo Hermanno Goudano conſcripta, Origine Monaſterij Henrici Ruris prope Schoonhoviam, & Conventus in Stein prope Goudam, atque etiam origine præcipuorum Hollandiæ Monaſteriorum, quæ ſub Capitulo Windeſemenſi Canonicorum Regularium fuerunt, quæ omnia M S S. meo mihi ære redemta ſunt, brevi publici juris faciam.

In hiſtoria civis Naerdeni, quam in ejus Vrbis deſcriptione fuſius deduximus, paullo aliter ſe res habuit. Is, cum Hiſpanorum fidem haberet ſuſpectam, ad præſtandum iis fidelitatis juramentum adduci non potuit, Quo factum eſt, ut Hiſpani tres ædes ejus penetrarent, & pecuniam, quam penes ſe habebat, extorquerent. Gladiis eorum interea ita confoſſus eſt, ut ſupra quindecim vulnera in corpore notarentur. Cætera tam accurate inveſtigari non potuerunt, cum cadaver cruori ſuo immerſum atque deforme, poſt viginti demum à patrata cæde dies terræ ſit mandatum. Caput eriam erat amputatum, & digiti omnes è cuticula ſua pendere viſi, quod calloſis manibus gladios eorum avertere conaretur. Filia ejus unica Emerentia, annos tres tantum nata, pro vita patris interea orabat. Quò ita commoti Hiſpani ſunt, ut calentem adhuc ſanguinem in faciem ejus projecerint, *aquam* illam *benedictam* eſſe clamitantes. Sic ut, quod vel ex ſolo hoc exemplo clariſſime dilucet, omni & divino & humano juri videantur illuſiſſe.

Naerdam patriam agnoſcunt,

Iohannes Benningius floruit circa annum MD. Virum ſua ætate eruditiſſimum fuiſſe, vel ex Epiſtola ejus ad doctiſſimum illum Guilhelmum Hermannum Gaudanum data, quæ Æſopi & Aviani fabulis à Guilhelmo recenſitis, & Delfis anno 150x rudi ſatis forma excuſis præfixa legitur, ſatis comparet.

Henricus Anthonides vander Linden Theologiæ Doctor & Profeſſor in Academia Franequerana celeberrimus. Cujus doctiſſimas, ut accepi, lucubrationes brevi publici juris faciet filius ejus Hermannus Anthonides van der Linden, vir itidem doctiſſimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

VRBIVM,

quæ in hoc opere deſcribuntur,

SERIES,

ET CAPITVM BREVIARIA.

Capvt I. Pag. 3.

Hollandia unde dicta. an à ligni & arborum copia. Holtlandia ſcribitur in diplomatis, an verò à ſoli cavitate. De hac Mamertini verba, quæ in tranſitu notantur. Vera nominis origo, ratione & auctoritate confirmata. Danorum coloniæ & irruptiones. Olandia eorum & Zailandia. Coloniarum tranſmittendarum ratio. Olandia quid ſit. De Gothis ac reliquis gentibus Septentrionalibus. unde Belgicum guyt. *Nortmanni quando Hollandiam invaſerint. Chronographi Popularis & Iunij ſententia caſtigata. Danorum circa Bredam præcipua olim ſedes. Regino obiter emendatus. Hollandia pagus. quo nomine olim dicta. quare Phlardirtinga Hermanno Contracto. Quid Marchia.*

Capvt II. Pag. 11.

Hollandiæ deſcriptio. Magnitudo ejus, longitudo, & latitudo. Vrbes majores & minores. earum ordo & dignitas. cur quædam ad Hollandiæ Ordinum Comitia non admittantur. Opes earum & Privilegia quædam generalia. Flumina. Municipia. Pagi. Inſulæ. Arces. Ædes magnificæ. Vetus & nova Hollandiæ facies. Flardinga, Rensburgum, Geervlietum, Beverwicum & Verona, quæ jam intercidit, olim inter præcipuas urbes numeratæ. Mutationum cauſſæ.

Capvt III. Pag. 17.

Diviſio Hollandiæ, Auſtralis & Septentrionalis. utriuſque urbes & termini. Auſtralis ſtricte ſumta. Maeſlandia. Schielandia. Delpholandia. Rhenolandia. Kinheimaria. unde dicta. Caninefates. eorum ſitus. Iunij ſententia confirmata contra Divæum & Heuterum. Amſtelandia. Waeterlandia. Marſaci qui, & unde dicti. Weſtfriſia. Friſiapones qui, & unde dicti. Goylandia. unde appellata. Sturij qui ſint. Iunij ſententia confutata. Plinius emendatus. Trajectum an præcipua urbs Hollandiæ. Quæ & quanta olim Trajectenſis Epiſcopi in Hollandia auctoritas.

Capvt IV. Pag. 38.

Soli Hollandici ingenium. Aquæ copia. Molæ aquariæ. Aggeres. In iis muniendis peritia Hollandorum. Ab his Damum opidum conſtructum. Aggerum utilitas & neceſſitas. Heimradij inſtituti. Agri, Paſcua. Vaccæ & Boves. Lactis & Butyri copia. Ejus formandi ratio. Vennæ. Colles arenarij. Saltus. Sylvæ. Cæli temperies. Hollandorum luſus in glacie. Crepidæ ferreæ. Anni 1149.

horren-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

horrendum gelu. Sali & fluminum fæcunditas. Hollandiæ elogia. Ejuſdem miracula.

CAPVT V. Pag.45.

Hollandica ingenia. Viri eruditi. Præſtantes Sculptores. Primævaſimplicitas. Eraſmi de Hollandis judicium. Incolarum induſtria. Fæminarum, Virorum ſtudia & mores. Libertatis & lucri amor. Frugalitas. Vicinorum ſympotia. Viarum, ædium, ſupellectilis nitor & ſplendor. Agricultura. Halecum captura. Earum ſaliendarum ratio à quo inventa & quanti facta. Mercatura. In Europam, Aſiam, Africam, & Americam, navigationes. Orientalis & Occidentalis Indiæ Societates. Aloyſij Marliani de Hollandorum laudibus epiſtola.

CAPVT VI. Pag.51.

Hollandiæ inſignia. Arma quare dicta. Lacedæmoniorum mos. Gladiis olim adpicta inſignia. Præſtantiorum animalium ſigna, ſtirpium argumenta nobiliorum. Aquila Romanorum. Eadem biceps Imperatoris, & quare. Leo in ſignis Romanorum & Trojanorum uſurpatus. Mutius Valens notatus. Quæ & quare Leonum inſignia in Belgio inferiori. Leo Hollandicus unde originem habeat, variæ conjecturæ.

CAPVT VII. Pag.55.

De nobilitate Hollandica. Nobilium ſeries. Ambacti eorumque præfecti quid ſint, & unde dicti. Nobiles à vectigalibus & portoriis immunes. Brederodij, Egmondani, Waſſenarij unde denominati & orti. Ordo Equeſter S. Jacobi à Florentio quinto inſtitutus. Hiſtoria ejus paullo accuratius excuſſa. Qui bene nati vulgo. Equitum, qui in Hollandia floruerunt, ſeries. Quis Catalogus Nobilium, Vrbium & pagorum, qui Philippo Burgundo fidelitatis juramentum præſtiterunt, cum ejuſdem formula. & qualis hodie ordo Equeſter in Hollandia.

CAPVT VIII. Pag.76.

Comitatus Hollandiæ quando & à quo inſtitutus. Comitum ſeries, & genealogia, juxta temporum ſeriem accurate diducta. Error vulgatorum Chronologorum paſſim caſtigatur. Catalogus eorum, qui Vice-Comitum titulo, Hollandiæ præfuerunt.

VRBIVM

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

VRBIVM

SERIES.

DORDRECHTVM. Pag. 91

DE Dordrechti origine dubia & infirma Dominici Marij ſententia. An ab Antonino Pio conditum. Vrbs Anthonia. Wiltorum terra. Gerbrandi ſententia editur, & refellitur. Drecht quid ſit. Dordrecht an Durdrecht ſcribendum. Non eſſe Benefactam ut vult Marius. An à Diderico tertio conditum. Durta flumen. Durtæ os. Varia Vrbis Fortuna, caſus, privilegia, immunitates, ædificia publica, eorumque origines. Viri illuſtres.

HARLEMVM. Pag. 125

Harlemum à quo conditum. Lemi fabula exploſa. Iunius notatus. Harlemææ ſtirpis genealogia. Harlemum Colonia Nortmannorum. Lemus beſtiola. quando Harlemenſes civica privilegia adepti. Varia urbis fortuna, caſus, privilegia, immunitates, ædificia publica, ſacra & profana, eorumque origines. Ars Typographica à quo, quando, & quomodo inventa. Viri illuſtres. Vrbis dignitas ſitus, & forma. Pagi & arces circa Harlemum celebriores.

DELFVM. Pag. 159

Delſum à quo & quando conſtructum. Godefridus Gibboſus. Foſſa Corbulonis. Delff, illuſtris & antiqua familia. Vrbis nonnulla privilegia Conincx-uythof, Conincxvelt. Flandri expulſi. Ædes exſtructa. Civium inſolentia. Vrbis obſidium & excidium ſub Alberto Bavaro Delfenſium contra Flandros Victoria. Delfshaven. Vrbis incendium David Georgij. Viri litterati. Vrbis forma. Arauſionenſium Principum illuſtre Mauſolæum. Pagi & arces circumjectæ, & quæ in iis lectu vel viſu digna.

LEYDA. Pag. 181

Leyda. Lugdunum unde dictum. Lugidunum ſcribendum. Leithis. Lugdunum Batavorum Ptolomæi & Antonini. Pyrgus. Burchgravij. Eorum catalogus. Vrbis initia & incrementa. Varia ejus privilegia & immunitates. Quæ ipſi proſpera, quæ adverſa evenerint. Academia, & quæ eam ſpectant. Viri celebriores.

AMSTELODAMVM. Pag. 239.

Amſtelodamum. ejus prima incunabula. Arx Amſtelia. Dynaſtæ Amſtelij, eorum genealogia & res geſtæ. Amſtelodamum Hollandiæ adnexum. Ejus incrementa, privilegia, & immunitates. Res domi foriſque, terra marique geſtæ. Hodierna urbis facies, ſitus, amplitudo. Viri illuſtres.

GOVDA. Pag.269

Gouda quando condita. Vnde dicta. Telonium de Moerdrecht. Varia ejus Privilegia & immunitates, Principum tabulis expreſſa. Varia Vrbis fortuna & caſus. Viri clari. Situs.

ROTTERODAMVM. Pag.281

Rotterodamum unde dictum. Rotheri fabula exploſa. Quando privilegia municipalia adeptum. Varia ejus fortuna, proſpera & adverſa. Viri illuſtres.

GORICHEMVM. Pag.289

Gorichemum à quo & quando conditum. Vnde nominatum. Proſpera & adverſa ejus fortuna. Viri docti.

SCHIEDAMVM. Pag.295.

Sciedamum unde dictum. Antiquitas ejus. Balivatus de Scye. Res geſtæ. S. Lyduit. Viri clari.

SCHOONHOVIA. Pag.297

Schoonhovia. Vnde dicta. Bella curia. Belloportus. Res ejus geſtæ. Incendium, & Viri docti.

BRIELA. Pag.301

Briela unde nominata. Helium Rheni oſtium. Briela Zelandiæ olim adſcripta. Burchgraviorum Zelandiæ ex Voornenſi familia catalogus. Res fortiter foris & domi geſtæ. Viri eruditi.

S. GERTRVDIS-BERGA. Pag.305

S. Gertrudis-Bergæ unde dicta. S. Gertrudis. Varia ejus fortuna. Viri clariores.

WILHELMOSTADVM. Pag.309

Wilhelmoſtadum quando conditum.

CLVNDERA. Pag.311

Clundera Nieuvervaert olim dicta. Telonium Comitis. Incendium. Incrementum.

HEVSDA. Pag.313

Heuſda quando condita. Heuſdanorum Dynaſtarum genealogia. Heuſda Brabantiæ Duci vendita quomodo ad Hollandiæ Comites pervenerit. Varia ejus fortuna. Viri clari.

WOVDRICHEMVM. Pag.317

Woudrichemum, non Worichemum ſcribendum. Altenatenſis tractus, Clivenſium olim feudum, quo modo & quando ad Hollandos devolutus. Woudrichemum quando vallo circumdatum. ejus Privilegia.

VIA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

INDEX VRBIVM.

VIANA. Pag. 319

Viana & Arx ejus quando & à quo conditæ, incrementa ejus, & obſidio.

LEERDAMVM. Pag. 321

Leerdamum unde dictum. Arkelienſium feudum. Primus Leerdami Comes quando inſtitutus. Varia urbis fortuna.

ASPERA. Pag. 323

Aſperæ deſcriptio. Viri clari.

HEVKELOMVM. Pag. 325

Heukelomi deſcriptio.

ISELSTEINIVM. Pag. 327

Iſelſteynij deſcriptio. Varij ejus caſus.

WOERDA. Pag. 329

Woerda quando condita. A Trajectenſibus quomodo ad Hollandos pervenerit. Varia ejus fortuna. Bodegravia. Bagaudæ.

OVDEWATERA. Pag. 331

Oudewatera unde nomen adepta. Obſidia ejus, & excidia. Viri illuſtres.

NAERDA. Pag. 333

Goylandia unde dicta. Goedelæ Cœnobij Altenatenſis Antiſtitis hiſtoria accuratior, e Naerdenſium Archivis. Goylandiæ deſcriptio Lamberti Hortenſij. Vetus Naerda. Naerdæ incrementa, varia fortuna, jura, privilegia, immunitates.

WESOPVM. Pag. 345

Weſopum. Dynaſtæ de Weſepe. Varia urbis fortuna.

MVDA. Pag. 347

Mudæ deſcriptio, &, coronidis loco, Gratulatio Naerdenſium ad Carolum V.

VLAERDINGA. Pag. 349

Vlaerdinga antiquiſſimum & munitiſſimum Hollandiæ municipium. expugnatio ejus & hodierna facies.

HAGA-COMITIS. Pag. 351

Haga-Comitis quando Comitum palatio ornata. Viri illuſtres. Hagæ elogium.

INDEX VRBIVM.

DELFSHAVIA. Pag. 355

Delfshavia quando condita. ejus forma.

BEVERWICVM. Pag. 357

Bevervicum olim S. Agathæ fanum dictum. Bina ejus incendia.

GOEREA. Pag. 359

Goereæ deſcriptio.

GEERVLIETA, ET HEENVLIETA. Pag. 360

Ad Vornam inſulam Paralipomena. Briela *quaſi* Brechila. *Hëlium Rheni oſtium.* Widela *fluvius nunc primum erutus à Cl. V. P. Scriverio; idemque cum Helio eſſe oſtenditur. Geervlieta & Heenvlieta Vorniæ municipia dicam, an oppidula.*

VRBIVM

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

VRBIVM
VVEST-FRISIAE
SERIES.

ALCMARIA. Pag. 369

Alcmaria. Adgildi fabula exploſa. à quo urbs jus municipale adepta. Bella cum Friſiis. Varia Vrbis Fortuna. Viri clari.

SCAGA. Pag. 369

Scagæ deſcriptio. quando municipali jure donata. Ejus Dynaſtæ. Soli fertilitas.

HORNA. Pag. 371

Horno unde dicta. Varia ejus fartuna, & privilegia. Viri illuſtres.

ENCHVSA. Pag. 375

Enchuſa unde dicta. Varia ejus fortuna. Vir clarus.

EDAMVM. Pag. 377

Edami deſcriptio.

MONACHODAMVM. Pag. 379

Monachodami deſcriptio.

PVRMERENDA. Pag. 381

Purmerendæ initia & progreſſus. Varij ejus Dynaſtæ.

MEDENBLICVM. 383

Medenblicum. Ejus antiquitas. Vnde nominata. Varia ejus Fortuna. Balivatus ejus quæ & quanta olim complectebatur.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

ERRATA.

In Cl. Iſacij Pontani verſ. prim. lege. *Parve Liber*, verſ. 12. *Sed foris iſta : vigent omnia pace domi*. pa. 65. v. 16. pro *Albertus* lege *Wilhelmus*. pa. 76. cap. 8. ſemel iterumque peccatum eſt in ſerie Comitum dum hic ejus nominis primus, exempli gratia, vel ſecundus fuiſſe dicitur. cum contra fuerit. Non mea, ſed Typothetæ culpa, qui pro numeris Latina reſcripſit, me inconſulto. Lectorem Series ipſa docebit, quomodo hæc ſint corrigenda. pag. 258. v. 2. pro *Adrianus* lege *Petrus*. pag. 86, v. 12. lege *hoc principatu ſuo*. Hæc graviora Cætera ab operis omiſſa, vel commiſſa, præſertim in annorum numeris cap. 8. tuæ induſtriæ committo, mi Lector. Errare, humani ingenij lex eſt, erratum agnoſcere candoris, errantem corrigere humanitatis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

LUGDUNI BATAVORUM,

Ex Officinâ WILHELMI CHRISTIANI,

ANNO CIↃ IↃC XXXII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
357 F 1